






1
2
6
435











LITVRGICA LATINORVM, IACOBI PAMELII CANONICI BRVGENSIS, S. THEOLOGIAE LIcentiati, duobus Tomis digesta.

QVORVM PRIOR RITVM SACRIFICIJ Missæ continet, à Dn. nostro Iesu Christo, eiusque Apostolis, ac alijs vetustioribus Latinæ Ecclesiæ Patribus obseruatum: cum Ambrosianis Missa, Collectis, Præfationibus, ac Missa Mosarabe, olim in Hispanijs vsitata.

POSTERIOR VERO, D. HIERONYmi Comitem siue Lectionarium, D. Gregorij Papæ Antiphonarium, & Eiusdem ac Grimoldi & Alcuini Abbatum Sacramentorum libros, è quibus Vetus Ordo Missæ Romanæ concinnatus est: cum vetustissimis quibusdam Præfationibus.

Nunc primùm in lucem edita.

COLONIAE AGRIPPINAE
Apud Geruinum Calenium & hæredes Quentelios &c.
Anno Domini 1 5 7 1. mense Augusto.
Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest. ad decennium.

ILLVSTRISS. REVERENDISSIMOQVE IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DN. Antonio Perrenotto, Archiepiſcopo Mechlinienſi, ac tituli D. Petri ad Vincula Cardinali Granuellano, Proregi Neapolitano, Domino ſuo vnicè colendo, S. P.



NTER omnium, Cardinalis Granuellane Illuſtriß. à Chriſto incarnato hæreſeon monſtra, hoc penè peculiare habent noſtræ tempeſtatis Ariſtarchi, quòd quum in cæteris διο διὰ πασῶν diſsideant, vno tamen ore, conſenſu communi, pari cōſpiratione, Auguſtiſsimum illud Eccleſiæ Catholicæ Sacrificium vniuerſi oppugnent, lacerent, blaſphement, euertere deniquè omni niſu conētur & adlaborent. Hæreſes enim antiquæ iam indè ab ætate Apoſtolorum, aut Simiarum in morem, Orthodoxæ Eccleſiæ ſacrorum ritum, quanquàm ſubindè non ſine flagitio ſunt imitatæ, aut certè eundem ferè Liturgiæ morem, ſe ab Eccleſia ſeparantes, retinuerunt. Primi generis recenſentur, Nicolaitæ, Simoniaci, Menandriani, Gnoſtici, Carpocratiani, Marcoſij, Borboriani, Ophitæ, Colorbaſij, Marcionitæ, Cataphryges, Pepuſiani, Mōtaniſtæ, Manichæi, Taſcodrugitæ, Athariſtæ, Priſcillianiſtæ, Col-

 lyridiani,

lyridiani, ac id genus alia & hominum & nominum portenta, qui dum sacrificijs incestis & funestis initiarentur, calumniæ occasionẽ dedêre, tanquàm si cœnæ Thyesteæ forent Ecclesiæ mysteria. Alterius ordinis fuêre, Nouatiani, Sabelliani, Arriani, Paulianistæ, Donatistæ, Luciferiani, Eutychetiani, Origenistæ, Tetraditæ, & alij plerique omnes (excepto partìm Aërio, qui quum pro viuis offerret, solùm pro defunctis celebrari nolebat Sacrificium) qui in nostram vsque ætatem, more Ecclesiæ nihil aut parùm immutato, sacrificâsse leguntur. Etsi enim fuerint (quod fortassè obijciet quispiã) inter Arrianos & Donatistas, qui in sacerdotes ac templa, vasa & altaria sacra desæuirent, non tamen alia de caussa id contigit, quàm quòd nostra sacra immunda ducerent, ipsi interìm separatìm celebrantes sua conuenticula & sacrificia. Atquì nostro hoc calamitosiss. seculo, non sat fuit, probris, conuicijs, libellis famosis, contumelijs, blasphemijs, sacrosanctum Missæ mysterium afficere, ipsi denique Domini corpori & sanguini manus violentas inferre, sanctaque eius conculcare & cõtaminare. Insupèr ipsius Missæ exsuflatores, prorsùs iugem illam hostiam sublatam à medio volunt, ac abominationẽ Desolationis, ante consummationẽ temporũ, à Daniele propheta definitam, introducere nituntur. Sed hæc de his paucula attigisse sufficiat. Illud verò operæprecium est, velis remisque (quod aiunt) in contrarium niti, & certis argumentis demonstrare: Missam non nuperam, non à Papistis, vtì calumniantur, confictam, non à D. Gregorio papa primùm adinuentam esse, sed à Christo institutã, ab Apostolis vsitatam, à primitiuæ Ecclesiæ Patribus, primis illis sex à Christo incarnato seculis, certis quibusdam cæremonijs ac precibus auctam. Quod etsi complures Orthodoxi nostri seculi scriptores tractare cœperint, nemo tamen hactenùs continuam Patrum & Conciliorum seriem (absit inuidia dicto) ad D. Gregorium vsq; est prosecutus. Quum itaq; iamdudùm desiderâssent plerique scriptũ eiusmodi, atque adeò & meis non vnis literis Theologum illum longè

eruditiſſ. Galliæ decus, Dn. Claudium de Sainctez eſſem adhortatus, vt quod editis Græcorum Liturgijs iam auſpicatus erat, id Latinæ quoquè Eccleſiæ Patrum teſtimonijs, in vnum volumẽ collectis perficeret: ſed fruſtrà: tãdèm ego ipſe in hoc piſtrinum me dédere haud inuitus conſtitui: Præſertim cùm non obſcurè depræhendiſſem, ſeductioni plebeiæ proximis his annis maxima ex parte occaſionem dediſſe, Sacrificij Miſſæ inſtitutionis ac cæremoniarum, aut craſſam ignorantiam, aut ſupinam negligentiam. Verùm variorum negociorum tum publicorum, tum domeſticorum mole tantùm non oppreſſo, votis ſatisfacere initiò non fuit integrum. Tandèm verò calcar addidit, Authorum de Eccleſiæ catholicæ diuinis officijs ac miniſterijs doctiſſima farrago, per Dn. Melchiorẽ Hittorpium Coloniæ Agrippinæ anno Domini 1568. edita. Qui adeò ſua ad Lectorem Præfatione, tanquàm ex mutuo condicto de partiendis inter nos Diuinorum Officiorum ſcriptoribus, me non ſibi modò, ſed & omnibus creditorem conſtituit, re tamẽ nõdùm ſatis perſpecta, an' ne mihi integrũ foret, id pro quo ſe vadẽ cõſtituerat, exſoluere. Hoc interìm egit, vt de priori inſtituto cogitare denuò cœperim, & recognoſcendis Diui Hieronymi Comiti, ac D. Gregorij Antiphonario, ac eiuſdẽ & Grimoldi Alcuiniq́ue Abbatum Sacramentorum libris me darem. Rurſùm tamen variæ eæq́ue publicæ occupationes ad menſes complures me à cœpto remoratæ ſunt, donèc ſub hyemem poſtremò elapſam, opus hoc Liturgicon Eccleſiæ Latinæ feriò ſum adgreſſus, & cancrorum in morem retrogrado ordine, à Tomo ſecundo, qui iam ad incudem erat paratior, auſpicatus: paulatìm quoquè, quantùm per hyberna frigora licuit, Tomum primũ elucubrare occepi. Tantùm tñ nõ ſemèl impedimentorum ſuperuénit, vt de perficiendo in has nundinas Francofortias opere planè deſperarem. Vicit verò tandèm partìm Dn. Geruuini Calenij LL. Licentiati Typographi noſtri continua adhortatio, partìm etiã Domini Melchioris Hittorpij ſumma humanitas, qua omnem operam in caſtigãdis typographiæ, ſi quæ oc-

currerent erratis, non promisit duntaxàt, sed ea diligẽtia etiam præstitit, vt quàm castigatissimè pleraque omnia excusa prodeant. Atq; adeò vtroque operas vrgente, præsertim iam prælis commisso opere à Kalendis Aprilis, ego, tum nè fortè quid detrimenti pateretur Typographus, si cessandum foret, tum vtì promissis satisfacerem, ad extremam manum quantocyùs imponendam tantùm non coactus, officio quoquè meo deesse nolui. Nunc itaque velutì postliminio in lucẽ prodeunt, tuis auspicijs Prorex Illustrissime, nostra Latinorum Liturgica: quæ si non omnibus, saltem V. Cels. & Catholicis vniuersis grata fore confido: quanquàm fortassis gratiora, si aut priùs edita forent: aut prætermissa, quæ ex promisso tum meo in Præfatione Micrologi, tum Dn. Hittorpij in Tomum 2. digessimus.

Frustrà enim, vt & hìc à 2. Tomo exordium sortiatur oratio, immò & perperàm (inquiet aliquis) tum in lucem emittuntur diuinorum Officiorum tripartita volumina, è quibus Gregorianæ atque adeò Romanæ Missæ vetus Ordo confectus est: quum, maturo consilio Sanctiss. Dn. N. Pij V. Papæ verè Apostolici, ex Decreto sacrosancti Concilij Tridentini editum Missale Romanum nouum, vbiquè terrarum iam prostare dignoscitur. Atquì etsi priùs editi hi libri, fortassìs Patres ad eam rem deputatos non nihil permouissent, vt huic Romano Ordini veteri magìs consentirent per omnia, atque adeò tum temporis magìs opportuna fuisset hæc editio, quum adhuc operi instarent, nunc tamen non superflua censeri debet: immò ad hoc profutura, vtì qui calumniandi occasionem volũt, noui Missalis cum nostro hoc collatione facta, hinc intelligant, non tam nouum id esse, quàm è veteri hoc pulchrè restitutum. Sicubì verò in ijs, quæ ritum non immutant, nonnihìl adhuc dissentire quis animaduerterit, non propterea tamẽ virga censoria vti quis audeat, sed eum potiùs vsum sequatur, qui Synodi Tridentinæ & Apostolica authoritate communitus est. Ego certè, non modò in ijs quæ fidei sunt, sed & in ijs

quæ

quæ ad Sacrorum Liturgicôn pertinent, beatitudini Pij Papæ V. (vti cum D. Hieronymo loquar) id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram Ecclesiam ædificatam scio. Quicũque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Neque verò continent duntaxàt hi libri Antiphonas, quas Introitus, Gradualia, Alleluia, Offertoria, & Communiones, nuncupamus, hodiè vsitatas, sed & alias nonnullas aut saltem pluribus Versibus pro maiori eius ætatis fidelium deuotione exornatas, & maximè in Offertorijs, vt nè intereà dum populus offerret, Chorus reticeret: sicuti etiam tantispèr dum communicabatur, Psalmus integer decantabatur, è quo totiùs officij Antiphonæ erant excerptæ. Orationes etiam siue Collectas Missarum, non eas tantùm hîc reperire est, quibus nunc vtimur, verùm & complures hactenùs non visas: quæ tamen mirè affectus ad pietatem mouere queant, atque adeò luce dignißimas. Insupèr & multos ritus complectuntur hæc To.2. Liturgica, iam olìm vsitatos, qui nunc partìm exsoleuerũt, partìm adhuc obseruãtur: quibus mirum in modum confirmantur, tum cæremoniæ Sacramentorum, tum dogmata hac tempestate controuersa. Exempli gratia: Baptismi cæremoniæ eædem penè Sabbato sancto Paschæ recensentur cum nostris, vtpotè: Abrenunciatio, Orationis Dominicæ recitatio, Symboli profeßio, Exsufflatio, Crucis cõsignatio in fronte & pectore, salis benedictio, & per baptizãdum degustatio, Exorcizatio dæmonis, sputi ad nares & aures adhibitio, Sacri olei Catechumenorum vnctio, fontis consecratio, trina baptismi immersio, verticis iam baptizati cum Chrismate delinitio, Albæ deniquè vestis indumentum. Quæ deindè baptisma statìm consequuntur, sacrosancti Corporis Domini communio, & si Episcopus adfuerit, ante communicationem Confirmatio: quid aliud, quàm Sacramenta Confirmationis & Eucharistiæ subindicant? pro quorum illa facit etiam Benedictio Chrismatis principalis, quæ habetur Feria V. Cœnæ Domini. Rursùm Orationes super pœnitentes, quæ tum eadem die, tum Feria IIII. Cinerum pro-

pronunciabantur, veteres cæremonias insinuant publicæ pœnitentiæ: quæ hauddubiè, sicutì alibì commonstrauimus, Sacramentalem quoquè secretam coram Christi Vicario Sacerdote confessionem complectebatur & præsupponebat. Quin quòd eadem Feria V. Cœnæ Domini reperire sit & Benedictionem olei infirmorum, quod Sacramentum extremæ vnctionis nuncupant, etiam veteres: Missæ item in Ordinatione sacerdotum, aliorumque inferiorum altaris Ministrorum, Sacramentum Ordinis mirè constabiliunt: vtì & Missæ ac Benedictiones super sponsa, Sacramentum Matrimonij. Iam si de præcipuis Religionis controuersijs agendum sit, Sacratissimam Trinitatem contra Trinitarios, Christi quoquè diuinitatem aduersùs quosdam Anabaptistarum, vel sola illâ asserit omnium Orationum Conclusio, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum viuit & regnat in vnitate spiritusſancti Deus, per omnia secula seculorum, quæ non D. Gregorio primùm, sed & anteà D. Ambrosio Mediolani, D. Augustino in Africa, ac Idacio Claro in Hispanijs fuit vsitatissima. Christi incarnatiōem, quam negant Mennonistæ, adstruit frequens in ijsdem Orationibus, non passionis modò, sed & Natiuitatis è Maria virgine mentio. Aduersùs Anabaptistarum vniuersum chorum, si de baptismo paruulorum sit quæstio, ad manum est Sabbato sancto vetus baptismatis Infantum ritus. Veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia contra sacramentarios & Caluinistas, tum Canon ipse, tum singulis penè pagellis Orationes super Oblata & post Communionem, prorsùs asserunt. Si de communione sub altera specie controuertāt Lutrani, confirmatur illa, etiam in publico Sacrificio Feria VI. Parasceues, qua solùm de corpore Domini (vtì hodiè quoquè) & Sacerdos & Clerus communicabant. Sacrificiorum item pro defunctis, contra Confessionistas, non vnum exemplar reperire est. Venerationis etiam ritûs, quo Crux Dominica celebrabatur, aduersùs Iconoclastas, & dicta Parasceue, & in festo Exaltationis S. Crucis, luculentum exstat testimonium. Liceret deni-

deniquè per singula fidei orthodoxæ capita hoc pacto discurrere, nisi tum V. Cels. tum beneuolo Lectori vererer esse molestior. Pergamus itaque ad confirmandam horum librorum authoritatem, codicum MS. enumeratione, quibus vsi sumus, latiorem eorundem cõfirmationem To. 2. prosequuturi ex varijs diuinorum officiorum scriptoribus. D. Hieronymi Comitem, siue Lectionariũ, vti recentiores nũcupant, è Bibliotheca & Sacrario Ecclesiæ nostræ Cathedralis Brugensis ad D. Donatiani, descripsimus: deindè ad veteres codices aliquot Colonienses, per Dn. Hittorpiũ collatione facta, restituimus: allegatis interim duntaxàt singularum Lectionum initijs, eô quòd omnibus sint obuiæ. Inter quos venerandæ Antiquitatis vnus è Bibliotheca Ecclesiæ Metropolitanæ D. Petri Coloniẽsis mutuatus fuit, quem ab anno 833. in ea adseruatum fuisse, testatur tum confectus Index illius bibliothecæ, quam nõ longè antè sub Carolo Magno Hildebaldum Archiepiscopum instauràsse, & libris plurimis instruxisse, idem Index indicium facit. Vbi si adhuc exstaret eodem Catalogo recensitus Gelasianus ille de Missarum solennijs codex, vnà nunc prodijsset. Qui quandoquidem interciderit, eius loco Sacramentorum D. Gregorij librum substituimus, quippe quem, teste Ioanne Leuita, multa subtrahens, pauca conuertens, nonnulla adijciens, ex Gelasij scripto in vnum volumen coarctauerit. Eum vnà cum duobus adiunctis Sacramentorum libris, ex eadem Hildebaldi Episcopi bibliotheca Dn. Geruuinus Calenius Typographus noster commodato acceptum, ad me misit, elegantiss. characteribus ante annos plùs minùs septingentos exaratum. Atq; huic penè per omnia consentiebat Vltraiectinus codex, non minùs vetustus, quem mihi suppeditauit è Biblioth. Ecclesiæ D. Virginis, vir eruditiss. Dn. Valerius Cauchus Metropolitanus Canonicus, præterquàm quòd in libros non distingueretur. Accesserunt & duo alij miræ vetustatis codices Bibliothecæ Ecclesiæ Cathedralis D. Bauonis Gandauensis, quos beneficio eiusdẽ Ecclesiæ Præpositi D. Viglij Zuuichemi viri clarissimi na-

ctus sum: quorum alterum Anglicanum fuisse, quædam Missæ Cantica in eam linguam interpretata cõuincũt: qui præter Antiphonas & Collectas, etiam Lectiones Apostolicas & Euangelicas continebat. His titulus fuit idem, quem initio libri Sacramentorum D. Gregorij edidimus, & eadem prorsùs omnia officia complectebantur: immò & plura, tum dictæ Ecclesiæ olìm monasterio Benedictino, tum Anglis peculiaria, quæ ex professo cõpẽdij gratia prætermisi. Vsus sum & alijs quibusdam veteribus libris Missalibus, & in ijs Aldenburgensi antiquißimo, quo Missas celebrâsse tradunt D. Arnulphum eius monasterij Abbatem, qui nihil aut parùm dissentiebãt, solo titulo D. Gregorij desiderato. Exstant deniq; Coloniæ adhuc plura MS. horum librorum exemplaria apud Dn. Hittorpium, è quibus descriptæ per ipsum castigationes, prorsùs cum vetustißimo illo Hildebaldi codice conueniebant, sicutì & alter ille Coloniensis MS. qui mihi vnà cum illo transmissus fuerat. Quo factum, vt secundum sacramentorum librum, Grimoldo potiùs Abbati, iuxta MS. codicum fidem, quàm Alcuino secundùm Micrologi sententiam, adscripserim. Antiphonarium autem siue Gradualem D. Gregorij, subministrauit, opportunè admodùm priusquàm à Geusijs euerteretur, Bibliotheca Abbatiæ Blandiniensis iuxta Gandauum, characteribus nihilominùs præ vetustate tantùm non obliteratis, ità vt planè diuinandum foret, nisì nactus fuissem Missalem librũ veterem è Bibliotheca Regularium Canonicorum D. Martini apud Louanienses, è quo Antiphonas, quas integras in Blandiniensi non dabatur legere, excerpi iußimus. Nõ parùm item iuuit Index Antiphonarij, in capite Sacramentorum libri Vltraiectini, accuratißimè scriptus.

Benedictiones verò Episcopales idem codex in calce habebat adscriptas: quas deindè cùm in nostro oẽs nõ essent, ex libro quodã antiquo MS. suppleuit Dn. Hittorpius. Præfationes deniq; illas veteres per anni circulum, excudit quidem olìm Officina hæc Quenteliana, sed ad MS. dicta exemplaria eas castigauimus, & aliquot tum omis-

sas

sas adiecimus. Porrò de Tom. 2. plùs satìs ad priorem stylus conuertatur. Primus igitur Liturgicôn Ecclesiæ Latinæ Tomus sicut pluribus, sat scio, placebit, quibus vetustiora arrident magìs: itá maiori mihi profectò labore, vigilijs, sudoribus, molestijs constitit. Quum enim non ignorarem, calumniæ aduersariorum obnoxium fore, quicquid in asserendo Ecclesiæ Catholicæ vero & legitimo sacrificio in medium adferretur: obseruandum inprimìs fuit, nè quid minùs authenticum producerem. Deindè euoluenda fuerunt, aut certè percurrenda, neque id leui (quod aiunt) brachio, omnium Patrum Latinorum scripta. Quo factum, vt subindè ad horas, immò ad dies aliquot, operam & oleum perderem: dum integris operibus perlectis, nihil occurreret, quod instituto conduceret. Omitto Collectanea ex Patribus tam Græcis, quàm Latinis, Prologi vice, de Christi & Apostolorum Sacrificio: quæ sola meritò mouere debeant, vt sine ambiguitate posthàc credatur Missa non noua, sed à Christo instituta, ab Apostolis vsitata. Auxit certè labores nostros, quòd non temerè, suis quibusque locis, Sacros Authores & Concilia Decretis Pontificum Romanorum adaptauerimus: sed iuxta veram & certam, ex Fastis Consulatuum, annorum seriem, singulis Papis Romanis eos Patres, quos sub ipsis floruisse constat, eaq; Concilia, quæ durante eorum Pontificatu celebrata sunt, coniunxerimus: Vsq; adeò, vt non tam testimonia veterum de Sacrificio, atque continua quædam Liturgiæ, atque adeò Ecclesiæ Latinæ Historia, censenda videatur hæc Liturgicôn prior partitio. Quam, veluti aliud agẽdo, itá diligenter me prosecutum esse confido, vt vel hinc magna pars Ecclesiasticæ primorum sex seculorum historiæ, si non restaurari, certè illustrari posse videantur: cuius rei tamen Cels. V. eruditoque Lectori iudicium committere mâlui, quàm latiùs temerè quid mihi arrogare. Vnum hoc saltem assecutum me scio: non modò suæ quæque Concilia ætati & Patres quosque à me contributos, sed & Synodos aliquot hactenùs penè incognitas, his nostris testimonijs in

lucem productas. Atquì nè quis fortaßè peruicacior de authoritate quorundam à me citatorum ambigat, quippe ex eorum numero, qui quicquid sibi aduersari viderint, confestim tanquàm Apocryphum reijciunt: statueram de singulis, quorum incidit dubitatio, prolegomena quædam subijcere. Verùm quia angustia temporis intercludor, tantispèr dum aut huic, aut proximæ editioni latiùs aliquid ea de re adiecero, paucula hæc subijcere visum fuit operæprecium. Inprimìs itaq; Canonum Apostolicorum authoritas, nō modò Romanorum Pontificum vetustorum Epistolis compluribus, & DD. Iuonis ac Burchardi, Gratianiq; Decretis: sed & à D. Isidoro qui primus eos cum cæteris in vnum Canonum corpus digeßit, & à Synodi sextæ Oecumenicæ Patribus confirmatur. Ab ijsdem etiam, non semèl citantur D. Clementis Romani Epistolæ ad Iacobum, siue (vt quidàm legendum censent) Simeonem fratrem Domini. Eiusdem Constitutionum Apostolicarum, libros octo, (alios prorsùs ab illis octo Recognitionum libris, quos Apocryphos censet in Synodo Romana D. Gelasius) multis tum Græcorum tum Latinorum testimonijs, authenticos comprobat Dn. Ioānes Bouius Episcopus Ostunensis, qui eos è Græco primus transtulit. Martyrum gloriosos agones, à 7. Notarijs primitiuæ Ecclesiæ, quos primicerios siue Protonotarios nuncupabāt, primùm conscriptos, adtestatur Damasus, iussu D. Clementis Romani, ac deindè à D. Fabiano papa adiunctos illis septem subdiaconos, qui illis imminerent, vt gesta martyrum in integrū conscriberent: & horum frequens etiam fit mentio in Martyrologijs Bedæ, Adonis & Vsuardi. Decretales Epistolas, quas B. Papæ, diuersis temporibus ab vrbe Romana (vt eius verbis vtar) pro diuersorum Patrum consultatione dederūt, cum omni veneratione suscipiendas adstruit, vbì suprà, D. Gelasius De D. Dionysij Areopagitæ scriptis, quàm sint authentica, tractant præ cæteris latiùs Reuerendiß. Dn. Guilielmus Lindanus Ruræmundēsis Episcopus in sua Panoplia, & Dn. Matthæus Galenus apud Duacēses Theologiæ ꝓfessor in Areopagiticis,

ex Hilduino Abbate alijsq; vetustioribus. Quem adeò, vti DD. Clementem, Irenæum, & Hippolytum, etsi Græcè scripserint, inter Patres tamen Ecclesiæ Latinæ reposuimus: quòd in Occidente, Clemens Romæ, Irenæus Lugduni, Hippolytus in portu Romano Episcopatum gesserint: Dionysius verò Parrisijs & per Gallias Apostolatum sortitus sit, vti etiamnùm Ecclesiæ apud Lutetiam Parrisiorum testatum reddunt. Inter quas vna D. Stephani, quam Græcorum nuncupant, ab ipsò ædificata creditur: altera Carcer D. Dionysij dicitur: tertia exstat in monte Martyrum, à paßione eius & sociorũ id nomẽ sortito: quarta secundo à ciuitate milliario, à loco sepulturæ, D. Dionysij fanum appellatur, apud quam Regum quoq; Galliæ venerationis ergô monumenta pleraq; reperire est. Ambrosianæ verò Missæ & Canonis, præter ipsum D. Ambrosium & vitæ eius Authorem Paulinum presbyterum, meminerunt etiam Diuinorum Officiorum tractatores, D. Isidorus, Amalarius, Hrabanus, Vualafridus Strabo, & omnium latißimè Radulphus Decanus Tungrensis locis infrà citatis. Et verò, tum Missam eius, tum Orationes & Præfationes per totum anni circulum è codice quodam Missali Mediolanensi desumpsimus: verùm complures etiam Præfationes in Bibliotheca Guilielmitarum manuscriptas reperimus, & easdem collatione codicum facta, non vno loco restituimus. Missa deniq; Mosarabe, confirmatur prorsùs D. Isidori & Conciliorum aliquot Hispanorum ritu consimili, quemadmodùm ad singula penè illius Missæ capita in margine à nobis adnotatum est. Eius fragmentum acceptum debeo M. Cornelio Gualtero I.C. Gandauensi, qui id iam nupèr ex Hispanijs nactus est: si integram aliquandò consequi liceat, (in quo frustrà, scriptis tamen illuc pluribus literis, laboraui hactenùs) Deo fauente, editioni non deero. De Galliarum quoq; & Germaniæ Missa veteri idipsum p̃stiturus, si vllo vnquàm tempore ad manus peruenerint: ad vtrunq; Antiquitatis studiosos oẽs, Hispanos, Gallos, Germanos, vt mutuas operas cõferãt, obsecrãs. Decreuerã aũt huic epistolæ Dedi-

catoriæ Catalogum cæremoniarum omnium Miſſæ ſubiungere, quo quæq; cœpiſſent tempore: verùm nundinæ Francofurtiæ quæ ſunt præ foribus, id minimè nunc permittunt. Quarè aut ſeparatim illũ cum alijs aliquot Indicibus edere, aut in ſecundam editionẽ differre mâlui: quàm huius ſolius gratia, Typographo, cum maximo ipſius detrimento, non ſatisfacere: præſertim quum ipſa ſeculorũ per claſſes digeſta ſeries, non obſcurè ordinem quoquè inſtitutionis ſingulorum rituum Lectori diligentiori ob oculos ponat.

Habet veſtra Celſ. noſtri inſtituti rationem, quæ ſicui non ſatiſfaciat, quòd Latinæ duntaxàt Eccleſiæ Liturgica hoc opere complexus ſim, quippe quum Catholica Miſſæ adſertio conſtare debere videatur non vnius modò Occidẽtis, ſed & Oriẽtis eccleſiæ teſtimonijs. Inprimìs, quiſquis ille eſt, non noſtrũ, ſed D. Auguſt. reſponſum ferat: An ideò (inquit lib. 2. aduerſ Iulianũ) hos contemnendos putas, quia Occidẽtalis Eccleſiæ ſunt oẽs, nec vllus eſt commoratus in eis Oriẽtis Epiſcopus? Quid ergò faciemus, quũ illi Græci ſint, nos Latini? Puto tibi eam partẽ orbis debere ſufficere, in qua primùm Apoſtolorũ ſuorũ (Petrũ nempe) voluït Dominus glorioſiſsimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidente B. Innocentiũ Papã (id ipſum liceret accommodare ad Pium pap. V. cuius felicibus auſpicijs Synodus Tridentina abſoluta, & eius Decreta publicata ſunt) ſi audire voluïſſes, iam olìm periculoſam iuuentutem tuam (Iulianũ alloquitur) hæreticorum laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Concilijs, niſì quòd antiquitùs Apoſtolica ſedes & Romana cum cæteris tenet perſeueranter Eccleſia? Deindè, ſi Celſ. V. alijsque συνεργουμένοισ noſtris gratam hanc operam noſtrã intellexero, niſì Dn. Sainctez aut alius quis, quod mâlim, me anteuerterit, ſtatìm aliquandò Deo Opt. Max. opitulante, & Græcorum Liturgica in duos partiri Tomos, & poſtremò concordiam Græcorum cum Latinis in Liturgiæ præcipuis ritibus, vno volumine compræhendere. Vbì tamen priùs Tertulliani recognitionem perfecero, & tandèm

dèm aliquandò Hrabani opera in lucem prodièrint.

Cæterùm, quũ more antiquitùs obseruato, patronus aliquis aduersùs Zoilorũ aduersariorumq́; morsus, adsciscẽdus foret, animo semp obuersata est V. Cels Reuerendiß. Præsul, quippe cui præ alijs, pro authoritate summa & apud sanctiß. Dn. N. Pium papam V. & apud Regiam Catholicã Maiestatem, quæuis calumniarũ tela in ipsos authores retorquere non sit difficile: Præsertim, quum nulli non orbis angulo innotuerint Cels. V. eruditio, facundia, prudentia summa, in prosperis & aduersis animi fortitudo inuictißima, ac antiquitatis vniuersæ quædam κυκλοπαιδεια, in eruditos denique oẽs insignis beneuolentia. Omitto, quòd, tãtisper dum differo HRABANI Mauri dictã editionem iam nupèr V. Cels. consecratã, pro arrhabone quodã adimplendi aliquãdo ꝓmißi, visum fuerit operæpreciũ, immò pro purgãda mora tam longa necessarium, hoc quoquè opus T. Cels. inscribere, maximè quũ id ante menses cõplures satìs significâsse per literas Reuerend. Dn. Maximiliani MORILLONIJ Mechliniẽsis sedis vestræ Episcopalis Generalis Vicarij. Accedebant insupèr V. Cels. in me meamq́ue familiam beneficentiæ merita, quæ si non aliquo gratitudinis Symbolo agnoscerem, meritò ingratidinis argui posse videar. Postremò, alioquì huc propensum satìs, illud impulit, quòd nemini aptiùs nuncupare liceret nostra Liturgica, quàm illi, qui me Manusimpositione sacra sacerdotij sacrosanctæ munijs initiâsset, atque adeò ad Mysticæ Liturgiæ ministerium, idq́ue prima sua ab Archiepiscopatu suscepto Ordinatione, primum omnium presbyterum consecrâsset. Ego itaque, qui DEO auspice, iuxta quod hortatur Apostolus, attendo Lectioni, Exhortationi, Doctrinæ pro viribus, nè negligere videar gratiam mihi collatam cum impositione manuum presbyterij, cui alij, quæso, de talenti mihi commißi dispensatione (vt spero) non inutili, rationem reddam, si nõ illi, qui id mihi vice Christi summi Patrisfamiliâs cõcredidit? Vtinàm verò, vtinàm (inquam) depositum custodire, bonum

fidei

fidei & operum certamen certare, Confeßionem bonã quam coram multis testib⁹ confessus sum cõfiteri, seruare deniquè mihi liceat mãdatum sine macula irrepræhensibile vsque in Aduentum Domini nostri Iesu Christi.

Quod restat, Deus Opt. Max. Reuerendißime Cardinalis, & Prorex Illustriß. Cels. V. diù suæ Ecclesiæ & Reip. Christianæ seruet incolumem.

Brugis Flandrorum, ipsis D. Laurentij ferijs, anno à nato Christo 1571.

tiæ

R. ac Cels. V. deditißimus cliens

Iacobus Pamelius.

SACRIFI-

SACRIFICII MISSAE RITVS, PRIMI A VERBO INCARNATO SECVLI.

A CHRISTO OBSERVATA ET INSTITVTA SACRIFICII RATIO.

SACRIFICII CHRISTI FIGVRA.



NPRIMIS HVIVS Christi ſacrificij figura & typus fuit ſacrificium Melchiſedech, de quo in hæc verba liber Geneſeos: At verò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum, (erat enim Sacerdos DEI altiſsimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælũ & terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegẽte, hoſtes in manibus tuis ſunt. Id enim diſertis verbis regius ille Pſalmiſta Dauid commonſtrat, dicens: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Gen. 14. Pſal. 109.

ET Apoſtolus Paulus epiſtola ad Hebræos: Vbì, inquit, præcurſor pro nobis introijt Ieſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum. Hic enim Melchiſedech rex Salem, Heb. 6. & 7.

ſacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde regũ, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuiſit Abraham: primùm quidem qui interpretatur rex iuſtitiæ, deindè autem & rex Salem, quod eſt, rex pacis: ſine patre, ſine matre, ſine genealogia: neq; initium dierum, neq; finem vitæ habens, aſsimilatus filio DEI, manet ſacerdos in perpetuum.

ET paulò pòſt, ſacerdotium Melchiſedech diſtinguens à ſacerdotio Aaronis: Si ergò, ait, conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat, (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici? Tranſlato enim ſacerdotio, neceſsè eſt vt & legis tranſlatio fiat.

ET poſteà: Ampliùs adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundùm ſimilitudinẽ Melchiſedech exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundùm legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim, quoniam tu es ſacerdos in æternũ ſecundùm ordinem Melchiſedech.

ET iterùm: Alij quidem ſine iureiurando facti ſunt ſacerdotes, hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

ATQVI ſacrificium Melchiſedech typũ fuiſſe ſacrificij Chriſti, non illius quod in cruce à Chriſto oblatum eſt, cuius typus fuit Aaronis ſacrificium: ſed eius, quod patri in vltima cœna Chriſtus obtulit, atque adeò Miſſæ ſacrificij, teſtantur patres plerique tam Græci quàm Latini.

Stroma. lib. 4. INTER quos Clemens Alexandrinus: Melchiſedech, inquit, rex Salem, ſacerdos Dei altiſsimi, qui vinum & panem ſanctificatũ dedit nutrimentum, in typum euchariſtiæ.

Cyprian. Epiſt 63. D. quoquè Cyprianus epiſtola ad Cæcilium: Item in ſacerdote Melchiſedech, ſacrificij Dominici ſacramentum præfiguratũ videmus,

demus,secundùm quod scriptura diuina testatur & dicit:Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus, ex persona patris ad filium dicens: Ante luciferum genui te,tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui ordo vtiq; hic est,de sacrificio illo veniens & indè descendens,quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinũ obtulit, quòd Abrahã benedixit. Nam quis magìs sacerdos Dei summi,quàm Dominus noster Iesus Christus?qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat,id est, panem & vinum,suum scilicet corpus & sanguinem.

ET paulò pòst: Vt ergò in Genesi per Melchisedech sacerdotẽ benedictio circa Abraham posset ritè celebrari,pręcedit antè imago sacrificij Christi, in pane & vino scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit.

EVSEBIVS verò Cæsareensis: Et sanè oraculi exitus admirabilis ei, qui contempletur, quemadmodùm Saluator noster Iesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu, ea quæ ad sacerdotium in hominibus gerendum spectãt, per suos ministros perficiat. Nam qnemadmodùm ille qui sacerdos gẽtium erat, nusquàm videtur sacrificijs corporalibus functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit:ità sanè primus ipse Saluator ac Dominus noster,deindè qui ab ipso profecti sunt,sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale secundùm ecclesiasticas sanctiones sacerdotij munus obeuntes, vino ac pane & corporis illius & salutaris sanguinis mysteria repræsentant: quæ sanè mysteria Melchisedech tantò antè spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarũ imaginibus vsus fuerat,sicut etiam Moysi scriptura testificatur,vbì ait:Et Melchi- Euseb.de demõst. Euang.li. 5.c.3.

ſedech rex Salem protulit panes & vinum : Erat autem ſacerdos Dei altiſsimi,& benedixit Abraham.

Baſilius com. in Pſal.109. DIVVS etiam Baſilius: Quid eſt autem, inquit, ſecundùm ordinem Melchiſedech, niſi propter myſteria, quòd & ille Abrahæ panem & vinum obtulit?

Ambr.li. de Abrah.patriarcha c. 3. DIVVS Ambroſius quoq;: Melchiſedech, inquit, Abraham benedixit: Erat enim ſacerdos ſummi Dei. Quis eſt rex iuſtitię, ſacerdos ſummi Dei, niſì cui dicitur: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech? hoc eſt, Dei filius, ſacerdos patris, qui ſui corporis ſacrificio patrem noſtris repropitiauit delictis?

Idem in 5.c.ad Hebr. ET alibì expreſsiùs: Omnes ſub lege erant ſacerdotes. Chriſtus ſolus ſecundùm ordinem Melchiſedech ſacerdos, propter carnem quam aſſumpſit, aut propter victimam quam pro nobis offerebat, à nobis ſuſceptam, id eſt, carnem & ſanguinem ſuum, de qua victima ipſe in Euãgelio ait: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. (Ioan.6.)

AC paulò pòſt: Huius ordinem ſacrificij per myſticam ſimilitudinem Melchiſedech iuſtiſsimus (ſeu potiùs iuſtitiæ) rex inſtituit, quandò Domino panis & vini fructus obtulit. Conſtat enim, pecudum victimas perijſſe, quæ fuerunt ordine Aaron, non Melchiſedech: ſed hoc manere potiùs inſtitutum, quod toto orbe in ſacramentorum erogatione celebratur.

Chryſo. com. in Pſal.109. ITEM D. Chryſoſtomus: Quarè (inquit) dixit, Secundùm ordinem Melchiſedech? Propter ſacramenta, quòd ille quoquè panem & vinum obtulerit.

Hieron. epiſt. 17. ad Marcellam. NEC diſſentit D. Hieronymus: Recurre, inquit, ad Geneſim, & Melchiſedech regem Salem, huius principem inuenies ciuitatis: qui iam tunc in typo Chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in ſaluatoris ſanguine & corpore dedicauit.

Idem in Matth. c. 26. ET alibì: Poſtquàm typicum paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat: aſſumit panem, qui cõfortat cor hominis,

hominis,& ad verum paſchæ tranſgreditur ſacramentum, vt quomodò in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoquè veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret.

ET D. Epiphanius: Quandò Abraham fuit annorum 88. aut 90. plùs minùs, tunc Melchiſedech ipſi obuiàm venit, & propoſuit ipſi panes & vinum, myſteriorum ænigmata præfigurans & exemplaria, quum Dominus noſter dicat: Ego ſum panis viuens. Epiphan. hęs. cō. Melchiſedechianos. Ioan. 6.

DIVVS Auguſtinus pluribus etiam locis idipſum inculcat: nos apertiora duntaxàt producemus teſtimonia. Ibì quippe (inquit, Gen. 14.) primum apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturq́ue illud quod longè poſt hoc factum, per prophetam dicitur ad Chriſtum, qui fuerat venturus in carnem: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, non ſcilicet ſecundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illuceſcentibus rebus, quæ illis vmbris prænotabantur. Augu. de ciuit. Dei li. 16. c. 22.

ET iterùm: Deindè quod paulò pòſt dicit: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: quibus verbis immutabile futurum eſſe ſignificat, quod adiungitur: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech: ex eo, quòd iam nuſquàm eſt ſacerdotium & ſacrificium ſecundùm ordinem Aaron, & vbiquè offertur ſub ſacerdote Chriſto, quod protulit Melchiſedech, quandò benedixit Abraham, quis ambigere permittitur de quo iſta dicantur? Lib. 17. de ciuit. Dei, c. 17.

ET rurſum: In libro qui vocatur Eccleſiaſtes, vbì ait: Non eſt bonum homini, niſì quod manducabit & bibet, quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem menſæ huius pertinet, quam ſacerdos ipſe mediator Teſtamenti noui, exhibet ſecundùm ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo? Id enim ſacrificium ſucceſsit omnibus illis ſacrificijs veteris teſtamēti, quæ immolabantur in vmbra futuri, propter quod etiam vocē Idem de ciuit. Dei l. 17. c. 20. Eccēs 3.

illam in Psal. 39. eiusdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus aũt perfecisti mihi, quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.

Idẽ cõç. 1. in Psal. 33.

ET alibi latiùs: Erat autem, vt nôstis, sacrificium Iudæorum anteà secundùm ordinẽ Aaron in victimis pecorũ, & hoc in mysterio. Nondùm enim erat sacrificiũ corporis & sanguinis Domini, quod fideles nòrunt, & qui Euangeliũ legerunt, quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponite ergò vobis ante oculos duo sacrificia: & illud secundùm ordinem Aaron, & hoc secundùm ordinẽ Melchisedech. Scriptũ est enim: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternũ secundùm ordinẽ Melchisedech. De quo dicitur, Tu es sacerdos in ęternũ secundùm ordinẽ Melchisedech? De Dño nostro Iesu Christo. Quis erat Melchisedech? Rex Salem. Et tantus erat Melchisedech, à quo benediceretur Abraam. Protulit panem & vinum, & benedixit Abraam, & dedit ei decimas Abraam. Videte quid protulit ei, quem benedixit. Et dictum est ei posteà: Tu es sacerdos in æternũ secundùm ordinem Melchisedech. Dauid hoc in spiritu dixit longè post Abraam. Temporibus autem Abraę fuit Melchisedech. De quo alio dicit, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinẽ Melchisedech, nisi de illo, cuius nôstis sacrificium? Sublatum est enim sacrificium Aaron, & cœpit esse sacrificium secundùm ordinem Melchisedech. Notus est enim Dominus noster Iesus Christus, in corpore & sanguine suo voluit esse salutem nostram. Vndè autem commẽdauit corpus & sanguinẽ suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur.

Psal. 109.

Idẽ cõc. 2. in eundẽ Psal.

ET rursùs breuibus quidẽ, sed apertiùs: Coram regno patris sui mutauit vultũ suum, & dimisit eum, & abijt. quia erat ibì sacrificiũ secundùm ordinem Aaron, & posteà ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.

Hesychius

Hesychius etiam presbyter: Nullo modo, inquit, ignoras, quia Melchisedech oblationem & sacerdotium in panibus poßidebat. Propter quod & Abrahæ panes gerens & vinum, quæ erant signa eius sacerdotij, occurrit: gerebat enim imaginem Christi: de quo Dauid patrem exhibuit in Prophetia dicentem: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: cuius nunc & legislator hîc dignitatem, non solùm panum memoriam faciens, ostendit: sed & subsequentia verba, si eorum subtiliùs ordinem attendamus, hoc euidenter innuunt, quia sacerdotum sanctificatio ad Christum tendit, non solùm quia ab eo sacerdotij legem & modũ acceperunt, sed quia sacrificiorum quæ ab eis offeruntur, atque oblationum, ipse apud patrem mediator est. Hesych. li. 6.

EVCHERIVS quoquè Lugdunensis: Sine aliqua etiam sacerdotali genealogia homo extitit, ex hominibus, vtpotè non ex tribu Leui ortus, sed ex tribu Iuda: ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit: vtiquè propter mysteriũ sacramenti, quod Christianis celebrare præceptum est, vt non secundùm Aaron pecudũ victimas, sed oblationem panis & vini, id est, corporis & sanguinis sacramentũ in sacrificiũ offeramus. Ibi quippe primũ apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur DEO toto orbe terrarum: impleturq́; quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christũ, qui fuerat adhuc venturus in carnem: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, non scilicet secundùm Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis vmbris denotabantur. Eucheri⁹ Lugdun. lib. 2. in Gẽ. c. 18.

SIC etiam D. Damascenus: Pane & vino suscepit Melchisedech Abraham ex cæde alienigenarum reuertentem, qui erat sacerdos DEI altißimi. Illa mensa hanc mysticam præfigurauit mensam: velut & sacerdos ille, Christi veri sacerdotis figuram præ se ferebat & imaginẽ. Tu es, inquit, sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Hunc panem panes figurabant propositionis. Damasc. lib. 4. de orthod. fid. c. 14.

DIVVS

Iſid.lib.1. de offic. eccl.c.18.

DIVVS Iſidorus: Quod, inquit, ſacramentum Melchiſedech rex Salem figuraliter in typum corporis & ſanguinis Chriſti primus obtulit, primusq́; myſterium tanti ſacrificij imaginariè idem expreſsit, præferens ſimilitudinem Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſacerdotis æterni, ad quē dicitur: Tu es in æternum ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech.

PORRO Theodoretum qu.63.in Gen. Euthymium in Pſalm. 109. Theophylactum & Oecumenium in Epiſtolam ad Hebręos, aliosq́; mediæ ætatis Patres, compendij gratia prætermittimus.

R. Moſes Hadar.in c.14.Geneſ.

VNVM adijciemus teſtimonium veteris Iudæi R. Moſis Hadarſan, qui ità dictum locum interpretatur: Et Melchiſedech rex Salem produxit, vel protulit, vel obtulit panem & vinum, ità dicitur: Hic Melchiſedech erat Sem filius Noę. Et quid docet dicendum, cùm ait, Protulit vel produxit panem & vinum? Rabbi Samuel filius Nahman dixit, Sententias ſacerdotij tradidit. Erat enim ipſe ſacrificans panem & vinum Deo ſancto & benedicto, ſicut dictum eſt ibidèm: Et ipſe erat ſacerdos Dei altiſsimi. Locus quippe quandoq; iuſtificat habitatores ſuos.

ITEM paulò pòſt: Alius ſermo. Melchiſedech rex Salem. Hoc eſt quod ſcriptum eſt Pſalmo centeſimodecimo: Iurauit Deus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſuper verbum (id eſt, ſecundùm verbum, vel propter verbum) Melchiſedech. Et quis eſt hic? Hic eſt iuſtus & ſaluator rex Meſsias, ſicut dictū eſt Zach. nono capite: Eccè rex veniet tibi iuſtus & ſaluator. Et quid docet dicendum, cùm dicit, Obtulit panem & vinum? Hoc eſt, àc ſi diceret, quod ſcriptum eſt Pſal.71. Et erit placenta tritici in terra. Et hoc eſt quod dictum eſt: Et ipſe erat ſacerdos Dei altiſsimi.

PROPHETIAE DE SACRIFICIO CHRISTI.

PRIMO

PRimo loco occurrit id, quod cæteris eſt manifeſtius, Malachiæ Prophetæ teſtimonium: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum,& munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Quod de ſacrificio corporis & ſanguinis Domini diſertis verbis veteres interpretantur. Malac. 1.

ITA D. Iuſtinus Martyr iuxta Gelenij verſionem. Quapropter de ſacrificijs veſtris quæ tunc offerebatis, ſic loquitur Deus, vt ſuprà dixi, per Malachiam vnum è duodecim: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus: & munus non accipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomẽ meum in gentibus, & in omni loco adolentur odoramenta nomini meo, victimæque puræ, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, vos autem polluiſtis illud. Cæterùm de ſacrificio quod offertur in omni loco à nobis gẽtibus, id eſt, Euchariſtię tum pane, tum poculo, ibidèm prædicit, dicens: Nos clarificare nomen eius, quod vos prophanatis. Iuſt dial. contra Tryph.

ET infrà de Ieſu ſacerdote loquens, ſubdit: Si nos & ij qui Ieſu nomine, vt vnus homo omnes futuri ſumus propter rerum omnium parẽtem Deum, vnigeniti eius filij nomine ſordidis veſtibus, id eſt, peccatis exutis & detractis, illius vocationis verbo inflammati & incenſi, Pontificium ſacerdotaleque verum genus ſumus, vt etiam DEVS ipſe teſtis eſt, qui ait: In omni loco in gentibus hoſtias acceptas gratasque immolari. Neque verò à quoquam hoſtias Deus accipit, niſi à ſuis ſacerdotibus. Itaque omnia ſacrificia quæ ſuo nomine facienda Ieſus Chriſtus tradidit, id eſt, in Euchariſtia panis & poculi, quæ in omni loco à Chriſtianis fiunt, præoccupatione vſus Deus, ſibi grata eſſe teſtatur. Quæ verò à vobis veſtriſque illis ſacerdotibus fiunt, improbat his verbis: Sacrificiaque

vestra è manibus vestris non accipiam: quòd ab oriente sole ad occidentem, nomen meum gloria affectum est, ait, in gentibus: Vos autem illud detestamini. Vos adhuc studio concertandi hoc dicitis, ea sacrificia quæ Hierosolymis temporibus Israelitarum, qui tum illic habitabant, fierent, Deum non approbare: preces autem illius generis hominum, qui tum dispersi essent, eundem sibi acceptas esse dixisse, eorumque preces sacrificia vocare: Preces quidem & gratiarum actiones bonorum, perfectas solas esse, & Deo gratas hostias, ego quoquè concedo. εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι τέλειαι μόναι καὶ εὐάρεστοί εἰσι τῷ θεῷ θυσίαι. Hæc em̃ sola facienda acceperunt Christiani in aridi humidique sui cibi commemoratione: in quo etiam mortis, quam per se perpessus est Deus Dei filius, memoria recolitur: cuius vt nomẽ in om̃i terra cõtaminaretur, & dedecore afficeretur, sacerdotes doctoresq; perfecerũt.

Iren. contra heres. li. 4. c. 32. 33. & 34.

ET Irenęus: De quo in duodecim prophetis Malach. sic præfigurauit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens. Et sacrificium non accipiam de manibus vestris: quoniam ab ortu solis vsque ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo & sacrificium purum.

ET cap. 34. eiusdem subiungit: Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dñs docuit offerri in vniuerso mũdo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei, nõ quòd indigeat à nobis sacrificio: sed quoniã is, qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus eius. Quoniã igitur cũ simplicitate Ecclesia offert, iustè munus eius purum sacrificium apud Deum deputatum est. Oportet enim nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inueniri fabricatori DEO, in sententia pura, & fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione feruenti, primitias earum, quæ sunt eius, creaturarum offerentes. Et hanc oblationem Ecclesia sola purã offert fabricatori, offerens ei cum gratiarũ actione ex creatura eius.

eius. Iudæi autem iam non offerunt. Manus enim eorum ſanguine plenæ ſunt: non enim receperunt verbum, per quod offertur Deo.

ET Tertullianus: Vt pariter concurreret & Malachiæ (ſic enim lego, pro eo quod corruptè eſt, Micheæ) prophetia: Non eſt voluntas mea, dicit Dominus, & ſacrificia veſtra non accipiam, quoniam ab ortu ſolis vſque in occaſum nomen meum glorificatum eſt (nam & ſic lego: pro, gloriatum) in nationibus, & in omni loco ſacrificium meo nomini offertur, & ſacrificium mundum, Gloriæ ſcilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni. Quæ omnia quum in te quoquè depræhendantur, & ſignaculum frontium, & Eccleſiarum ſacramenta, & munditiæ ſacrificiorum, debes etiam erumpere vtì dicas, ſpiritũ creatoris tui Chriſto prophetâſſe. Tertul. li. 3. contra Marc.

D. Cyprianus etiam: Quòd ſacrificium vetus euacuaretur, & nouum celebraretur, apud Malachiam: Non eſt mihi voluntas circa vos, dicit Dominus, & ſacrificium acceptum nõ habebo ex manibus veſtris: Quoniam à ſolis ortu vſq; ad occaſum, glorificatum eſt nomen meum apud gentes, & in omni loco odores incenſi offeruntur nomini meo, & ſacrificium mundum, quoniam magnum eſt nomen meum apud gentes, dicit Dominus. Cypr. lib. Teſt. aduerſ. Iud. 1. c 16.

EVSEBIVS item Cæſareenſis: Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, nomen meum glorificatum eſt in gentibus, & in omni loco incẽſum offertur nomini meo, & hoſtia munda. Sacrificamus igitur Deo altiſſimo ſacrificium laudis. Sacrificamus Deo plenum & horrorem afferens & ſacroſanctum ſacrificium, ſacrificamus nouo more, ſecundùm nouum Teſtamentum, hoſtiam mundam. At ſacrificiũ Deo, ſpiritus contritus dictus eſt. Cor igitur contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Iamque etiam incendimus propheticum illum odorem in omni loco, & offerimus ei benè olentem fructum omni virtute abundantis Theologię, hocipſum orationibus ad eum directis facientes. Quod ſanè ipſum alius quoquè docet propheta, qui ait: Fiat oratio mea ſicut incenſum in con- Euſ. de. monſtr. Euãg. lib. 1. c 10. Pſal. 140.

ſpectu tuo. Igitur & ſacrificamus & incendimus, aliâs quidem memoriam magni illius ſacrificij, ſecundùm ea, quæ ab ipſo tradita ſunt, myſteria celebrantes, & gratias Deo pro ſalute noſtra agentes, religioſoſque hymnos & orationes ſanctas illi offerentes: aliâs noſipſos totos ei conſecrantes, eiusque Pontifici, ipſi vtiquè Verbo, corpore animoque dicantes.

Chryſ. cõm. in Pſal. 95.

D. Chryſoſtomus quoquè: Non eſt mea voluntas in vobis, dicit Dominus &c. Vide quàm luculenter, quamque dilucidè myſticam interpretatus eſt menſam, quæ eſt incruenta hoſtia. Thymiama verò purum appellat ſacras preces, quæ poſt hoſtiam offeruntur. Hic enim ſuffitus Deum refocillat, non is qui à terrenis radicibus ſumitur, ſed qui à puro corde exhalatur. Vides vt vbiquè locorum conceſſum eſt angelicum illud ſacrificium inclareſcere? Vides nullis finibus circunſcriptum neque altare, neq; canticum? In omni loco thymiama offertur nomini meo. Eſt igitur hoſtia pura, prima quidem myſtica menſa, cæleſte ſummeque venerandum ſacrificium.

Hier. cõ. in Malac. proph.

NEQVE verò D. Hieronymus diſſentit, dum oblationẽ mundam interpretatur in cæremonijs Chriſtianorum.

Auguſt. lib. 18. de ciuit. Dei ca. 35.

D. certè Auguſtinus frequentiſs. eſt in hac explicandi forma: Malachias (inquit) prophetans Eccleſiam, quam per Chriſtum iam cernimus propagatam, Iudæis apertiſsimè dicit ex perſona DEI: Non eſt mihi voluntas in vobis &c. Ab ortu ſolis &c. Hoc ſacrificium per ſacerdotium Chriſti, ſecundùm ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu vſque ad occaſum Deo iam videamus offerri: ſacrificium autem Iudęorum, quibus dictum eſt: Non eſt mihi voluntas in vobis, nec accipiam &c. ceſſaſſe, negare non poſsunt: quid adhuc expectant alium Chriſtum, quum hoc quod prophetatum eſt, legunt, & impletum vident, impleri non potuerit, niſì per ipſum?

Idẽ orat. cõtra Iu-

ET alibì: Quid ad hęc reſpondetis? Aperite oculos tandèm aliquan-

quandò & videte, ab oriente sole vsque ad occidentem, non in vno (sicut vobis constitutum fuerat) loco, sed in omni loco offerri sacrificium Christianorum, non cuilibet Deo, sed ei qui ista prędixit, Deo Israel. dę.ca.9.

THEODORETVS sic etiam explicat hunc locum: Nam omnium (inquit) habitatores terrarum, quas sol exoriens & óccidens suis radijs illustrat: cùm vbiquè incensum offerent, tum etiam sacrum purum & mihi gratum conficient. Theod. cõm. in Malach. proph.

DAMASCENVS deniquè: Hæc est pura scilicet hostia & incruenta, quam ob ortu vsque ad occasum sibi offerri per Prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & sanguis Christi. Damasc. lib. 4. de orth. fid. cap. 14.

Prou. 9.

SECVNDO se offert loco illud Salomonis: Sapientia ædificauit sibi domum, excídit columnas septem, immolaoit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis. Si quis paruulus est, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Cyp. epist. 63. ad Cęcilium.

VSQVEADEO enim hunc locum de Christi sacrificio interpretatur Cyprianus, vt etiam indè probet, in eo vinum aqua misceri debere. Sed & per Salomonem (inquit) Spiritus sanctus typum Dominici Sacrificij antè præmonstrat, immolatæ hostiæ & panis & vini, sed & altaris & Apostolorum faciens mentionem: Sapientia (inquit) ædificauit sibi domum, & subdidit columnas septem. Mactauit suas hostias, miscuit in cratera vinum suum, & parauit mensam suam. Et misit seruos suos, conuocans cum excelsa prędicatione ad craterem, dicens: Qui est insipiens, declinet ad me. & egentibus sensu dixit: Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Vinum mixtum declarat, id est, calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce prænunciat: vt appareat in paßiõe Dñica id esse gestũ, quod fuerat antè prædictum. Prou. 9.

Idem lib. Test. 2. adu. Iud. cap. 2.

IDIPSVM rursùm alibì inculcat in hæc verba: Quod Sapientia DEI Christus, & de Sacramento incarnationis eius, & passionis, & calicis & altaris, & Apostolorum qui missi prædicauerunt, apud Salomonem in parœmijs: Sapientia ædificauit sibi domum &c.

Aug. l. 17. de ciuit. Dei, c. 20.

NON absimile est quod habet D. Augustinus: Sapientia ædificauit sibi domum, & fulsit columnas septem, immolauit suas victimas, miscuit in cratere vinum suum, & parauit mensam suam. Misit seruos suos, conuocans cum excellenti prædicatione ad craterem, dicens: Qui est insipiens, diuertat ad me. Et inopibus sensu dixit: Venite, manducate de panibus meis, & bibite vinum quod miscui vobis. Hîc certè (inquit) agnoscimus Dei sapientiam, hoc est, verbũ patri coæternũ, in vtero virginali domum sibi ædificâsse corpus humanum, & huic tanquàm capiti membra Ecclesiam subiunxisse, martyrum victimas immolâsse, mensam in vino & panibus præparâsse, (vbì appáret etiam sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech) insipientes & inopes sensu vocâsse: quia sicut dicit Apostolus, Infirma huius mundi elegit Deus, vt confunderet fortia. Quibus tamen infirmis, quod sequitur, dicit: Derelinquite insipientiam, vt viuatis: & quærite prudẽtiam, vt habeatis vitam. Participem autem fieri mensæ illius, ipsum est incipere habere vitam.

1. Cor. 1.

Hier. cõ. in Prou. cap. 9.

ITEM quod D. Hieron. seu potiùs Beda in huius loci commẽt. In pane, inquit, corporis ipsius: in vino mixto, sanguinis sacrosancti mysterium, quo in altari, mensa videlicet eius, satiamur, ostenditur. Immò & veteres Iudæos sic intellexisse hunc locum testatur R. Moses Hadarsan loco citato.

1. Reg. 2.

OCCVRRIT præterea prophetia viri Dei ad Heli Sacerdotẽ: Et suscitabo mihi sacerdotẽ fidelem, qui iuxta cor meum & animam meã faciet: & ædificabo ei domũ fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. Futurum est autem, vt quicunque

que remanſerit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum & tortam panis, dicatque: Dimitte me, obſecro, ad vnam partem ſacerdotalem, vt comedam buccellam panis.

HANC enim Chriſti ſacrificio adplicat D. Cyprianus. Quòd ſacerdotium (inquit) vetus ceſſaret, & nouus ſacerdos veniret, qui in æternum futurus eſſet, in Pſal. 109. Ante luciferum genui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Item in βασιλείων primo Deus ad Heli: Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui om̄ia quę ſunt in corde meo, faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & trāſibit in conſpectu Chriſtorum meorum omnibus diebus: & erit, qui remanſerit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniæ & in pane vno. Cypr. lib. Teſt. 1. adu. Iud. cap. 18.

ITEM D. Auguſt. Figuratè (inquit) pertinebat hæc prophetia ad nouum ſacerdotiū, tam facto etiam ipſo, quàm verbo. Et paulò pòſt: Vigilet fides, præſtò ſunt res, cernuntur, tenentur, & videre volentium oculis ingeruntur. Eccè dies qui pronunciati ſunt, iam venerunt. Nullus ſacerdos eſt ſecundùm ordinem Aaron. Et quicunque ex eius genere eſt homo, cùm videt ſacrificium Chriſtianorum toto orbe pollere, ſibi autem honorem illum magnum eſſe ſubtractum, deficiūt oculi eius, & defluit anima eius tabe mœroris. Ac poſteà: Quod autem ſequitur, ad illum iam pertinet ſacerdotem, cuius figuram geſsit huic ſuccedendo Samuel. Proindè quæ ſequuntur, de Chriſto Ieſu noui teſtamenti vero ſacerdote dicuntur. Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem &c. Quod autem ait, coram Chriſto meo tranſibit, de ipſa domo vtiquè intelligendum eſt, non de ſacerdote qui eſt Chriſtus. Domus ergò eius coram illo tranſibit. Et deincèps adiunxit: Veniet adorare ei obolo argenti. Cui adorare, niſi illi ſummo ſacerdoti, qui & Deus eſt? Neq; enim in illo ſacerdotio ſecundùm ordinem Aaron, ad hoc veniebant ho- Aug. l. 17. de ciuit. Dei cap. 5.

homines ad templum vel altare D E I, vt ſacerdotem adorarent.

A c ſub finem: Quod ergò addidit, Manducare panem: etiam ipſum ſacrificij genus elegãter expreſsit, de quo dicit ſacerdos ipſe: Panis quem ego dedero, caro mea eſt, pro ſeculi vita. Ipſum eſt ſacrificium, non ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſecũdùm ordinem Melchiſedech &cętera. quod eſt in nouo Teſtamento ſacrificium Chriſtianorum. Quę expoſitio ità placuit etiam D. Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi, vt illud D. Auguſtini ad verbum alicubì tranſcripſerit.

Ioan. 6.

Iſaiæ 33.

P o r r o D. Iuſtinus martyr etiam locum illum Iſaię huc accommodat: Panis ei dabitur, & aqua eius fidelis. pro quo noſtra habet verſio: Panis ei datus eſt, & aquę eius fideles. Illud enĩ (inquit) perſpici poteſt, in hac etiam prophetia de pane fieri mentionem, quem nobis Chriſtus noſter conficiẽdum tradidit, vt corpus eum factum eſſe recordaremur, eorum cauſa qui in ipſum credunt, propter quos etiam patibilis extitit. Et de poculo, quod recolẽdi ſanguinis ſui cauſa conficiẽdum, gratias agentibus tradidit.

Iuſt. mar. Dialogo cum Tryphone.

Eodèm etiam alludit D. Cyrillus Alexandr. in hęc verba: Huic ergò in hac petra habitãti dabitur panis, & ſuppeditabitur aqua fidelis. Habitantibus nanqne in Eccleſia panis vitę Chriſtus datur à DEO & patre, & aqua fidelis, ſacroſãncti nimirùm baptiſmatis.

Cyrill. in Iſai. c. 33.

I l l v d etiam Pſalmi: Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi, D. Auguſtinus de ſacrificio Chriſti explicat. Sacrificia ergò illa (inquit) tanquàm verba promiſsiua, ablata ſunt. Quid eſt quod datum eſt completiuũ? Corpus quod nôſtis, quod non omnes nôſtis, quod vtinàm qui nôſtis omnes, non ad iudicium noueritis. Videte quandò dictum eſt. Chriſtus enim ille eſt Dominus noſter, modò loquens ex membris ſuis, modò loquens ex perſona ſua: Sacrificium (inquit) & oblationem noluiſti. Quid ergò? Nos iam hoc tempore ſine ſacrificio dimiſsi ſumus?

Augu. in Pſal. 39.

Ab

Abſit. Corpus autem perfeciſti mihi. Ideò illa noluiſti, vt hoc perficeres: illa voluiſti, antequàm hoc perficeres. Perfectio promiſſorum abſtulit verba promittentia. Nam ſi adhuc ſunt promittentia, nondùm impletum eſt, quod promiſſum eſt. Hoc promittebatur quibuſdam ſignis: ablata ſunt ſigna promittentia, quia exhibita eſt veritas promiſſa. In hoc corpore ſumus, huius corporis participes ſumus: quod accipimus, nouimus: & qui non nôſtis, noueritis: & cùm didiceritis, vtinàm nó ad iudicium accipiatis. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Ioan. 6.

ANTE illum quoquè D. Chryſoſt. Aduentu ſuo, inquit, cultum victimarum reiecturus erat, vt nè ampliùs ille acceptus eſſet, ſed noſtrum illud ſacrificium admitteretur. Accipe quomodò & hoc prædictum ſit: Sacrificium & oblationem noluiſti, &c. Chryſoſt. hō. quod Chriſt. ſit Deus.

Et rursùm: Quænam, inquit, ſacrificia & quáſnã oblationes noluiſti? Legales videlicet. Quæ eſt autem veritas, quam pro vmbra volebat? Chriſti ſacrificiũ. Et propterea dicit: Corpus auté perfeciſti mihi, ſignificans carnem Domini quam ex ſanctiſs. & Deipara Maria perfecit. Com. in Pſal. 39.

PLVRES liceret eiuſcemodi prophetias ex veteribus in mediũ proponere: ſed quòd minùs ad inſtitutum facere videantur, tum nè prolixiores ſimus, prætermittimus. Libet tamen illud Pſalmi adijcere iuxta veritatem Hebraicam: Et erit placenta frumenti in capite montium: pro eo quod LXX. verterunt: Et erit frumentũ in terra in ſummis montium. Quod multo expreſsiùs vertit Chaldæus paraphraſtes R. Ionathas: Et erit ſacrificium panis in terra in capite montiũ Eccleſiæ: alter verò R.* Atzilas: Et erit panis ſubſtantificus in terra &c. Pſal. 71. * Akilas

HOC autem de iſto Chriſti ſacrificio diſertis verbis interpretati ſunt veteres Rabini Iudæorum, iuxta quod citantur à Porceto de victoria verbi DEI contra Hebr. part. 1. c. 21. & poſt eum à Petro Galatino (qui haud dubiè non ſententiam modò, ſed & verba ipſa

Porceti in suum opus transcripsit, & stylo suo expoliuit) de arcan. Cathol. verit. lib. 10. c. 4. Nos, omissis alijs, apertiora duntaxàt adferemus testimonia.

R. Berachias

IN libro qui inscribitur, Midras Coheleth, id est, in exposit. Ecclesiastis ad illud, Quid est quod fuit, ipsum est quod erit, sic legit: Rabbi Berachias in nomine R. Ishac dixit: Quòd queádmodùm fuit redemptor primus, id est, Moses, ità erit redemptor vltimus. Sicut enim redemptor primus fecit descédere manna, sicut dictum est Exod. 16. cap. Eccè ego pluam vobis panem de cælo: ità quoquè redemptor vltimus, id est, Messias, erit placenta frumenti in terra, iuxta dictum illud Psalmi.

R. Ionathas chaldæus paraphrastes.

ET in libro quem Collectionum vocant, dicit Chaldea translatio, scilicet Rabbi Ionathę: Et erit sacrificiũ panis in terra in capite montiũ Ecclesię. Videat qui oculos habet, quod dictum est. Ille est Messias, de quo totus loquitur Psalmus. Cùm ergò ait, Et erit placenta fruméti in terra in capite montiũ: vult dicere, ꝙ placenta panis fiet sacrificiũ in capitibus sacerdotum, qui sunt in Ecclesia.

R. Moses Hadarsan in cap. 39. Gen.

ITEM R. Moses Hadarsan, citans illud Osee 11. Et inclinabo ad eum cibum, id est, (inquit) submittã ad eum cibum bonũ, suauem, & magnum, cui nõ est alius similis, de quo dictũ est Psal. 72. Et erit placenta frumenti, vel frustum panis in terra.

Nicol. Lyr. in Psal. 71.

NEQVE verò noua est hæc expositio, quum iam olìm Nicolaus Lyranus in scriptis Rabinorum versatissimus, nõ modò hanc ipsorum translatiõem citet, & de hoc sacrificio interpretetur, sed etiam putet legendum iuxta LXX. Et erit frumentũ, pro eo, quod est, firmamentum. Cui etsi in hoc postremo non adsentiar, quia Græca vox στήριγμα, Latinè firmamétum sonat: hanc tamen tanquàm veram ex Hebręo versionem amplector, eò magìs, quòd hoc loco firmamentum, pro pane possit accipi, iuxta illud Psalmi: Et omne firmamentum panis contriuit. Confirmat enim panis cor hominis, iuxta alium Psalmistæ locum.

Psal. 104. & 103.

Ipsum

IPSVM CHRISTI SACRIFICIVM.

COENANTIBVS autem eis, (inquit S. Matthęus Euāgelista) accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omēs. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico aūt vobis, nō bibam amodò de hoc genimine vitis, vsq; in diem illū, quum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei. Matt. 26.

ET manducantibus illis, (inquit S. Marcus Euangelista) accepit Iesus panem, & benedicens, fregit & dedit eis, & ait: Sumite, Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis. Et biberūt ex illo omnes. Et ait illis: Amen dico vobis, quòd iam non bibam de genimine vitis, vsq; in diem illū, quum illud bibam vobiscum nouum in regno Dei. Marc. 14.

ET quum facta esset hora, (inquit B. Lucas Euangelista) discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequàm patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non mãducabo illud, donèc impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donèc regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicēs: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicē, postquàm cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur. Luc. 22.

EGO enī accepi à Dño, (inquit Paulus Apostolus) quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate. Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. (siue, vt Græcè 1. Cor. 11.

est, frangitur) Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquàm cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunquè bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunquè enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donèc veniat.

DICTO RITV CHRISTVS SACRIFICIVM DEO PATRI OBTVLIT.

Cypr. Epistola 63. ad Cæcil.

ADMONITOS nos scias, (inquit D. Cyprianus) vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neq; aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit. Et post narrata verba prædicta D. Pauli, aliquantò pòst: Si in sacrificio quod Christus obtulit, nó nisì Christus sequendus est, vtiquè id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit.

ET rursùs: Nam si Iesus Christus DEVS & Dominus noster, ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in suî commemoratioñé præcepit, vtiquè ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur: & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secũdùm quod ipsum Christum videat obtulisse.

ET paulò pòst: At enim non manè, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Nunquìd ergò Dominicum post cœnã celebrare debemus, vt sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, vt hora ipsa sacrificij ostenderet occasum & vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est: Et occídent illum omne vulgus synagogę filiorum Israel ad vesperam.

Euseb. Cæsarien. de

POST omnia (testatur Eusebius Cæsareensis) quasi mirabilem quandam

quandam victoriam sacrificiumq; eximiũ patri suo operatus pro nostra omnium salute obtulit, eiusq; rei memoriam, vt nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituit. Hoc etiam prophetarum præcipuus Dauid, qui quod futurum erat, spiritu suo diuino præuiderat, vaticinatus est, vbì ait: Expectans expectaui Dominum, & intẽdit mihi, & exaudiuit precem meam: & sustulit me de lacu miseriæ & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos: & immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Quod porrò sit hoc nouum canticum, declarat deincèps, vbì ait: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autẽ perfecisti mihi: holocausta & pro peccato, non probâsti: tunc dixi, Eccè venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem Deus voluntatem tuam, volui. & adiungit: Annunciaui iustitiam in Ecclesia magna. Sic planè docens, pro antiquis sacrificijs & holocaustis, Christi aduentũ per assumptionem humani corporis, eiusq; corpus perfectum, Deo oblatũ esse, ipsumq; hoc Ecclesiæ suæ nũciat cum gaudio tanquàm ingens mysterium, quod prophetica voce in capite libri propositum expressumq; sit. Quum ergò huius sacrificij memoriam, signis quibusdam in mensa celebrandam, corporisq; item illius, salutarisq; sanguinis, vt noui testamenti institutum habet, acceperimus, rursùs à Propheta Dauid instruimur ad dicendum: Parâsti in conspectu meo mensam contra eos qui affligunt me: Pingue fecisti in oleo caput meum, & calix tuus inebriãs quàm præstantissimus. Palàm igitur in his mysticam significat vnctionem & horrorem afferentia mensæ Christi sacrificia: quibus operantes, incruentas & rationales, eiq; suaues victimas, in tota vita supremo Deo offerre, per eminentissimum omnium ipsius Pontificem edocti sumus. Hoc ipsum quoquè Propheta Isaias mirabiliter, diuino spiritu indicante, prouidit, & antequam fieret, prædicauit. dicit igitur sic: Domine Deus meus, glorificabo te, laudabo nomen tuum, quoniam fecisti res mirabiles. Et quænam hæ sint res

monstr. Euang. li. 1. c. 10.

Isa. 25. iuxta LXX.

mirabiles, planè deincèps oſtẽdit, dicens: Faciet Dominus Sabaoth conuiuium omnibus gẽtibus: bibent lætitiam, bibent vinũ, vngentur vnguento: trade hæc omnia gentibus. Conſiliũ enim hoc in oẽs gentes. Huiuſmodi ſanè erant Iſaiæ mirabilia, quæ bonæ cuiuſdam fragrãtiæ, vnguentiq́; vnctionem, non Iſrael, ſed omnibus gentibus promittebant: ex quo non immeritò propter vnguẽti vnctionem, Chriſtianorum appellationem conſecutæ ſunt: ſed vini quoquè lætitiam gentibus vaticinatur: in eo noui Teſtamẽti, quod à Chriſto conditum eſt, myſteriũ ſubobſcurè ſignificans, quod ſanè apud omnes gentes in præſenti tempore perſpicuè celebratur. Et paulò antè, cùm de gentibus & Iudęis ad Chriſtum conuerſis ageret, Meritò ſanè, inquit, quandò illius memoriam, corporisq́; eiuſdem & ſanguinis recordationem quotidiè celebrant, & ad longè præſtantius & ſacrificium & munus aſſumpti ſunt, quàm illud antiquius fuerit.

Gregorius Nyſs. ora. de reſurr. PRO ineffabili (inquit D. Gregorius Nyſſ.) arcanoq́; & qui ab hominibus cerni nequit, ſacrificij modo, ſua diſpoſitione & adminiſtratione præoccupat impetum violentum, ac ſeſe oblationẽ ac victimã offert pro nobis ſacerdos ſimul & agnus Dei, qui tollit peccatũ mundi. Quandò hoc accidit? Quum ſuum corpus ad comedẽdum, & ſanguinẽ ſuum familiaribus exhibuit ad bibendũ. Cuilibet enim hoc perſpicuũ eſt, quòd oue homo veſci non poſsit, nisì mactatio comeſtionẽ præceſſerit. Qui igitur dedit Diſcipulis corpus ſuum ad comedendum, apertè demonſtrat, iam perfectam & abſolutam factam eſſe immolationem.

PAVLÒ pòſt: Quum itaq; de corpore ſuo ad edendum, & de ſanguine ſuo ad bibendum præberet diſcipulis, iam latẽter pro poteſtate myſterium adminiſtrantis, ineffabiliter & inuiſibiliter corpus immolatum erat.

Chryſoſt. hom. 83. in Matth. HAC de cauſa (D. Chryſoſt. teſte) deſiderio deſideraui (inquit Dominus) hoc paſcha vobiſcũ comedere, hoc eſt, tradere vobis res

nouas

nouas & Pascha dare, quò vos spirituales faciam: Ipse quoquè bibit ex eo, nè auditis verbis illis diceret: Quid igitur sanguinē bibimus, & carnē comedimus? ac ideò perturbarētur. Nam & quandò priùs de his verba fecit, multi solummodò propter verba scandalū passi sunt. Nè igitur tunc id quoquè accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animò ad communicationem mysteriorum induceret. Quid * porrò vetus quoquè illud, inquies, facere oportet? minimè: ideò enim, Hoc facite, dixit, vt ab illo abduceret. Prætereà si remissionē hoc peccatorū facit, sicut certè facit, superuacaneū illud omninò est. Sed sicut in veteri, eodem hîc modo in beneficio reliquit, & memoriā mysteriorum colligauit, etiam hinc hæreticorū ora frenando. Nam quandò dicūt, vndè patet immolatū Christū * fuisse, præter alia multa, hæc etiam mysteria afferentes, ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum aut signū hoc sacrificium est? Vides quantum ei studiū fuerit, vt semper memoria teneamus, pro nobis ipsum mortuum fuisse. Nam quoniam Marcion, Valentinus, Manichæus, eorumq; sequaces, negaturi erāt hanc dispensationem, in memoriam passionis per hoc semper ità reducit mysterium, vt nemo non insanus seduci posſit. Ità per sacratissimam istam mensam & saluat, & docet: hoc enim caput bonorum omnium est.

Ioan. 6.

*porrò?

*fuisse?

ET in veteri quidem Testamēto, (inquit idem Chrysost.) cùm imperfectiores essent, quem idolis offerebant sanguinem, eum ipse accipere voluit, vt ab idolis eos auerteret. Quod etiam inenarrabilis amoris signum erat. Hîc autem multo admirabilius & magnificentius sacrificium præparauit, vt quum sacrificiū ipsum commutaret, & pro brutorum cæde seipsum offerendum præciperet.

Idē hom. 24. in 1. ad Cor.

ET paulopòst: Sed quarè addit, Quē frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minimè, sed omninò contrà: Os eñ eius non conteretur. Sed quod in cruce passus nō est, id in oblatione patitur: propter te frangi sustinet, vt omnes satiet.

Exod. 12. Num. 9.

Vidimus

Ambros. in Psal. 38 VIDIMVS (ait Ambrosius ad illud psalmi, Quãquàm in imagine ambulet homo) principem sacerdotum ad nos veniẽtem: vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinẽ suum: sequamur, vt possumus, sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium: etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quandò Christi corpus offertur. Immò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur.

Aug. lib. qu. 83. quæst. 61. IPSE est etiam sacerdos noster (adserit D. August.) in ęternum secundùm ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustũ pro peccatis nostris, & eius sacrificij similitudinem celebrandam in suæ pasionis memoriam commendauit: vt illud quod Melchisedech obtulit Deo, iam per totum orbem terrarũ in Christi Ecclesia videamus offerri.

Hesych. in Leuit. cap. 4. Hesychius etiam Presbyter hocipsum attestatur: Ponere, inquit, eum manum super caput vituli, & iugulare vitulum pręcepit: nemo enim illum obtulit, sed nec immolare poterat, nisì semetipsum ipse ad patiendum tradidisset. Propter quod nõ solùm dicebat, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam: sed & præueniens, semetipsum in cœna Apostolorum immolauit: quod sciunt, qui mysteriorum percipiũt virtutem. Hunc sacerdotem LXX. non solùm vnctum siue linitum, sed & consummatum manibus appellauerunt: consummatus est enim manibus priùs in mystica cœna, accipiens panem & frangens: deindè per crucem, quandò ligno affixus est. Tunc sacerdotij suscipiens dignitatem, vel potiùs quum semper habuerit, tunc opere explens, etiam hoc quod pro nobis erat, sacrificium consummauit.

Ioan. 10.

ET rursùm: Immolabitq; eum. Ipse enim propriã carnem immolauit, ipse sui sacrificij Pontifex in Sion factus est, quandò sanguinis noui testamenti dabat calicem.

QVIA etiam Christus (inquit apud Oecumen. Photius) sine sanguine hostiam obtulit, deindè postmodùm suum ipsius etiam corpus: propterea aptè dictum est, Christum esse sacerdotem secũdùm ordinem Melchisedech. Oecum. in 5. c. Epist. ad Hebr.

HOC ergò (Isidoro attestante) sacrificium Christianis celebrare præceptum est, relictis ac finitis Iudaicis victimis, quæ in seruitute veteri populo celebrari imperatæ sunt. Hoc itaq; fit à nobis, quod pro nobis Dominus ipse fecit, quod non manè, sed post cœnã sub vesperam obtulit. Sic enim Christum oportebat id implere circa vesperam diei, vt Dominus hora ipsa sacrificij ostenderet vesperam mundi. Isid. l. 1. de Ecc. offic. 18.

CVM benedictione enim (Hrabano teste) & gratiarum actione primùm Dominus corporis & sanguinis sui sacramenta dedicauit, & Apostolis tradidit. Hrab. de inst. cler. l. 1. c. 32.

IPSVM nanq; corpus (inquit Rupertus) quod occisum est ab impijs, ipsum eundem sanguinem, qui in cruce fusus est, ipse tunc sempiternus sacerdos obtulit. Rupert. l. 5. de diui. off. c. 15.

DICTIS VERBIS, HOC FACITE: CHRISTVS SACRIFICIVM HOC DEINCEPS OFFERENDVM INSTITVIT.

Luc. 22. 1. Cor. 11.

FACERE, pro sacrificare, non modò apud Ethnicos vsitatũ est, (vt verbi gratia apud Plautum in Asinaria: O fides, mulsi plenam faciam tibi fideliam. & Virgilium Buc. ecl. 3. Quum faciã vitula. ac Ciceronem pro Murena, Iunonis sospitæ, cui omnes cõsules facere necesse est) sed & in sacris literis. Hinc illud quod proximè huc spectat, facere Phase Domino: quod ipsum Christus, facere seu fieri Pascha, dixit: pro quo alij Euangelistæ, immolari seu occídi Pascha, verterunt. Hinc & illud, facere holocaustum, sacrificium, oblationem. Hinc illa quoquè, facere turtures seu pullos

Exod. 12. Nũ. 9. et 33 Deut. 16. Ios. 5. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Leuit. 9. & 14. Num. 14. Leuit. 15. ac 24.

Num.6.8. ac 28. columbæ,hircum,bouem,& agnum. Quarè nō absurdè etiam veteres ità illud hoc loco sunt interpretati.

Martial. Epist. ad Burd.c.3. Ioan. 4. *dicens: SACRIFICIVM (inquit D. Martialis) creatori offertur in ara non homini,neque angelo. Nec solùm in ara sanctificata, sed vbiquè offertur DEO oblatio munda: sicut testatus est, cuius corpus & sanguinem in vitam æternam offerimus, * dicentes:Spiritus est DEVS: & eos qui adorant eum,in spiritu & veritate oportet adorare.Ipse enim corpus habens & immaculatū,& sine peccato, quia conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine, ipsum in ara crucis permisit immolari. Quòd autem Iudæi per inuidiam Matt. 26. immolauerunt, putantes se nomen eius à terra abolere: nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipse DOMINVS noster iussit nos facere in suî commemorationem.

Cle.Rom. Apost.instit. l. 5 c. 20. ET D.Clemens Romanus de die Paschæ disserens, ait: Quarè vos quoquè,suscitato Domino,offerte sacrificium vestrum,de quo vobis præcepit per nos,dicens: Hoc facite in meam commemorationem.

Dionys. Areopag. eccl. hier. c.3. DIVVS verò Dionysius Areopagita: Diuina autem (inquit) imitatio,quonam modo aliter in nobis imprimetur, nisì sanctissimorum DEI operum memoria renouentur semper pontificijs(siue hierarchicis)& laudibus & sacrificijs?Hoc enim facimus, vt scripta diuina loquuntur, in eius commemorationem. Ac paulopòst: Itaque religiosè simul & ἱεραρχικῶσ,ac ex Pontificali officio post sacras diuinorum operum laudes, quod ipsum supra se sacrificium litet siue offerat,se excusat, ad ipsum primò decenter exclamans: Tu dixisti,hoc facite in meam commemorationem.

Iust.Mar. Dial. cum Trypho- ne. Leuit. 14. AC Iustinus Martyr: Similæ oblatio, (sic enim rectiùs vertit Gelenius cum Lango, quàm vaccam Perionius, quorū hic Græcè legit, δάμαλισ: ille castigatiùs, σεμίδαλις) quæ pro mūdatis à lepra, solet

ſolet offerri ex more, typus erat panis Euchariſtiæ, quem in memoriam paſsionis ſuæ, purgantis ab omni peccato hominum animas, Ieſus Chriſtus Dominus noſter facere præcepit.

ORIGENES quoquè, & (ſi modò etiam eius ſint illi in Leuiticũ commentarij) Cyrillus Alexandrinus: Si reuertantur hæc (loquitur de oblatione ſimilæ ad panes propoſitionis) ad myſterij magnitudinem, inuenies commemorationem iſtã habere ingentis repropitiationis effectum. Si redeas enim ad illum panem, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo: illum panem propoſitionis, quem propoſuit DEVS propitiatorẽ per fidem in ſanguine ipſius: et ſi reſpicias illam commemorationem, de qua dicit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem, inuenies quòd iſta eſt commemoratio ſola, quæ propitiũ facit hominibus Deum. Si ergò intentiùs Eccleſiaſtica myſteria recorderis, in ijs quæ lex ſcribit, futuræ veritatis inuenies imaginem præformatam. Orig. hõ. 13. in Leuit. c. 24.

EODEM pertinet illud Tertull. Qui ei (nempe DEO) offero opimam & maiorem hoſtiam, quam ipſe mandauit. Tertul. in Apol.

CONSENTIT D. Cyprianus verbis illis ſuprà citatis: Nam ſi Ieſus Chriſtus DOMINVS & DEVS noſter ipſe eſt ſummus ſacerdos DEI patris, & ſacrificium DEO patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſuî commemorationem præcepit: vtiquè ille ſacerdos vice Chriſti fungitur, qui hoc quod fecit CHRISTVS, imitatur. Et, ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia DEO patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe. Cyprian. Epiſt. 63. ad Cæcil.

DIVVS Chryſoſt. etiam: Quid ergò nos? Nónne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia, non multę. Quomodò vna eſt, & non multæ? Quia ſemel oblata eſt, oblata eſt in ſancta ſanctorum: hoc aũt ſacrificium, exemplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus: nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper eundẽ Chryſoſt. hom. 17. in Epiſt. ad Hebr.

ipſum. Proindè vnum eſt hoc ſacrificium hac ratione. Alioquin quoniã in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt? Nequaquàm, ſed vnus vbiquè eſt Chriſtus, & hîc plenus exiſtens, & illic plenus, vnum corpus. ſicut enim qui vbiquè offertur, vnum corpus eſt, & non multa corpora: ità etiam & vnum ſacrificium. Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos, obtulit. Ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem, conſumi non poteſt. Hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem fit eius, quod factum eſt. Hoc enim facite (inquit) in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium, ſicut Pontifex, ſed idipſum ſemper facimus, magìs autem recordationem ſacrificij operamur.

Ambr. in epiſt. ad Hebr. c. 10.

DIVVS quoq; Ambroſius: In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia, potens ad ſalutem ſempiternam. Quid ergò nos? &c. ijſdem planè verbis, quibus Chryſoſtomus: vndè patet, (vt obitèr id hîc admoneam) commentaria illa Ambroſio adſcripta, vix aliud eſſe, quàm ex D. Chryſoſtomo collectanea: qualia ſunt & Theophylacti, apud quem eadem quoquè verba reperire eſt.

Theoph. in 10. c. ad Hebr.

Theod. in c. 8. Epiſt. ad Hebr.

THEODORETVS verò: Si (inquit) ſacerdos qui eſt ex lege, finem accepit, & ſacerdos qui eſt ſecundùm ordinẽ Melchiſedech, obtulit ſacrificium, & effecit vt alia ſacrificia non eſſent neceſſaria: cur ſacerdotes noui Teſtamenti myſticam liturgiam peragunt, ſeu ſacrificium? Sed clarum eſt ijs qui ſunt in rebus diuinis eruditi, nos non aliud ſacrificium offerre, ſed illius vnius & ſalutaris memoriam agere: Hoc enim nobis ipſe præcepit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem.

Anſel. in 1. Co. c. 11.

DIVVS deniquè Anſelmus omnium apertiſſimè: Vos (inquit) ſacerdotes facite, id eſt, ex pane corpus meum per verba myſtica conſecrate, in memoriam paſſionis meæ, vt recogitetis eam, dum iſtud ſacrificium obtuleritis.

CHRI

CHRISTVS PROINDE HVIVS SACRIFICII AVTHOR EXTITIT.

APostoli Canonem statuentes, quid offerri debeat in hoc sacrificio: Si quis (inquiunt) Episcopus aut presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina contra constitutionem faciens, congruo tempore deponatur. Apost. can. 3.

CLEMENTE quoquè Romano teste, Christus pro sacrificio cruento, rationale & incruentum ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola corporis & sanguinis sui celebratur. Clem. Rō. cōst. Apost. li. 6. ca. 23.

DIONYSIVS verò Areopagita: Sanctißima (ait) panis ac calicis communio facit, vt diuinam illam cœnam, & quæ primum signum fuit eorum quæ perficiuntur, sacra memoria recolant, in qua etiam ipse signorum effector & author iure optimo priuat sorte eum, qui non sanctè neque concordi animo Sacramenta secum sumpserat. Dion. Areop. Eccl. hierar. cap. 3.

ET D. Alexander Papa eius nominis primus: Ipsa verò veritas nos instruit calicem & panem in sacramento offerre, quandò ait: Accepit Iesus panem &c. Alex. 1. Epist. 1. cap. 4.

D. Irenæus quoquè: Sed & suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, nō quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem cōfessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in nouo testamento. Iren. li. 4. aduers. hær. c. 32.

Cyp. epi. 63. ad Cęcil. D. item Cyprianus: Iesus Christus Dominus & Deus noster, sacrificij huius author & doctor. Et posteà: Si in sacrificio quod Christus obtulit, non nisì Christus sequendus est: vtiquè id nos obaudire & facere oportet, quod fecit Christus, & quod faciendum esse mandauit.

Euseb. de monst. Euãg. l. 1. sub finẽ. ET Eusebius Cæsareen. Igitur & sacrificamus & incẽdimus, aliâs quidẽ memoriam magni illius sacrificij, secũdùm ea, q̃ ab ipso Christo tradita sunt mysteria, celebrãtes, & gratias Deo pro salute nostra agentes, religiososq; hymnos & orationes sanctas illi offerentes.

Eusebius Emis. hõ. 5. de Pascha. AC Eusebius Emisenus seu potiùs Lugdunẽsis, (constat enim, homilias quę Emiseno adscribuntur, Galli cuiusdam esse authoris) in hęc verba: Ideò quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus Christus, necessarium erat, vt nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysteriũ, quod semel offerebatur in precium: vt quia quotidiana & indefessa currebat pro hominũ salute redẽptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia.

Basil. in Liturg. D. aũt Basilius: Propter tuã (inquit, Christum alloquens) ineffabilem & immẽsam benignitatem, citra vllam mutationẽ & cõuersionẽ homo factus es, & Pontifex noster appellatus es, & huius Liturgici ac incruenti sacrificij consecrationnẽ siue ἱερουργίαν nobis tradidisti.

Chrys. in Liturg. CVI similia ad verbum penè reperire est in Liturgia D. Chrysostomi, qui alibì quoquè idipsum repetit.

Idem hõ. de prodit. Iudæ. DISCIPVLI (inquit) interrogãt, & dicũt: Vbì vis paremus tibi comedere Pascha? Nõ illud quod nostrũ est, sed interim Iudæorũ: & illud quidẽ discipuli p̃parabãt', hoc aũt quod nostrũ est, ipse instituit, & nõ solùm constituit, sed & ipse factus est Pascha.

ET paulopòst: Pascha Iudaicum fuit aliquãdò, sed exẽptũ & euacuatũ est Paschę spiritalis aduentu, quod Christus tradidit. Nã cùm

man-

manducarẽt(inquit)& biberẽt,accepit panẽ & fregit,& dixit: Hoc eſt corpus meũ,quod ꝓ vobis tradetur. Agnoſcũt quid loquor,qui ſunt diuinis conſecrati myſterijs.

HESYCHIVS quoq;:Non oportet nos habẽtes in manibꝰ,& cõſummãtes verum myſteriũ,ſequi figuras: quia Chriſtus primũ celebrauit figuratũ Paſcha, poſt hoc aũt ꝓpriam tradidit cœnam, ex qua nobis eſt oblatio ac ſacrificium intelligibilis agni, quẽ immolamus & offerimus ſecundùm Dñi traditionem. Heſych. l. 6. in Leuit. ca. 22

D. item Ambroſius: Ergò(inquit)author ſacramẽtorum quis eſt, niſi Dñs Ieſus? Et poſteà: Quomodò poteſt qui panis eſt, corpꝰ eſſe Chriſti? Cõſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt,& cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Ambr. li. 4. de ſacram. c. 4.

ET D. Auguſtinus: Corã regno ergò patris ſui mutauit Chriſtus vultũ ſuũ, & dimiſit eum, & abijt: quia erat ibì ſacrificiũ ſecũdùm ordinem Aaron, & poſteà ipſe de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificiũ ſecũdùm ordinem Melchiſedech. Ac paulopòſt: Et ferebatur in manibus ſuis. Quomodò ferebatur in manibus ſuis? Quia quum comederet ipſum corpus ſuum & ſanguinẽ ſuum, accepit in manus ſuas, quod nôrũt fideles: & ipſe ſe portabat quodammodò, quum diceret: Hoc eſt corpus meum. Auguſt. cõc. 2. in Pſal. 33.

OECVMENIVS deniq;: Neq; eñ(inquit) de ea q̃ ſemel à Deo facta eſt oblatio & hoſtia, dixiſſet, In æternum: ſed reſpicit ad præſentes ſacrificos, per quos medios ſacrificat & ſacrificatur: qui etiam in myſtica cœna modum illis tradidit huiuſmodi ſacrificij. Oecum. in 5. cap. epiſt. ad Hebr.

Pluribus alijs teſtimonijs recẽſendis ſuperſedeo, nè ſim ꝓlixior.

IN DICTO SACRIFICIO VINVM AQVA MIXTVM OBTVLISSE CHRISTVS TRADITVR.

DIVVS Iacobus Apoſtolus frater Dñi: Similiter(inquit) poſtquàm cœnauit, accipiens calicem,& permiſcẽs ex aqua & vino,& adſpiciens in cęlũ, ac oſtendẽs tibi Deo & patri gratias agens, ſanctificans, benedicens, implens ſpirituſancto &c. Iac. Apo. in Liturg.

NEC

Clem. Rō. cōſt. Apoſt. li. 8. cap. 17.

NEC diſsimiliter D. Clemens Romanus: Similiter (inquit) & calicem miſcens ex vino & aqua, & ſanctificans, tradidit eis, dicens: Bibite ex eo omnes. &c.

Cyp. epi. 63 ad Cęcil. Prou. 9.

D. Cyprianus verò, tractans illa verba Salomonis: Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis: Vinum (inquit) mixtum declarat, id eſt, calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce prænunciat, vt appareat in paſsione Dominica id eſſe geſtum, quod fuerat antè prædictum. Et poſteà: Dominus (inquit) adueniens, baptiſmi & calicis manifeſtauit veritatem, qui aquam illam fidelem, aquam vitæ æternæ, præceperit credentibus in baptiſmo dari: calicem verò docuerit, exemplo magiſterij ſui, vini & aquæ cōiunctione miſceri: calicem etenim ſub die

Matt. 26.

paſsionis accipiens, benedixit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis noui teſtamenti, qni pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Dico vobis, non bibam amodò ex iſta creatura vitis, vſque in diem illum, quo vobiſcum bibam nouum vinum in regno patris mei. Qua in parte inuenimus calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit: & vinum fuiſſe, quod ſanguinem ſuum dixit.

Baſil. in Liturgia.

D. Item Baſilius: Similiter (ait) & calicem de genimine vitis accipiens, miſcens, gratias agens, benedicens, ſanctificans, &c.

Cōc. Carthag. 3. cap. 14.

CONSENTIT his etiam Concilium Carthag. 3. Vt in ſacramēto [illegible]poris & ſanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum. Nec ampliùs in ſacrificijs offeratur, quàm de vuis & frumentis.

ET Africanum verbis penè ijſdem: Vt in ſacramentis corporis & ſanguinis Domini, nihil aliud offeratur, quàm quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum.

Theod. dial. 1.

D. etiam Theodoretus: In myſteriorum traditione (Deus) corpus panem appellauit, & ſanguinem id, quod in calice infuſum & commixtum eſt.

D. quo-

D. quoquè Damaſcenus: Similiter (inquit) accipiens calicem ex vino & aqua, tradidit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes &c. Damaſ. l. 4. de orth. fid. ca. 14.

EVSEBIVS quoq; Lugdunenſis: Hoc itaque Dominici ſanguinis vinum aqua eſſe miſcendum, non ſolùm traditione Dominus, ſed etiam genere paſsionis oſtendit: ex cuius ſacro latere ſanguis & aqua lanceæ illiſione profluxit, ſicut & propheta multò antè præcinuit, dicẽs: Percuſsit petrã, & fluxerũt aquę. Et Apoſtolus: Bibebãt de cõſequẽte eos petra. Petra aũt erat Chriſtus. Bibebãt (inquit) de cõſequẽte eos petra. Vides ꝙ qui de Chriſti biberit gratia, ſequitur eum Chriſti miſericordia. Sed & in Salomone de ipſo Deo ꝓdictum legimus. Sapiẽtia (inquit) ædificauit ſibi domũ, id eſt, corpus hominis adſumpſit, in quo habitauit plenitudo diuinitatis: & ſubdidit columnas ſeptem, quia illũ benedictio Spiritûs ſancti gratia ſeptiformi impleuit. Mactauit hoſtias ſuas, miſcuit in cratera vinum ſuum, & parauit mẽſam ſuam. Et in ſequẽti: Venite, & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. Admixtum ergò aqua vinum legimus. Euſebius Lugd. hõ. 5. de Paſcha. Pſal. 77. 1. Cor. 10. Prou. 9.

ET Diuo Hieronymo adſcriptus in Marcum commentarius: Accepit (inquit) Ieſus panem &c. Formans ſanguinem ſuum in calicem vino & aqua mixtum, vt alio purgemur à culpis, alio redimamur à pœnis. Hier. in Mar. c. 14.

EIDEM quoquè adſcriptus de quæſtionibus Hebraicis, quidam (teſte Hrabano) Hebreus author: Et notãdum, (inquit) quòd vinum quod Deo in ſacrificium offerebatur, aqua mixtum erat. Idem qu. Hebr. ſup Paralip.

HRABANVS deniquè: Nec enim in ſacramentis aliud offerri licet, niſì quod Dominus ipſe conſtituit, & ſuo exemplo nos facere docuit: Quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem &cæt. Ergò panem infermentatum, & vinum aqua mixtum, in ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſanctificari oportet. Hraban. de inſtit. cler. lib. 1. cap. 31.

SACRIFICII RITVS APOSTOLIS VSITATVS.

APOSTOLI IN DIE PENTECOSTES DOMINICAM COENAM CELEBRARVNT.

Hesych. l. 4. in Leuit. cap. 9.

HESYCHIVS in Leuiticũ quã ꝓlixiſsimè hoc deducit in hęc verba: Quæcunq; legiſlator nunc in figura exponit, clariora, additamẽto eorũ quæ per partes ſancit, & planiora fiunt. Diem enĩ octauum Pentecoſtẽ appellat: quia Pentecoſtes dies incidit in hac qua ſaluator reſurrexit, quæ eſſe octaua creditur. Oportebat enĩ, vt in qua die ſurrexit Chriſtus, in eadem & ſpiritus adueniret. Tunc quippe priùs conuocatum eſt Eccleſiæ ſpectaculum, in qua intelligibilis Aaron, id eſt, Chriſtus, ſacerdos eſſe creditur. Filij aũt eius, qui ſublimis ſunt conuerſationis, & ideò ſacerdotij miniſtri & cooperatores ſunt. Maiorum natu autem Iſrael, presbyterorum ordo eſt: ex his quippe corpus Eccleſię componitur. Sed Aarõ quidẽ accepit ibì vitulũ pro peccato, & arietem in holocauſtũ, vtrunq; immaculatum, & obtulit coram Domino. Tunc enĩ Chriſtus ſacrificium, ſuum innoteſcere cœpit, ex quo Spiritus adueniẽs, Parthos & Medos & Elamitas, & oĩm gentium primitias, ad Apoſtolorum cœnaculi ſuperiora collegit.

Innoteſcere, pro noſtũ facere.

AC paulò pòſt: Quid autem his nunc ſubdit? Quia hodiè Dominus apparebit vobis. Hoc concluſio & probatio eſt, quia de Pentecoſte prædicta oĩa dicebantur: in ea enim eis apparuit Dñs, ſpiritus videlicet, de quo Paulus dicebat: Dñs autem ſpiritus eſt.

ET poſteà: Ait Moyſes: Iſte eſt ſermo quem ꝑcepit Dominus: facite, & apparebit vobis gloria eius. Gloriam eſſe Domini ſpiritũ manifeſtè oſtendit, quod Paulus ad Corinthios ſcripſit: Nos omẽs reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem trãsformamur de gloria in gloriam, ſicut à Domini ſpiritu. Vt ergò gloria Domini videretur, id eſt, vt aduentus celebraretur ſpiritûs,

2. Cor. 3.

ritûs, Iste est sermo, inquit, quem præcepit Dominus: Facite, videlicet mysticus, de quo præceperat Dominus: Hoc facite in meam commemorationem. Sermonem autem legislator ex consuetudine illud vocat, quia plùs sermone subsistit huius dispensatio mysterij, maximè Dominico verbo ea, quæ appárent, in aliud aliquid maius & intelligibile transferente. Vndè quũ manna imaginem panis vitæ, qui descendit de cælo, præsentaret: Hic est panis (ait) quem dedit vobis Dominus ad comedendum, hic est sermo quem constituit Dominus. Quid ergò ex his quæ dicta sunt, legislator significat: nisì quia sine dubio agentibus eis sanctum mysterium, & Dominicã cœnam celebrãtib⁹, aduénit spiritus? Quod etsi nõ planiùs expositũ habemus, multa quippe studio breuitatis scriptura diuina ꝑtermisit, quæ fas est ex alijs colligere. Erat eñ dies, qui appellatur Dominicus, in quo oportebat modis oñibus agere Apostolos mystica sacra. Nam & nos illorũ sequẽtes traditionẽ, Dominicam diem diuinis conuentibus sequestramus. Luc. 22.

Ac rursùm: Illud aũt nunc necessariò addimus, sancti spiritûs in Pentecosten ꝓuenisse descensionem, quum in vnũ congregati essent Apostoli, omniaq; secũdùm legem Ecclesię agerẽt, significare cõsiderauit legislator, rectè ꝓcedere sacerdotis sacrificia, ac deindè subinferri populi ꝑcepit. Oportet eñ Ecclesię doctrinã, à sacrificio vnigeniti inchoare, vt introducãtur docẽtes, quid nobis passio Dominica ꝓfecerit, aut cõtulerit: atq; ità subinferatur sermo pœnitẽtiæ, quem oẽs vtiq;, vt homines, necessarium habemus.

Ac paulò inferiùs: Hęc sine dubio diebus Pentecostes maximè agebant discipuli Dñi, propter quod in vnum tunc collecti erant. quod manifestat Lucas, dicẽs: Et dum complerẽtur dies Pentecostes, erant oẽs simul vnanimiter. Quid aũt erant collecti agere, nisì ea modis oñibus, quę dicta sunt? Nam etsi palàm non ꝑdicabant, & ꝓptereà intùs erãt, in superioribus sedẽtes, necdùm verba dissemĩnãtes siue palàm loquẽtes, quia de ostio tabernaculi testimonij Actor. 2.

non erãt iussi egredi, vsquedùm de excelso induerẽtur spiritûs virtute: veruntamẽ in semetipsis quia hęc agebant, manifestum est: & quæcunq; decent Ecclesiam, meditari nõ cessabant, vt ipsum videlicet in semetipsis haberẽt Christũ, qui est caput Ecclesiæ. Vndè & Matthiam ad Apostolatum, cùm cõcionatus fuisset Petrus, & proposuisset diuinę scripturę expositionem atque testimonia, sorte separauerunt. Siue autem concionari, id est, populum exhortari, siue ꝓphetas interpretari, & cleros sociare, ecclesiasticę dispensationis & ordinis fuit: Ergò manifestum est, quia quemadmodùm in Ecclesias, collecti in illis diebus erant.

Actor. 1.

REPETVNTVR autem hæc ipsa verba Hesychij à Strabo in Glossa Ordinaria.

Strabus in Gloss. Ord. ad cap. 9. in Leuit.

QVO testimonio magnoperè confirmatur eorum sententia, qui Missæ vocabulum, per Latinos ab Hebræa voce מִסַּת MISSAH mutuatũ adserũt. Reperitur enĩ ea vox, vbì sacrificiũ in die Pentecostes offerendum prescribitur: vt Missæ, per Apostolos hoc die celebratæ, figuram fuisse sit verisimile.

Deut. 16.

SEPTEM (inquit Moses) hebdomadas numerabis tibi, ab ea die qua falcem in segetem miseris: & celebrabis diem festũ hebdomadarũ Dño Deo tuo, MISSAH siue oblationẽ spontaneam manûs tuę, quã offeres iuxta benedictionẽ Dñi Dei tui, & epulaberis corã DÑO DEO tuo, tu, & filius tuus, & filia tua, & seruꝰ tuus, & ancilla tua, & Leuites, qui est intrà portas tuas, & aduena, & pupillus, & vidua, qui morãtur vobiscũ, in loco quẽ elegerit DÑS DEUS tuus, vt habitet nomen eius ibì: & recordaberis quoniam seruus fueris in Aegypto, custodiesq́; ac facies, quæ tibi præcepta sunt.

Leuit. 23.

QVOD ipsum alijs verbis alibì repetitur: Numerabitis ab altero die Sabbati &c. Vbì sacrificiũ nouum dicitur, quod ibì MISSAH seu oblatio spõtanea: & cõsentit interpreti, tum vox Hebręa מִסַּת, tum quod Græcè legitur, θυσίαν νέαν.

Hesych. l. 6. in Leuit. cap. 23.

PROFECTÒ idẽ Hesychius de sacrificio Euãgelico locũ hũc inter-

pre-

pretatur: Manifeſtat autẽ (inquit) oblatio ipſa ſpeciem hoſtiæ quã præcepit fieri: Et ſic, inquit, offeretis ſacrificium nouum Domino &c. Nouum ſacrificium dicens, legis ſacrificia, vt vetera, excluſit: Euangelicum autem pro illis introduxit. Deindè addens, De habitationibus veſtris, Eccleſiam ſignificauit. Et ſimiliter explicat locũ illum Deuteronomij Hrabanus hiſipſis verbis ab Heſychio mutuatis. Hrab. in c. 16. Deuteron.

EODEM reſpicere videtur his verbis Ven. Beda Presbyter: Spiritusſanctus ibì manifeſtiſsimè diem Dominicum ſuo conſecrauit aduentu. Quo etiam temporis articulo verum Paſcha die Dominico monſtrauit eſſe celebrandum. Beda in c. 2. Act. Apoſt.

APOSTOLIS ETIAM IN VSV FVERE FREQVENS FRACTIO PANIS ET προσευχαὶ.

ERANT autem (inquit D. Lucas) perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionispanis& orationibus. Act. 2. Quod ſignificantiùs Græcè exprimitur, καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, καὶ ταῖς προσευχαῖς, hoc eſt: & illa communicatione, & illa fractione illius panis, & illis orationibus. Habent enim ſuam emphaſim articuli illi: τῇ, τῇ, καὶ ταῖσ. & προσευχᾷσ interpretatur loco infrà citato D. Auguſt. iuxta quod ea voce vtitur etiam Apoſtolus Paulus 1. Timoth. 2. Orationes illas, quæ ſacrificationem & diſtributionem Euchariſtiæ continent. Auguſt. Epiſt 59. ad Paulinum.

CERTE (inquit Ionas Aurelianenſis) vt ad Apoſtolos veniamus, nouimus eos, quandiù Hieroſolymiticũ templum ſtetit, crebrò illuc orandi gratia conueniſſe: vndè & in Actibus Apoſtolorum leguntur omni die in templo & circa domos docuiſſe, & in panis fractione myſteria corporis Domini celebrâſſe, & populis ſumenda tradidiſſe. Ionas Aurel. l. 3. de cultu imaginum. Act. 2.

ANTE illum quoquè D. Chryſoſt. loco infrà citato. Chryſoſt. hõ. 27. in 1. ad Cor

Vualafr. Strabus de eccl. offic. c. 20. VVALAFRIDVS etiam Strabus: Videtur ratione plenißimũ, vt per singulos dies sacris occupemur officijs: &, quantùm mentis vel corporis grauiores maculæ non obsistunt, panem & sanguinem Dominicũ, quibus sine viuere non possumus, iugiter ambiamus, & desiderio illius tuitionis potiùs, quàm præsumptione nostræ puritatis, sumamus: imitantes primitiuæ Ecclesiæ studium salutare, Act. 2. de quo in Actibus Apostolorum ità scriptum est: Erãt autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Et infrà: Quotidiè quoquè perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebãt cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, laudantes Deũ. Nota quòd dicit, priùs eos fregisse panem, & deindè sumpsisse cibum.

Serm. de insti. ven. sacram. Act. 2. VRBANVS etiam Papa quartus: Nam & eodem tempore (inquit) cœpit sacramentum à fidelibus frequentari. Legitur enim in actibus Apostolorum, quòd erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus statim post sancti spiritûs mißionem.

Humbert. Abb. con. Nicetam. HVMBERTVS quoquè Abbas Syluæ candidæ: Deindè (inquit) quotidiè, siue tertia hora, siue nona, siue quacunq; hora fiat à nobis Missa, non fit nisì perfecta. nec reseruatur ex oblatione eius pars aliqua, vt per dies quinq; agatur indè Missa imperfecta. Quia nec sancti Apostoli legũtur quicquã ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio, sub ipsa cœna distributo, reseruâsse: Nec actus eorum indicant, eos aliquandò tale quid egisse aut pręcepisse. Act. 2. Quinimò, sicut Lucas narrat, erant fideles perseuerãtes in doctrina Apostolorũ, & cõmunicatione fractionis panis. Quæ cõmunicatio qualiter & quibus diebus fieret, post pauca demõstrat, dicẽs: Quotidiè ꝑseuerãtes vnanimiter in tẽplo, & frangẽtes circa domos panẽ, sumebãt &c. Eccè, verax Euãgelista testatur, sub Apostolis fideles quotidiè orâsse, & panẽ fregisse: & vos q estis, qui dicitis duobꝰ tantùm diebus hebdomadis Mißã perfectã fieri debere, reliquis verò quinq; imperfectam?

PE-

PETRVS etiam Trecensis: Et in communicatione (inquit) fractionis panis & Eucharistiæ: quia in primitiua Ecclesia crebrò cõueniebant ad percipiendam Eucharistiam. Petr. Trecensis in hist. scholast.

QVALE quid habet etiam Nicolaus Lyranus: Et cõmunicatione fractionis panis, tum quia (inquit) quotidiè cõmunicabant, tum quia communes cibos, sicut & cætera communia, habebant. Nicol. Lyran. in Act. c. 2.

APOSTOLORVM λειτȣργία IN χειροτονία PAVLI ET BARNABAE.

MINISTRANTIBVS (pro quo Græcè est, λειτȣργούντων: siue administrãtibus, vt legit interpres Cyrilli Alex. lib. Thes. 12.) illis Domino, & ieiunãtibus, dixit illis Spiritussanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi illos. Tunc ieiunantes & orantes, (Græcè προσευξάμενοι) imponentesq; eis manus, dimiserunt illos, ἀπέλυσαν. Act. 13.

QVEM locum de Christiana Liturgia, quam Missam dicimus, intelligi: tum Græcorum traditio, qui peculiariter λειτȣργίαν in ea significatione vsurpant: tum stylus D. Lucæ videtur conuincere, qui eadẽ voce vtitur, de Zacharia sacerdote dicens: Vt impleti sunt dies officij eius, quod in sacrificio offerendo consistebat. Luc. 1.

CERTE apud Simeonem Metaphrasten hic locus ità translatus est: Vbì Domino sacrum obeuntes ministerium, à spiritu sancto segregantur. Sim. Metaph. in vit. Apostol. Petri & Pauli.

APOSTOLORVM σύναξις AD FRANGENDVM PANEM IN DIE DOMINICO.

VNA autem sabbati (inquit idem D. Lucas) quum conuenissemus ad frangẽdum panem, Paulus disputabat cum eis. Vbì Græcè est, συνηγμένων ἡμῶν τῶν μαθητῶν, id est, conueniẽtibus nobiscum discipulis. Act. 20.

HVNC quoquè locũ de sacrificio corporis & sanguinis Dñi intelligi,

telligi, inprimìs verisimile facit vox συνηγμένων, eô quòd συνάγειν, in Tripartita historia verterit Epiphanius Scholasticus, Missas facere, collectas agere, solennia celebrare: quod etiã vnica voce Tertullianus colligere nuncupat. Et mentio fractionis panis, ac primę sabbati, quam diem Dominicam intelligi in confesso est: in qua collectas fieri solere, ex Tertulliano & D. Iustino martyre manifestum est.

Tert. de fug. in perseq.

INTERPRETANTVR denique ità hunc locum D. August. Ven. Beda, & Vualafridus Strabus.

August. Epist. 88. ad Casul.

NEC illum moueat (inquit D. August.) quòd Priscillianistæ Manichæorum simillimi, ad ieiunandum die Dominico solent testimonium de Apostolorum Actibus adhibere, cùm esset Apostolus Paulus in Troade. Sic enim scriptum est: In vna autem sabbati congregatis nobis frangere panem, Paulus disputabat cum illis, exiturus alia die, produxitq; sermonem vsq; ad mediũ noctis. Deindè quum descendisset de cœnaculo, vbì congregati erant ad resuscitandum adolescentem, qui grauatus somno in fenestra, ceciderat, & mortuus ferebatur, de ipso Apostolo scriptura sic loquitur: Asscendens autem (inquit) cùm fregisset panem, atq; gustâsset, satisq; esset alloquutus vsque ad diluculum, sic profectus est: absit vt hoc sic accipiatur, tanquàm solerent Apostoli Dominico die solenniter ieiunare, quia vna Sabbati tunc appellabatur dies, qui nunc Dominicus appellatur: quod in Euãgelijs apertiùs inuenitur. Nam dies resurrectionis Domini, prima sabbati à Matthæo: à cæteris autem tribus, vna Sabbati dicitur: quem constat eum esse, qui Dominicus posteà appellatus est. Aut ergò post peractũ diem sabbati, noctis initio fuerant congregati, quæ vtiquè nox iam ad diem Dominicum, hoc est, ad vnam sabbati pertinebat: & ità eadem nocte fracturus panem, sicut frangitur in sacramento corporis Christi, produxit sermonem vsque ad medium noctis, vt post sacramẽta celebrata, rursùs vsque ad diluculũ alloquens congregatos, quoniam

Act. 20.

niam

niam multùm feſtinabat, luceſcẽte proficiſceretur Dominico die. Aut certè ſi in vna ſabbati nõ per noctem, ſed per diẽ hora Dominici fuerant congregati, eo ipſo quod dictum eſt, Paulus diſputabat cũ illis, exiturus alia die: expreſſa eſt cauſa producẽdi ſermonis, quia fuerat exiturus, & eos ſufficienter inſtruere cupiebat. Non ergò ſolenniter die Dominico ieiunabant.

BEDA verò: In vna autem ſabbati cùm conueniſſemus ad frãgendum panem &c. id eſt, inquit, die Dominico, qui eſt primus à ſabbato, cùm ad myſteria celebranda congregati eſſemus. Beda com. c.20. Act.

VVALAFRIDVS autem Strabus: Quod nunc (ait) agimus multiplici orationum, lectionum, cantilenarum, & conſecrationũ officio, totũ hoc Apoſtoli, & poſt ipſos proximi, (vt creditur) orationibus & commemoratione paſsionis Dominicæ, ſicut ipſe præcepit, agebant ſimpliciter. Vndè circa domos, ſecundùm ſuperiùs commemorata teſtimonia, frangebant panem. Quod etiam alia ſentẽtia Lucas declarat, dicens: Vna autem ſabbati, cùm conueniſſemus ad frangendum panem, & reliqua. Et relatio Maiorum eſt, ità primis temporibus Miſſas fieri ſolitas, ſicut modò in Paraſceue Paſchæ communicationem facere ſolemus, id eſt, præmiſſa oratione Dominica, & ſicut ipſe Dominus noſter præcepit, commemoratione paſsionis eius adhibita, eos corpori Dominico communicâſſe & ſanguini, quos ratio permittebat. Vualafr. Strab. de reb. Eccl. cap.22. Cap.20.

ORDO ET RITVS OBSERVATVS AB APOSTOLIS.

VT prudẽtibus loquor, (inquit Apoſtolus Paulus) voſipſi iudicate quod dico. Calix (ille εὐλογίασ ſiue) benedictionis, cui benedicimus, nónne [κοινωνία ſiue] communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis [ille] quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, * omnes qui de vno pane, & (quod Latinè duntaxàt, non Græcè legitur) 1. Cor. 10. τὸ ποτήριον τῆσ εὐλογίασ. τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν * nam oẽs de vno.

legitur)de vno calice participamus. Videte Iſrael ſecundùm carnē. Nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergò? Dico quòd idolis immolatum, ſit aliquid, aut quòd idolum, ſit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dęmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum.

Hilar. in Pſal. 68. ESSE enim (inquit D. Hilarius, ad illud Pſalmi: Fiat menſa eorum &c.) menſam ſacrificiorum, vt de lege, quæ in ſe futuri eſt ſpeciem complexa, taceamus, Apoſtolus teſtatus eſt, dicens: Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.

Chryſoſt. hom. 24. in 1. epiſt. ad Cor. ET latiùs D. Chryſoſtomus: Quid dicis beate Paule? Cùm vis auditorem confundere, & horrendorum myſteriorum meminiſſe, calicem benedictionis appellas, calicem illum formidoloſum & horroris plenum? Sanè quidem. Non enim paruum eſt quod dicitur. Siquidem cùm benedictionem dico, Euchariſtiam dico: & dicendo Euchariſtiam, oēm benignitatis Dei theſaurum aperio, & magna illa munera commemoro: etenim cum calice inenarrabilia Dei beneficia, & quæcunque conſecuti ſumus, addimus: ità ad eum accedimus, cum eo communicamus, gratias agentes, quòd humanū genus errore liberauit: quòd cùm ſpem nullam haberemus, & impij in hoc mundo eſſemus, fratres & conſortes ſuos aſſcripſit: his, & cæteris huiuſmodi gratiarum actionibus, accedimus.

AC paulopòſt: Quod eſt in calice, id eſt quod à latere fluxit, & illius ſumus participes. Itaq; ſi ſanguinem cupis, inquit, noli idolorum aram brutorum animalium cæde, ſed meum altare meo ſanguine aſſpergere. Hic autem multo admirabilius & magnificentius ſacrificium præparauit, & cùm ſacrificium ipſum commutaret, & pro brutorum cæde ſeipſum offerendum præciperet.

AC poſteà: Tu autem conſidera, quo pacto de Iudæis nō dixit, quòd DEO participant: ſed, quòd participes ſunt altaris: etenim

templum

templum conflagrauit. In corpore autem Christi non ità, sed aliter. Quo modo? Communicatio Christi est: (inquit) non altaris, sed Christi participes facti sumus.

DIVVS verò Augustinus: Ostendit (Apostolus) ad quod sacrificium iam debeant pertinere, dicens: Quasi prudentibus dico, iudicate vos quod dico. Calix benedictionis quem benedicimus, nónne communicatio est sanguinis CHRISTI? Panis quem frangimus, nónne participatio est sanguinis Domini? Quia vnus panis & vnum corpus multi sumus. omnes enim de vno pane participamus. Et propter hoc subiunxit: Videte Israel secundùm carnem. Nónne qui de sacrificijs manducant, socij sunt altaris? vt intelligerẽt, ità se iam socios esse corporis Christi, quemadmodùm illi socij sunt altaris. August. cont. aduers. leg. & Proph. Cor. 1. c. 19. & 20.

ET pauloantè: Ait enim Apostolus: Sed quia quæ immolãt gentes, dæmonijs, & non Deo, immolant. Iste aũt dixit: Sed qui sacrificant, dæmonijs sacrificant: quasi omnes qui sacrificãt, nõ sacrificent nisì dæmonibus. Non enim ait Apostolus, Qui sacrificant: sed, Quæ sacrificant: vel, sicut à me positum est, Quæ immolant. 1. Cor. 10.

ET alibì: Huius corporis vnitas nostro sacrificio commendatur. Quod breuiter significauit Apostolus, dicens: Vnus panis, vnũ corpus multi sumus. Per caput nostrum reconciliamur Deo, quia in illo est diuinitas vnigeniti, facta particeps mortalitatis nostræ, vt & nos participes eius immortalitatis essemus. Hoc sacramentum longè est à cordibus sapientium superborum, & ideò nõ Christianorum, ac per hoc nec verè sapiẽtium. Illorũ etiam dico sapientiũ, qui cognouerunt Deum: quia cognoscẽtes Deum, sicut dicit Apostolus, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egérunt. Nôsti autẽ in quo sacrificio dicatur, Gratias agamus Dño Deo nostro. A cuius sacrificij humilitate longè abest typhus & cothurnus illorũ. Idẽ epist. 57. ad Dardan. de vid. Deo. Rom. 1.

CONTRA Faustũ deniquè: Cur autem arbitretur, parem nobis esse religionem circa panem & calicem, nescio: cùm Manichæis Idẽ cont. Faustum, lib. 2. c. 13. & 18.

 vinum

vinum gustare,non religio, sed sacrilegium sit. In vua enim agnoscunt Deum suum,in cupa nolunt, quasi aliquid eos calcatus & inclusus offenderit. Noster autem panis & calix,non quilibet quasi propter Christum in spicis & in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt,sed certa consecratione mysticus fit nobis,non nascitur.

AC paulopòst: Quomodò ergò comparas panem & calicem nostrum,& parem religionem,dicis errorē,longè à veritate discretum:peiùs desipiens,quàm nonnulli, qui nos propter panem & calicem, Cererem ac Liberum colere existimant?

ET posteà: Proindè verum sacrificium,quod vni vero debetur DEO,quo eius altare solus Christus impleuit,in victimis pecorum imitata dæmonia, sibi arroganter exposcunt. Vndè dicit
1.Cor. 10. Apostolus: Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo:non quòd offerebatur culpans, sed quia illis offerebatur. Hebræi autem in victimis pecorum,quas offerebant DEO, multis & varijs modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrant futuræ victimæ,quam Christus obtulit. Vndè iam Christiani, peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.

Theod. in Com. THEODORETVS etiam: Qui sacra mysteria percipimus, nónne ipsi Domino communicamus, cuius & corpus & sanguinē esse dicimus? quandoquidem omnes vnius panis sumus participes.

Theophy. com. ad c. 10. Epist. ad Cor. 1. ITEM Theophylactus: Calix(inquit)benedictionis,id est, Eucharistiæ.

Oecum. in com. AT Oecumenius: Calicem benedictionis,dicit calicem sanguinis Christi,cui benedicimus:quem manibus tenentes,ei qui suum nobis impartitus est sanguinem, benedicimus, hoc est, gratias agimus.Quem dum benedicimus,offerimus.Nôsti quid loquar.

Haymo Alberst. in com. HAYMO deniquè: Calix autem benedictionis dicitur, qui benedicitur à sacerdotibus in altari. Appellatur & ipse calix communicatio,quasi participatio: quia omnes communicant ex illo,

partemq;

partemque sumunt ex sanguine Domini, quem continet in se. Et panis quem frangimus, primùm consecratur & benedicitur à sacerdotibus in spiritu sancto,& deindè frãgitur:quum iam,licèt panis videatur,in veritate corpus Christi est. Ex quo pane quicunq; communicant,corpus Christi edunt.

ORDO ET RITVS PRAESCRIPTVS AB APOSTOLIS.

HOC autem (inquit D.Paulus) præcipio,non laudans,quòd non in melius,sed in deterius conuenitis.Primùm enim cõuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos,& ex parte credo.Nam oportet & hæreses esse,vt qui probati sunt,manifesti fiant. Conuenientibus ergò vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare.Vnusquisq; enim propriam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.Nunquìd domos non habetis ad manducandum & bibẽdum?aut ecclesiam Dei contemnitis,& confunditis eos qui nõ habent?Quid dicam vobis?Laudo vos?in hoc non laudo: Ego enim accepi à Domino,quod & tradidi vobis &c.vt suprà.Quotiescunquè enim manducabitis panem hunc,& calicem hũc bibetis, mortem Domini annunciabitis donèc veniat. Itaque quicunque manducauerit panem hunc, (nam Græcè repetitur τοῦτον) aut biberit (Græcè enim est ἤ,& sic legunt etiam veteres Latini) calicem Domini indignè,reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat,& de calice illo (nam & ibì vocula τῆ,Græcè additur)bibat.Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles,& dormiunt multi. Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non vtiquè iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.Itaque fratres mei,dum conuenitis ad mandu- 1. Cor. 11.

candum, inuicèm expectate. Si quis esurit, domi mãducet, vt nõ in iudicium cõueniatis. Cætera aũt, quum venero, disponam.

Chrysost. in cõm. hom. 27. SVPER quo loco scribens D. Chrysost. Necessariũ est, inquit, p̃sentis criminis causam priùs afferre. Ità enim faciliùs hunc sermonem discere poterimus. Quænam igitur ea est? Quemadmodùm in tribus millibus, qui principiò crediderunt, oẽs communiter comederunt & in cõmune oĩa possederunt: ità & tunc, cùm hæc scripsit Apostolus, factũ est: sed nõ tam certè, tãquàm dubitatio quędam illius cõmunicationis permaneret, & in posteros descẽderet: & cùm cõtingeret, alios quidem pauperes, alios diuites esse, nõ oĩa in cõmune conferebãt. Communes aũt faciebant mensas institutis diebus, vt decebat: & collectione perfecta, post mysteriorũ cõmunicationem, ad commune omnes epulum conueniebant, & cibi ferebantur per sumptuosos: Pauperes, & qui nihil habebant, ab illis vocabantur, & communiter oẽs discumbebant. Sed procedente tẽpore huiusmodi aboleuit cõsuetudo. Ex hac diuisione cõtigit, vt alij his, alij illis se adiungerẽt, & dicerent: Ego quidem illius sum, ego autem illius.

AC posteà: Nõ dixit, cõuenientibus vobis, nõ est cõmuniter mãducare, neq; inuicèm: sed aliter & lõgè formidolosiùs eos his verbis tangit, Nõ est Dominicam cœnam mãducare: ad illam eos noctem relẽgans, in qua admiranda mysteria Christus tradidit.

ET infrà: Qua gratia hoc in loco mysteria cõmemorat? Quoniam maximè necessarius ĩ præsenti materia hic sermo erat. Etenim Dñs tuus eadem oẽs mensã dignatus est, quanuìs supra oẽs admiratione dignissima, & omnium superante dignitatem. Tu aũt eos tua & parua & vili indignos arbitraris, &c.

QVOMODÒ autem dicit, se à Domino accepisse? Neque eñ tunc aderat, sed Christum persecutus est: vt intelligas nihil ampliùs illam mensam habuisse, quàm quæ posteà secutæ sunt. Etenim

enim hodiè ipse est, qui omnia operatur & tradit, quemadmodùm tunc.

AC iterùm: Intellexistis quòd hanc vltimam dimisit nobis pater, & quo tempore expirabat, hæc p̄cepit. Sic Paulus & hinc horrendum facere sermonem suum volens: Recordamini, inquit, hoc vltimũ nobis mysteriũ præbuisse, & ipsa nocte qua erat pro nobis moriturus, hæc præcepit, & post eam traditam nobis cœnam, non ampliùs aliam apposuit. &c.

DEINDÈ de cœna illa referens, præsentia his quæ tunc fuerant, copulat: vt quemadmodùm in illa ipsa vespera & mẽsa dispositi, ab ipso Christo hoc acceperunt sacrificium, ità & nunc disponerẽtur, & inquit: Quotiescunq; comederitis panem hũc, & sanguinem hunc biberitis, mortẽ Dñi annunciabitis donèc veniat. Quẽadmodùm Christus eñ & in pane & in calice in meã commemorationẽ facite hoc dixit, causam nobis aperiẽs, quarè mysteriũ daret, cum alijs hanc esse dicẽs sufficientẽ nobis ad pietatẽ. Nam cùm intelliges, quid propter te Dñs passus est, sapiẽtior efficieris. Ità & ipse iterùm inquit: Quotiescunq; manducaueritis, mortẽ eius annunciabitis: & hæc illa cœna est. Deindè ostendẽs, quòd vsque ad consummationem maneat, inquit, Donèc veniat.

Chrysost. eodẽ loco.

1. Cor. 11.

POSTREMÒ: Considera cùm sacras illas cœnas Apostoli accipiebant, quid tum faciebant? Nónne in preces cõuertebãtur & hymnos? Nónne in sanctas vigilias? Nónne in longam illam doctrinam, & multæ plenam philosophiæ? Magna enim & admirabilia tunc eis narrabat & adnunciabat Iesus, cùm Iudas discederet vocatũ, qui eũ erãt crucifixuri. Non audîsti quomodò tria millia simul communicantes, semper vehemẽtiores erãt in orationibus & doctrina, nõ in ebrietatibus & comessationibus? Tu aũt priùs quàm accipias, ieiunas, vt aliquo modo dignus communicatione videaris: cùm aũt acceperis, & oporteret in continentia perseuerare, om̃ia perdis. Quanquàm æquũ est, ante & post cõmunicationẽ ieiunare: opor-

Acto. 2.

oportet enim vtroque tempore cótinentem eſſe, ſed maximè poſt acceptum ſpiritum: antè, vt dignus fias accipiendi : poſtmodùm, vt non indignus videaris qui acceperis. Quid igitur? ieiunare oportet poſt eius acceptionem? Non dico hoc, neque cogo, licèt bonum ſit: tamen non compello, ſed admoneo, nè in delicijs viuas ad ſaturitatem.

Ibidèm hom. 28.

HOMILIA deniquè ſequenti: Quum enim omninò myſteriorum eſſet memoria, neceſſariò arbitratus eſt hanc aggredi materiam. Non enim parua erat, ideò valdè terribiliter de ea locutus eſt, bonorum indicando caput, vt pura cum conſcientia accedatur. Non, quemadmodùm nunc facimus, temporis gratia accedentes magìs, quàm animi ſtudio: neq; vt præparati ad vitia noſtra expurganda, compunctionis pleni accedimus, ſed vt in ſolennitatibus ſimus, quãdò omnes adſunt, conſideramus. Sed non ità Paulus pręcipit, ſed vnum tempus nouit, quo accederemus, communicatiõis, conſcientiæ puritatem.

AC ſuper illud: Cætera, quum venero, diſponam: Cùm eñ credibile eſſet, ipſos aliquas cauſas allaturos, & non liceret per literas omnia corrigere: quæ admonui iam, ſeruentur, inquit: quòd ſi quicquam aliud dicendum eſt, in meum aduentum reſeruetur.

Idem homilia ſupra illud, Oportet hæreſes eſſe.

IDEM quoquè alibì: Ab hac lege (inquit, loquens de communione bonorum ſub Apoſtolis) & conſuetudine inoleuit in Eccleſijs conſuetudo quædam admirabilis: Fideles enim omnes in conuentibus ſuis poſtquàm audìſſent doctrinas, poſt preces, poſt ſacramentorum communionem, ſoluta concione, non mox domum concedebant, ſed diuites & abundantiores alimenta & edulia à domibus ſuis auferentes, pauperes vocabant, communesq́ue faciebant menſas, communia prandia, communia conuiuia in ipſa Eccleſia, ſicq; tandèm domum redibant. Hunc morem Corinthij proceſſu temporis corrumpebant : & abundantiores, inuitatis ſuî ſimilibus, contẽnebant pauperes: & tardiùs venientes, vtpotè more pauperum ſe-

ſecularibus negocijs detentos, non expectabant. Vndè cótingebat, quòd pauperes aduenientes, menſa ſublata, alijs præueniẽtibus, alijs tardiùs ſubſequentibus, verecundè diſcederent. Videns igitur Paulus mala, quę tum ex eo negocio fiebant, & poſteà futura, quandoquidem contemnebantur pauperes mirum in modum à diuitibus, quorum iuſolens erat ſuperbia: ediuersò verò pauperes mœſti aduerſabantur diuitibus: & qualia ex huiuſcemodi rebus mala oriri ſolent, tunc quoq; vſu eueniebat. Proindè prauam hanc conſuetudinem emendat, & vide quanta prouidentia correptionem aggreditur. De conuiuijs aũt loquitur, quæ in ſynaxi fiebãt: & ob hoc dicit, Non in melius, ſed in deteriùs conuenitis: quòd patres veſtri pauperibus oés poſſeſsiones concedebant, vos pauperes mẽſa etiam illis conceſſa priuâſtis.

ET paulopòſt: Quid eſt, Dominicam cœnam manducare? Non eſt comedere herilem cœnam. Illam autem cœnam dicit, quam ſuprema nocte tradidit Chriſtus, cùm diſcipuli omnes eſſent cum eo: vocans Dominicam cœnam, quæ, omnibus ſimul conuocatis, concorditer & communiter ſumitur. Cuius enim gratia cõueniſtis? ait, Quid vult ſibi conuentus ille? Cuius gratia facta eſt collecta, ſi quidem menſa non ſit communis? Dominicę ſunt opes, quas accepimus: etiã conſeruis noſtris conuiuia propoſita ſint.

ET poſteà: Relicta autem in medio & ſuſpenſa accuſatióis vehementia, ad myſticam menſam conſequenter ſermonem vertit, plùs ipſos volens terrere. Ego enim (ait) accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Qualis hæc eſt conſequentia? de communi diſputas prandio, & ſacramenta commemoras? Etiam, ait. Nam ſi etiam ſpiritualis illa, tremendaque menſa ex æquo omnibus diuiti & pauperi proponitur: neque ea fruitur vberiùs diues, & parciùs pauper, ſed omnium vnus honor eſt, & idem acceſſus, donèc oés communicent. & participes fiant ſpiritualis illius cibi: quæ propoſita ſunt, non retrahuntur, ſed ſtantes ſacerdotes, omnes expectãt, etiam

pauperrimum omnium: quanto igitur magis in mensa illa corporali fieri ità conuenit?

AC sub finem: Deindè vbì multùm disputauit de his, qui indignè communicant mysterijs, eosq; repræhendisset grauiter, & demõstrâsset q̄ idem suppliciũ passuri essent, quod hi qui Christum occíderãt, si sanguiné eius & corpus absq; probatiõe & temerè accipiant: rursùm ad propositam materiam sermonem cõuertit, dicens: Itaq; fratres, cùm conuenitis ad comedendum, &c.

Ambros. in cõm. ITEM D. Ambrosius: Hos (inquit) notat, qui sic conueniebãt in Ecclesiam, vt munera sua offerentes aduenientibus presbyteris, quia adhuc rectores Ecclesijs non omnibus locis fuerant cõstituti, totum sibi qui obtulerant, vindicarẽt schismatis causa. Dissensiones enim inter eos pseudoapostoli seminauerant, ità vt oblationes suas zelarentur, cùm vna atque eadem prece omnium oblationes benedicerẽtur, vt ij qui (vt assolet fieri) nõ obtulerant, aut vndè offerrent, non habebant, pudore correpti, confunderentur, non sumentes partem: & tam citò illud agebant, vt superuenientes non inuenirent quod ederent. Ideoque, si sic (inquit) conuenitis, vt vnusquisq; suum sumat: domì hęc agenda, nõ in Ecclesia, vbì vnitatis & mysterij causa conuenitur, nõ dissensionis & ventris. Munus enim oblatum, totius populi fit: quia in vno pane omnes significantur. Per id enim quòd vnum sumus, de vno pane omnes sumere oportet.

ET paulopòst: Ostendit illis mysterium Eucharistiæ inter cœnandum celebratum, nõ cœnam esse. Medicina enim spiritalis est, quæ cum reuerentia degustata, purificat sibi deuotum. Memoria eñ redemptionis nostræ est, vt redemptoris memores, maiora ab eo consequi mereamur.

ET posteà: Indignum dicit esse Dño, qui aliter mysterium celebrat, q̄ ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse, qui aliter præsumit, quàm datum est ab authore. Ideoque præmonet, vt se-

cun-

cundùm ordinẽ traditum, deuota mens sit accedentis ad Eucharistiam Dñi: quoniam futurũ est iudicium, vt quemadmodùm accedit vnusquisque, reddat causas in die Dñi Iesu Christi: quia sine disciplina traditionis & conuersationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini.

DEINDE: Ad inuicèm expectandum dicit, vt multorum oblatio simul celebretur, * vt & om̃ibus ministretur. * & vt

D. aũt Augustinus hunc locum Apostoli tractans: Illud magìs mouere potuit homines, vtrùm iam refecti die illa, vel offerrent, vel sumerent Eucharistiam, quod in Euangelio dicitur: Cùm autem illi manducarẽt, accepit Iesus panem, & benedixit: cùm etiam superiùs dixisset, Cùm serò factũ esset, recũbebat cum duodecim, & manducãtibus eis, dixit: Quoniã vnus ex vobis me tradet. Pòst enim tradidit sacramentum. Et liquidò appáret, quandò primùm acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, nõ eos accepisse ieiunos. Nunquìd tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quòd à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramẽti, in os Christiani priùs Dñicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Nã ideò per vniuersum orbẽ mos iste seruatur. Neq; enim quia post cibos dedit Dñs, ꝓptereà pransi aut cœnati fratres ad illud sacramẽtum accipiendum cõuenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere. Nanq; saluator quo vehementiùs commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressùrus erat. Et ideò non præcepit, quo deincèps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variãsset. Cùm verò ait Apostolus, de hoc sacramento loquens, Propter quod fratres cùm conuenitis ad manducandum, inuicèm expectate. Si

Aug. Epi. 118. ad Ianuarium ca. 5. & 6.

quis esurit, domì manducet, vt non ad iudicium conueniatis, statìm subtexuit: Cęterà aũt, cùm venero, ordinabo. Vndè intelligi datur, quia multum erat, vt in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatũ esse, quod nulla morum diuersitate variatur.

ET ibidèm pauloantè: Indè enim & Apostolus indignè dicit acceptũ ab eis, qui hoc non discernebãt à cęteris cibis veneratione singulariter debita. Cõtinuò quippe cùm dixisset, Iudiciũ sibi mãducat & bibit: addidit vt diceret, Non dijudicãs corpus Dñi: quod satìs toto ipso loco in Epistola ad Corinthios prima, si diligenter adtendatur, appáret.

Idẽ tract. 62. in Ioã.

IDEM alibì: Quicunq; mãducauerit panem, aut biberit calicem Domini indignè, &c. Et de his erat sermo, quũ hoc Apostolus diceret, qui Dñi corpus, velut quemlibet alium cibũ, indiscretè negligenterq́; sumebant.

Hierõ. & Sedul. cõment.

COMMENT. quoq; D. Hieronymo & Sedulio adscriptus: Iam nõ est Dominica, sed humana, quãdò vnusquisq; tanquàm cœnam propriam solus inuadit: & alij qui nõ obtulerit, nõ impertit: ità vt magìs propter saturitatem, quàm propter mysterium, videamini cõuenire. Cęterùm Dñica cœna oĩbus debet esse communis, quia ille oĩbus discipulis suis qui aderant, æqualiter tradidit sacramẽta. Cœna autem ideò dicitur, quia Dñs in cœna tradidit sacramẽta. Item hoc ideò dicitur, quia in Ecclesia cõuenientes, oblationes suas separatìm offerebãt, & post communionẽ, quęcunq; eis de sacrificijs superfuissent, illic in Ecclesia cõmunẽ cœnam comedẽtes, pariter cõsumebãt. Et alius quidẽ esurit &c. Quicunq; nõ obtulisset, non communicabat: quia oĩa soli qui obtulerant, insumebant. Quidam hunc locũ ad illos referũt, qui epulas in Ecclesia faciebãt.

ET posteà: Nam & ideò, quum accipimus, à sacerdotibus commonemur: quia corpus & sanguis est Christi, vt beneficijs eius non existamus ingrati.

DEIN-

DEINCEPS: Priùs ergò perſcrutanda eſt conſciētia, ſi in nullo nos repræhendit: & ſic aut offerre, aut communicare debemus. Et ſuper illud: Cætera autem, cùm venero, diſponam: Cætera (inquit) de ipſius myſterij ſacramento.

THEODORETVS etiam: Dominicam cœnam vocat ſacramētum Dominicum. Illius enim æquè ſunt participes, & qui in paupertate degunt, & quibus diuitiæ ſpiritus faciunt, & domini & ſerui, & principes, & qui eorum párent imperio. Oportebat ergò (inquit) & menſas communes eſſe communes, & imitari Dominicam, quæ eſt omnibus ex æquo propoſita: nunc autem non ità facitis. Theod. in com.

ET paulopòſt: Sacram illam & omni ex parte ſanctam noctem ad memoriã reuocauit, in qua & typico paſchati finem impoſuit, & verum typi architypum oſtendit, & ſalutaris ſacramēti portas aperuit, & non ſolùm vndecim Apoſtolis, ſed etiam Iudæ proditori precioſum corpus & ſanguinem impertijt. Docet autem quòd illius noctis bonis ſemper frui poſſumus.

THEOPHYLACTVS item: Quemadmodùm (inquit) qui primùm crediderant, communia omnia habentes, communiter & publicè epulabãtur: ſic per quandam eius rei imitationem, etiamſi non adeò exactam, Corinthij ſtatis quibuſdã diebus feſtis ex ęquo publicè conuiuabantur poſt myſteriorum participationem. Siquidem epulati fercula adferebant, inopesq́ue ad conuiuium iſtud acerſebant. At per diſſenſiones admirãdus ille ritus, quo mutua charitas, & Chriſtiana philoſophia continebatur, corruptus eſt, nec ab omnibus ſeruabatur. Scribit igitur Paulus, vt hoc corrigat. Theophy. in com.

ET poſteà: Cuius rei gratia, myſteriorum illius veſperæ meminit? omninò neceſſariò, vt ꝑſuadeat quòd Dn̄s tuus oēs eadē menſa excipere dignatus ſit: tu verò fratrem, eiuſdem tecũ generis & naturæ, auerſaris & dedignari? At, quî ait à Dn̄o ſe accepiſſe? neq; eñ tum aderat Paulus, ſed Chriſti perſecutor erat. Vtì diſcas, quòd ipſe hodieq́; in myſtica mēſa myſteria illa tradat æquè, atquè tum.

Haymo in com.

HAYMO deniquè: Corinthij (inquit) qui & Achaici, vel Achęi, venientes ad fidem Christi per prædicationem Apostoli Pauli, à quo inter cætera quæ Dominus fecit, etiam sacramentum cœnæ Dominicæ perceperant: post discessum illius, in memoriam cœnæ Dominicæ singulis annis quinta feria ante diem Paschæ, conueniebant omnes in Ecclesia, ac nobiles quiq; & potentes, diuitesq́; veniebant, & offerebant singuli panem & vinum, & dabant sacerdoti vndè consecraret corpus & sanguinem Domini. Consecratis autẽ mysterijs à sacerdote Domini, vnusquisq; quod detulerat, accipiebat desuper altari, sumebatq́; tacitè cum suis, vt superuenientes nõ inuenirent quod ederent, & vndè communicarent: aut etiã deferebat omne quod attulerat, ad domũ suã, vt cum suis illud sumeret. Ob cuius rei causam magnę dissensiones inter illos erãt, quas seminauerãt pseudoapostoli: ità vt cùm vna benedictione omniũ oblationes cõsecratæ essent, singuli suas accipiẽtes, quæ cõmunes debuerãt esse, maximã verecundiã inferrẽt his, qui (vt solet) nõ attulerãt, licèt haberẽt: aut his etiã qui nõ habebãt quod afferrẽt. Hoc aũt faciebant multi postquã ab alijs cibis crapulati erãt. Istáq́; acceptionẽ Eucharistiæ, Dominicã cœnã vocauit Apostol⁹ vno modo. Aliter: Soliti quoquè erãt cõuenire eodẽ die ad Ecclesiam oẽs diuites, potẽtes, & nobiles, & præparare sibi in Ecclesia & in foribus Ecclesiæ atq; atrijs illius epulas & cõuiuia, & crapulari & inebriari, vsq; ad vesperã manducãtes & bibentes in cõspectu pauperũ & egenorũ, qui nõ habebãt vndè sibi prępararent similia, nihilq́; accipiebant ab illis diuitibus & potentibus, sed præstolabãtur ieiuni tẽpus cum verecundia, quo placeret illis diuitibus & potentibus, benedici corpus Christi à sacerdotibus vndè cõmunicarent. Impleti aũt illi diuites omnibus cibis & potibus vsq; ad vomitũ, accipiebant ad vltimũ sacramenta corporis & sanguinis Christi, dicẽtes: Sic tradidit Christus discipulis suis nostris doctorib⁹ & magistris corpus & sanguinem suum post aliorũ ciborum perceptionẽ, & sic nos volumus il

lud

lud sumere. Quod audiens Apostolus, scripsit eis inter cætera, ista quæ in præsenti habentur.

IN ECCLESIA, ID EST, LOCO ORATIONI DEPVTATO, SACRAM COENAM CELEBRABANT APOSTOLI.

NVNQVID (inquit D. Paulus Apostolus verbis suprà citatis) domos nõ habetis ad manducandum & bibendũ? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, &c. 1. Cor. 11.

QVEM locũ tractans D. Basilius, ad quæstionẽ respõdens, Nunquid in cõmuni domo Dominica cœna debeat celebrari: Quẽadmodũ (respõdet) scripturæ ratio nõ ꝑmittit, vt vas vllũ commune in sancta introferatur, eodem etiã modo vetat in domo communi perfici seu celebrari: quum vetus testamentũ, manifesto præcepto Dei, nihil isto modo fieri permittat, Dño itidèm dicente: Plusquã templum est hoc, & Apostolo item: Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Quid dicã vobis? laudabo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. & quæ sequuntur. Ex quibus erudimur, neq; communem cœnam in Ecclesia edere ac bibere, neq; Dominicã cœnam in priuata domo contumelia afficere. Præterquàm, si quis in necessitate delegerit puriorem locum aut domum in tempore oportuno. Basilius quæst. cõpend. explic. qu. 310. Matth. 12.

D. etiam Chrysost. Eccè & quarta accusatio, quandò non pauperes tantùm, sed Ecclesia læditur. Quemadmodùm enim Dominicam cœnam priuatam facis, ità & locum, tanquàm domo Ecclesia vsus. Ecclesia enim facta est, non vt diuisi simus, cùm cõuenire oporteat, sed vt diuisi coniungamur. Et hoc conuentus ostendit. Chrysost. hom. 27. ad c. 1. epist. Cor. 1.

ET D. Ambrosius verbis suprà citatis: Ideoq; si sic (inquit) cõuenitis, vt vnusquisq; suũ sumat: domì hæc agẽda, non in Ecclesia, vbì vnitatis & mysterij causa conuenitur, non dissensionis & ventris. Ambr. in com.

AC D. Augustinus: Quærẽdæ etiam locutiones, per id quod cõtinet, id quod cõtinetur. Sicut Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia cõgregatur. Aug. qu. 57. super Leuit.

gregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur: Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. Hanc tamen vocari etiã ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, vbi ait: Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? an Ecclesiã Dei contemnitis? Et hoc quotidianus vsus loquendi obtinuit, vt ad Ecclesiam prodire, vt ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi quod ad locum ipsum parietesq; prodierit, vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur.

Hesych. l. 2. in Leuit. c. 8.

HESYCHIVS quoquè: Quomodò, ait, in his non ad miranda sit sapientia spiritûs? Nullam quippe dubietatem huiusmodi intellectui dereliquit: propterea carnes cum panibus comedi pręcipiẽs, vt nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est, sicut corpus Christi panis viui, qui de cælo descendit. Propter quod Heliæ (secundùm Septuaginta editionem) carnes manè, panes autem vesperì deferebant corui supernè, præfigurare hoc mysterium Domino volente: quod intùs oportet in Ecclesia, in loco sancto, id est, ad altare, coqui & comedi: alibì verò, nequaquàm. Propter quod Paulus Corinthijs præcipiebat: Conuenientibus autem vobis in vnum &c. Et hoc ideò, vt illic absolutè mystica cœna deberet celebrari.

Hieron. ac Sedul. in com.

DIVO quoquè Hieronymo adscriptus comment. Quidam (inquit) hunc locum ad illos referunt, qui epulas in Ecclesia faciebant.

AC posteà: Aut Ecclesiam Dei contemnitis, facientes eam triclinium epularum?

Theodor. in com.

THEODORETVS etiam: Si acceditis, vt lautè & opiparè epulemini, hoc facite in domibus. hoc enim est in Ecclesiam contumelia, & aperta insolentia. Quomodò enim non est absurdum, intùs in templo Dei, pręsente Domino, qui communem nobis mensam apposuit, vos quidem lautè viuere: eos autem qui sunt pauperes, esurire, & propter paupertatem erubescere?

ET

ET Theophylactus: Quum enim (inquit) Dominicam cœnam priuatam feceris, manducans apud teipsum, in Ecclesiam & locum es iniurius. Theophy. in com.

AC Oecumenius: Nam qui in Ecclesia peculiares cœnas facit: & locum sanctum contumelia afficit, & cœnam Dominicam non facit. Oecum. in com.

AC posteà: Quòd siquis (inquit) esurit, domì manducet, de Ecclesia ad proprias domos illos eijciens.

HAYMO deniquè: Itaque (inquit) fratres mei cùm conuenitis ad manducandum corpus & sanguinem Christi in Ecclesia, inuicèm expectate, & multorum oblatio simul celebretur: & omnes communiter ex vno pane communicate: quia illa oblatio vnus panis est, & communis debet esse omnibus. Haymo in com.

EODEM pertinet, quod habet D. Clemens Romanus: Hîc ergò, hoc est, in præsenti vita positos oportet nos agnoscere voluntatem DEI, vbì & agendi, & sacrificandi est locus. Quoniam in alijs locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisì in his, in quibus Episcopus proprius iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet ciuitatem, consecratus fuerit. Aliter enim non sunt hæc agenda, nec ritè celebranda, docente nos nouo & veteri testamento. Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, vobisque & omnibus absq; repræhensione tenere & docere, quibus agendum est, mundamus. Vnaquæq; etenim res tempus suum habet & locum. Clemens in Epist. 3. ad fratrē Domini.

ET Apostolorum Canon: Omnes fideles qui ingrediuntur Ecclesiam, & scripturas audiunt, non autem perseuerant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari. Can. Apostol. 10.

AC quod refert D. Euodius Episcopus Antiochenus 2. à Petro, apud Niceph. libr. 2. cap. 3. In ea ipsa Ioannis domo primū Pascha mysticum conuiuium Dominus cum discipulis instituit. Indè, Euod. Antioch. lib. qui φῶσ inscribitur.

hymno dicto, in montem Oliuarum exiērūt ad villam Gethsemani. Ibidèm propter metum Iudæorum discipuli claudebantur. Ibidèm etiam, foribus clausis, quum resurrexisset, ab ipsis est visus: quum in faciē quoquè eorū inspirauit, & Spiritū eis sanctum dedit. Ibì octauo pòst die Thomę fides est cōfirmata: eò Spiritus sanctus specie linguarum ipsa Pentecoste aduénit. Ibidèm Iacobum Iustum primum Hierosolymorum Episcopum Apostoli suffragijs suis designârunt, & Stephanum cum reliquis sex Diaconis elegerunt.

Niceph. l. 8. c. 30.

QVOD IPSVM repetit alibì Nicephorus: Cęterùm (inqut) in vrbem sanctam reuersa *, in Sion amplißimū longè lateq; cōstruxit templū, in cuius postico domum circunclusit, in qua, foribus clausis propter metū Iudęorum, discipuli fuerant cōgregati, in qua etiā sacra cœna peracta, sacraq; pedū lotio, necnon spiritûs sancti in cœnaculo aduētus, in qua primus quoquè Hierarcha & Episcopus Iacobus renunciatus est.

*subintelligēdū, Helena, siue imperatrix.

Beda in Martyrol. Cal. Aug.

EODEM pertinet quod habet Beda: Romæ (inquit) dedicatio primæ Ecclesiæ, à B. Petro constructæ & consecratæ.

VIDE eadem de re latiùs Vvalafr. Strab. de reb. Eccl. c. 4.

APOSTOLICAE IN SACRIFICIO OBSECRATIONES, ORATIONES, POSTVLATIONES, GRATIARVM ACTIONES, PRO OMNIBVS HOMINIBVS.

1. Tim. 2.

OBSECRO igitur (inquit D. Apostolus Paulus) siue (vt legit D. Ambros.) exhortare primùm omnium fieri δεήσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας, id est, (interprete D. Hier.) obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitā agamus in omni pietate & ca-

ſtitate. Hoc enim bonũ & acceptũ eſt coram Saluatore noſtro, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

ET ad Philippenſes: Nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει μετ' εὐχαριστίας, id eſt, oratione & obſecratione cũ gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Phil. 4.

SIC priorem locum interpretatur Tertull. Qui ergò putas (inquit) nihil nos de ſalute Cæſarum curare, inſpice Dei voces, literas noſtras, quas neq; ipſi ſupprimimus, & plerique caſus ad extraneos transferunt. Scitote ex illis pręceptum eſſe nobis, ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & perſecutoribus noſtris bona precari. Qui magìs inimici & perſecutores Chriſtianorum, quàm de quorum maieſtate conuenimur in crimen? Sed etiam nominatìm atq; manifeſtè: Orate (inquit) pro regibus, & pro principibus, & poteſtatibus, vt oĩa tranquilla ſint. Vobiſcum enim cõcutitur imperiũ: cõcuſsis etiã cęteris membris eius, vtiquè & nos, (licèt extranei à turbis ęſtimemur) in aliquo loco caſũs inuenimur. Tertull. Apolog. c. 34.

AC Athenagoras: Qui enim (inquit) iuſtiùs, quod orant, impetrent, quàm qui pro imperio veſtro vota preceſque ad Deum profundunt, vt filius Patri in eo, ſicut æquiſsimum eſt, ſuccedat, & vt idipſum imperium, cũctis populis ſub ditionem veſtram cõfluentibus, auctum capiat & incrementum? Id quod noſtra quoquè intereſt, vt tranquillam & quietam vitam agamus. Athenag. in fi. orat. pro Chriſtian.

ET D. Baſilius: Adhuc te (inquit) obſecramus, Memẽto ſanctæ catholicæ & Apoſtolicę Eccleſiæ &c. Memẽto Dñe pijſsimi & fideliſsimi noſtri Imperatoris &c. vt in tranquillitate eius, tranquillã & pacificam vitam agamus in omni pietate & venerabilitate. Baſil. in Liturg.

DIVVS quoquè Chryſoſtomus: Ampliùs (inquit) obtulimus tibi hanc rationabilem hoſtiam, pro orbe, pro ſancta catholica & Apoſtolica Dei Eccleſia, & ijs qui caſta in conuerſatione ac ſobria degunt. Pro fideliſsimis & DEO dilectis Imperatoribus noſtris, & toto palatio & omni exercitu eorũ, vt nos in tranquillitate eorũ Chryſoſt. in Liturg.

quietam & tranquillam vitam ducamus in omni DEI cultu & ſobrietate.

Cyrillus Hieroſo. catech. myſtag. 5.

CYRILLVS deniquè Hieroſoly. Deindè (inquit) poſtquàm confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum, pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus &c.

Chryſ. in epiſt. 1. ad Timoth. hom. 6.

LOCVM etiam illum priorem diſertis verbis de hoc ſacrificio interpretatur D. Chryſoſtomus: Quaſi communis quidam totius orbis pater, ſacerdos eſt: dignum igitur eſt, vt omnium curam agat, omnibusq́; prouideat: ſicut & Deus, cuius miniſterio ſeruit, & fungitur vice, idcircò ait: Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecationes & orationes.

AC paulopòſt: Quid aūt ſibi vult, quod ait: Primùm omnium? In obſequio ſcilicet quotidiano, perpetuoq́; diuinæ religionis ritu. Atq; id nouerunt fideles, quomodò diebus ſingulis manè & veſperè orationes fundantur ad Dominum, quomodò pro omni mundo, & Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt poſiti, obſecrationes ab Eccleſia fiant. Sed fortè quis dixerit, pro omnibus, quod ait, tantùm fideles intelligi voluiſſe. At id verum non eſſe, quæ ſequuntur, oſtendūt. Deniquè ait, pro Regibus: neq; enim tunc Reges Deum colebant, verùm multis poſteà temporibus in infidelitate, quam per ſeriem ſucceſsionis acceperant, perſtiterunt. Deindè vt omnis aſſentationis ſuſpicio tolleretur, cùm præmiſiſſet, pro omnibus: tunc demùm, pro Regibus, addidit. Si enim tantùm, pro Regibus, dixiſſet: fortaſsis non deeſſet, qui adulationis gratia illum ità ſcripſiſſe putaret. Quoniam verò conſequens eſſe cernebat, vt Chriſtiani animus ad iſta torpeſceret, neq; huiuſmodi admitteret monita, ſi quidem pro gentili ſacramentorū tempore preces oporteret offerri: vide quid ſecutus adiunxit, vt ex conſideratione lucri, admonitionem faciliùs libentiusq́; ſuſciperēt: Vt quietam (inquit) & tranquillam degamus vitam.

ET

ET homilia sequenti: Quia communia cupit bella dissolui,& pugnas agitationesque, &armorum fremitus, atque ideò & pro Regibus, & pro Principibus sacerdotem offerre preces hortatur: longè magis & in priuatis bellis id necessariò sibi faciendum meminit. Ibidèm hom. 7.

D. etiam Ambrosius: Hæc regula Ecclesiastica est tradita à magistro gẽtium, qua vtuntur sacerdotes nostri vt pro omnibus supplicent: deprecantes pro Regibus huius seculi, vt subiectas habeãt Gentes, vt in pace positi, in tranquillitate mẽtis & quiete Deo nostro seruire posimus. Orantes etiam pro ijs quibus sublimis potestas est credita, vt in iustitia & veritate gubernent rempublicam, suppeditãte rerum abundantia, vt amota perturbatione seditionis, succedat lætitia. Panis enim confirmat cor, & vinum lætificat mẽtem. Postulantes verò pro ijs, qui in necesitate varia sunt, vt éruti & liberati, Deum collaudent incolumitatis authorem. Referentes quoquè gratiarum actiones pro ijs, quæ nobis quotidiè Dei prouidentia præstantur ad vitam, vt in his omnibus, quæ huic imperio infesta & inimica sunt, in affectu pietatis & castitatis Deo seruire posimus. Ambr. in cõm.

IDEM alibì: Bona (inquit) oratio quæ ordinem seruat, vt primò à diuinis inchoëmus laudibus. Si enim cùm apud hominem agimus, beneuolum volumus iudicem facere: quantò magis, cùm Dominum nostrum precamur? Primò ergò immolemus Deo sacrificium laudis, vt & Apostolus dicit: Obsecro ergò primò omñium fieri orationes, obsecrationes, postulatiões, gratiarum actiones. Doceat te Dauidicus Psalmus octauus, qui cœpit à Dei laudibus. Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Quoniam eleuata est magnificẽtia tua super cælos. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Hactenùs oratio. Indè sequitur obsecratio, vt destruatur inimicus. Postulatio, vt lunam & stellas videat: lunam, Ecclesiam: stellas, filios Ecclesię, cę- Idẽ cap. 2. de instit. virg. ad Eus.

lestis gratiæ luce fulgentes:& quod petit, prophetico spiritu visurum se esse promittit. Gratiarum actio, quòd tuetur Dñs hominem. Similiter & Dominica oratio omnia comprehendit, quam vulgare non opùs est.

Idẽ l.4. de sacr. ca.4. ALIBÌ quoq;: Nam per reliqua om̃ia, quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: vbì venitur, vt cõficiatur venerabile sacramẽtum, iam nõ suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi.

Aug. epi. 59. ad Paulin. qu.5. APERTIVS autem D. August. Multa quippe (inquit) hinc dici possunt, quæ improbanda non sint: sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis frequẽtat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramẽtorum, antequàm illud, quod est in Dñi mensa, incipiat benedici. Orationes, cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum cõminuitur: quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratiõe cõcludit. Ad quem intellectũ etiam verbi Græci origo nos adiuuat. Nam eam, quam dicũt, ἐυχὴν, raró ità scriptura ponit, vt intelligatur oratio: sed plerunq; & multo vsitatiùs votũ appellat ἐυχὴν: προσευχὴν verò, quod verbum ità positum est, vndè tractamus, semper orationem vocat. Vndè hanc verbi originem, sicut superiùs dixi, nonnulli minùs eruditè intuẽtes, προσευχὴν, nõ orationem, sed adorationem dicere voluerunt, quæ potiùs προσκύνησισ dicitur. Sed quia oratio interdùm dicitur, quæ vocatur ἐυχὴ, adoratio putata est προσευχὴ. Porrò si vsitatiùs, vt dixi, in scripturis votum appellatur ἐυχὴ, excepto nomine generali orationis, ea propriè intelligenda est oratio, quam facimus ad votum, id est, πρὸσ ἐυχὴν. Vouentur autem omnia, quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio, quo sacramẽto prædicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vouimus in Christo esse mansuros, vtiquè in compage corporis Christi. Cuius rei sacramẽtum est, quòd

quòd vnus panis, vnum corpus multi sumus. Ideò in huius sancti- 1. Cor. 10.
ficatione, & distributionis pręparatione, existimo Apostolum ius-
sisse propriè fieri προσευχὰς, id est, orationes: vel, vt nonnulli mi-
nùs peritè interpretati sunt, adorationes: hoc est enim ad votum,
quod vsitatiùs in scripturis nuncupatur εὐχὴ. Interpellationes au-
tem, siue, vt vestri codices habent, postulationes, fiunt, cùm popu-
lus benedicitur. Tũc enim antistites velut aduocati, susceptos suos
per manûs impositionem misericordissimæ offerunt potestati.
Quibus peractis, & participato tanto sacramento, gratiarum actio
cuncta concludit: quam etiam in his verbis vltimam commenda-
uit Apostolus. Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, vt his
breuiter perstrictis atque significatis, non putaretur negligendum
esse quod sequitur: Pro om̃ibus hominibus, pro Regibus & ijs qui
in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in
omni pietate & charitate: nè quisquam, sicut se habet humanæ co-
gitationis infirmitas, existimaret non esse ista facienda pro his, à
quibus persecutiõem patiebatur Ecclesia, cùm membra Christi ex
omni essent hominum genere colligenda. Vndè adiungit & dicit:
Hoc enim bonum & acceptum est coram Saluatore nostro Deo,
qui om̃es homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis ve-
nire. Et nè quisquam dicere posset, esse salutis viam in bona con-
uersatione, & vnius DEI omnipotentis cultu, siue participatione
corporis & sanguinis Christi. Vnus em̃ Deus, inquit, & vnus me-
diator Dei & hominum homo Christus Iesus: vt illud quod dixe-
rat, Omnes homines vult saluos fieri, nullo alio modo intelliga-
tur præstari, nisi per mediatorem, non Deum, quod semper Ver-
bum erat, sed hominem Iesum Christum, cùm Verbum caro fa-
ctum est, & habitauit in nobis.

DIVVS item Cælestinus eius nominis Papa I. Obsecrationum Cælest. 1.
quoq; (inquit) sacerdotaliũ sacraméta respiciamus, q̃ ab Apostolis Epistol. 1.
tra-

tradita, in toto mundo atque in omni Ecclesia Catholica vniformiter celebrantur, vt legem credẽdi lex statuat supplicandi. Quum enim sanctarum plebium præsules mãdata sibimet legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis agunt causam, &c. vt infrà latiùs.

Gennad. de dogm. Eccl. c. 30. Quæ ipsa verba reperire est in Gennadij libro, (quem vel hinc satìs constat falsò D. Augustino adscribi) de dogmat. Eccles. & in hom. de Adam & Eua, quæ Latini hominis existens, perperàm D. Chrysost. asscribitur. Citãtur eadem & à Petro Diacono lib. de incarn. & gratia ad Fulgentium.

Prosp. de voca. gẽt. li. 1. ca. 4. SIMILIA quoquè reperio & apud D. Prosperum: De hac ergò (inquit) doctrinę Apostolicę Regula, qua Ecclesia vniuersalis imbuitur, nè in diuersum intellectum nostro euagemur arbitrio, quid * in ipsa vniuersalis Ecclesia sentiat, requiramus: quia nihil dubiũ esse poterit in præcepto, si obedientia concordet in studio. Præcepit itaque Apostolus, immò per Apostolum Dominus, qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes, postulatiões, gratiarũ actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, ac pro his, qui in sublimitate sunt. Quam legem supplicationis, ità omnium sacerdotum & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mũdi sit, in qua huiusmodi orationes nõ celebrẽtur à populis Christianis. Supplicat ergò vbiquè Ecclesia Deo, non solùm pro sanctis & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus, &c.

*de

Theoph. in cõm. THEOPHYLACTVS verò: Primùm omnium (inquit) id est in quotidiano cultu. Etenim sacerdos velutì cõmunis orbis terrarum pater consistit, omnium curam gerens, quem & pro cunctis oportet mortalibus preces fundere, perindè àc Deus cui sacrum facit, * ac sacerdotio fungitur. Obserua hîc magnam & latè patentem gratiam. nam Iudæorum preces eiusmodi non sunt. Nec dixit statìm pro regibus, vt non videatur adulari. Enimuerò cùm priùs dixisset pro omnibus hominibus, tunc subiunxit pro Regibus. Etsi

*ac cuius

ſi enim infideles fuerint Reges, pro ipſis tamen orandum: tunc eñ tales erant.

AC paulò pòſt: Quia veriſimile erat, Chriſtianorum animum turbari, ſi iubeatur myſteriorũ tempore orare pro infidelibus Regibus: lucrum apponit, vt vel ſic adhortationem recipiamus. Illorũ nanq; ſalus, inquit, noſtra eſt tranquillitas. bellum eñ gerũt, vt nos extra metum ſimus. Quomodò igitur non iniquum eſt, illos pro noſtra ſecuritate pericula ſubire, nos verò ne labia quidem aperire vel mouere, vt pro ipſis interpellemus?

ET Oecumenius: In quotidiano Dei cultu hoc (inquit) fiat ante oĩm memoriam. Epiſcopum eñ, quum ſit omnium pater, pro oĩbus hominibꝰ precari cõuenit, ꝓ credẽtibꝰ, inquã, & incredulis. Oecum. in Cõm.

PAVLÒ etiam poſteà: Nè perterreatur perturbetúrve Chriſtianus, quamobrem in tempore myſteriorum memoria fiat Regis, quandoquidem ſæpè & incredulus ſit, oſtendit in noſtrũ lucrum cedere ipſorum incolumitatem.

HAYMO etiam apertiſsimè: Beatus (inquit) Apoſtolus dirigẽs hęc verba Timotheo, in illo tradidit oñibus Epiſcopis & presbyteris, omniq; Eccleſię formam, quomodò deberent Miſſarum ſolénia celebrare, & pro omnibus hominibus orare. Quam formam vel exemplum omnis Eccleſia modò retinet. Nam obſecrationes ſunt, quicquid præcedit in Miſſarum ſolennijs vſque ad illum locum, vbi incipit ſacerdos conſecrare myſteria corporis & ſanguinis Domini, inquiens: Te igitur clemẽtiſsime pater, petimus. Orationes ſunt, quas fundit ſacerdos in cõſecratiõe Euchariſtię ad fractionem corporis Dñi, videlicet quandò particulã quandam ſacerdos in calicẽ ponit. Poſtulationes ſunt benedictiões Epiſcopales, quas dicit Epiſcopus ſuper populũ, inuocans nomẽ Dñi Dei ſuper illum. Quod tractũ eſt ex veteri teſtamẽto. Per Moyſen nanq; dixit Dñs ſacerdotibus: Inuocabitis nomẽ meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. Gratiarũ actiones ſunt laudes, quas, cõmunicato Haymo in cõm.

populo, refert sacerdos Deo patri, qui dignatus est mysteria corporis & sanguinis filij sui dare eis in salutem & redemptionem.

Strab. in Glos. ord. QVAE ipsa verba citantur à Strabo in Glossa Ordinaria.

Anselm⁹ in cōm. D. Anselmus deniquè: Ordo Missæ in his verbis ostenditur, vt obsecrationes sint, quas facimus in celebratione sacramentorum, commemoratione sacrorũ, antequàm illud quod est in Dñi nostri mensa, incipiat benedici. Oratiões verò, quum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendũ comminuitur. Postulatiões aũt, cùm populus ab episcopo benedicitur. Postulationes em̃ quasi ex debito petiuit, velut cum quadã fidutia vel adnisu. Sic postulatio vbì fit cũ fidutia: vt quod geritur, in æterna vita perficiatur. Quibus peractis, & participato toto sacramẽto, gratiarũ actio cuncta cõcludit.

ALTARE APOSTOLIS IN VSV FVIT OBLATIONIS TEMPORE.

Heb. 13. HABEMVS (inquit D. Paulus Apostolus) θυσιαστήριον, id est, altare, de quo edere non habent facultatem qui tabernaculo deseruiunt.

Chrysost. hõ. 33. in Epist. ad Hebr. SVPER quo loco D. Chrysost. Non enim (inquit) qualia sunt apud Iudæos, talia etiã nostra sunt, ità vt nec Pontifici liceat istorum participem fieri.

ET non multò pòst: Deindè aufert à figuris sacrificium, & ad principalem formam sermonem suum redigit, dicẽs: Quorũ enim animaliũ sanguis &c. Illa itaq; typus erant istorum. Intueris igitur, quoniam sanguinem participamur, qui infertur in sancta? sancta, inquam, veracia? Nos igitur veritatem participamur.

Theoph. in cõm. ET explicatiùs Theophylactus: Nos (inquit) obseruatione habemus, verùm haud eam quę sit in huiusmodi cibis, sed super altari, siue incrueta hostia viuifici corporis. Hui⁹ em̃ vt sint participes, ne Pontificibus quidem legalibus permittitur tantispèr dum tabernaculo seruiunt, hoc est, legalib⁹ vmbris & figuris, quę transeũt

ac

ac diſſoluuntur. tale quiddam enim tabernaculum erat vel mundo huic, perindè àc legalium victimarum ac ſacrificiorum vulgus, vt indignum, haud erat particeps.

AC paulopòſt: At noſtri ſacrificij ne legis quidē Pontifices conſortes eſſe poſsint: ſiquidem noſtri ſacri, illæ oblatiōes typi erant.

OECVMEN. quoq;: Hic ergò eſt ſanguis, qui per pontificem, qui apud nos eſt, ſuper noſtrum offertur altare: idcircò fas nō eſt, Pontificibus Iudæorum, ex hoc altari edere. Oecum. in cōm.

ET Haymo, ſicut & Primaſius: Altare autem illud Iudæorum quod fiebat extra caſtra, vbì conſumebantur carnes, altare Eccleſiæ eſt, vbì quotidiè conſecratur corpus Chriſti. Habemus ergò altare Eccleſiæ, vbì conſecratur corpus Dominicum, de quo nō habent poteſtatem edere, qui tabernaculo corporis ſui deſeruiunt, fornicatores videlicet, adulteri, ebrioſi, & immundi. Primaſius et Haymo in com.

ANSELMVS deniq;: Altare verò, vbì extra caſtra crematus eſt Chriſtus, altare eſt Eccleſię, vbì cōſecrat̄ corp⁹ ei⁹: de quo nō habēt poteſtatē edere, qui deſeruiunt tabernaculo, id eſt, vmbrę veritatis. Anſelm. in com.

APOSTOLORVM certè canones id conuincunt quod propoſuimus: Si quis (inquiunt) Epiſcopus aut presbyter præter ordinationem Dñi alia quædam offerat in ſacrificio ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, id eſt, ſupra altare &c. vt ſuprà. Apoſt. Canon. 3.

ET rursùs: Offerri non liceat aliquid ad altare, pręter nouas ſpicas & vuas, & oleū ad luminaria, & thymiama ſiue incenſum tempore quo oblatio celebratur. Apoſt. cā. idē, ſeu 4.

Ac denuò: Si quis presbyter cōtemnēs Epiſcopū ſuum, ſeorsùm collegerit, & altare aliud erexerit, (χωρὶσ συναγάγη, καὶ θυσιαστήριον ἕτερον πήξει) nihil habens, quo repræhēdat Epiſcopum in cauſa pietatis & iuſtitiæ, deponatur, quaſi principatûs amator exiſtens. Eſt enim tyrannus, & cæteri clerici quicunq; tali conſenſerunt. Apoſt. Can. 30.

SIMILITER D. Andreas Apoſtolus, iuxta quod deſcribūt presbyteri & Diaconi Achaiæ: Omnipotenti Deo, qui vnus & verus Andreas Apoſtolus in vita ſua.

 eſt,

est,ego omni die sacrifico,non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorũ sanguinem: sed immaculatum agnũ quotidiè in altari crucis sacrifico: cuius carnes posteaquàm omnis populus credentium mãducauerit,& eius sanguinem biberit,agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus:& cùm verè sacrificatus sit,& verè carnes eius manducatæ sint à populo, & verè sanguis eius sit haustus, tamen integer permanet, & immaculatus, & viuus.

Iacob. in Liturg.

ET D.Iacobus frater Domini,dum initio Liturgiæ orationem collocat,quum Sacerdos assistit altari,& quod infrà citatur. Neque verò dissentit D.Clemens,dicens se id à D.Petro accepisse: Altaris (inquit) palla,candelabrũ,&c. Ac rursùm: Pallæ altaris solæ lauentur &c. sicut infrà latiùs.

Clem. Rõ. Epist. 2. ad fratrem Domini.

ET D. Ambrosius super illud Apostoli: Non potestis mensæ Domini participes esse,& mensæ dęmoniorum. Quia (inquit) qui calicem dæmoniorum bibit,calici Domini insultat: & cùm mensæ dæmoniorum communicat,mensæ Dñi,id est, altario obstrepit,& Domini corpus crucifigit.

Amb. cõ. ad cap. 10. Epist. 1. ad Cor.

ETIAM LVMINARIBVS VSI SVNT APOSTOLI.

Apost. cã. 3. sen. 4.

TESTATVR id Canon Apostolorum suprà citatus: Offerri (inquiunt) nõ liceat aliquid ad altare præter nouas spicas & vuas & oleum εἰς τὴν λυχνείαν, i. ad luminaria seu lucernas &c.

Apost. Can. 70.

Et alter Canõ, qui idipsum interdicit fieri ad sacra gẽtiliũ. Si quis (inquiunt) Christianus oleũ ad sacra gẽtiliũ,aut ad Synagogas Iudæorum in festis eorum detulerit, aut λύχνους, id est, lucernas incenderit,à communione excluditor.

Apost. Can. 71.

RVRSùs alius Canon: Si quis clericus aut laicus ceram aut oleũ ex sacra surripiat Ecclesia,à communione seiungitor.

Clẽ. Rõ. epist. 2. ad fratrem Domini.

EODEM pertinet quod habet D. Clemens Romanus, de candelabro, loco suprà & infrà citato.

IN-

INCENSO QVOQVE SIVE THYMIAMATE SVNT VSI.

HOC quoquè supradictus canon cõuincit: Offerri (inquiũt) non liceat aliquid ad altare, præter nouas spicas, & vuas, & oleum ad luminaria & θυμίαμα. Apost. canо. 3. siue 4.

EODEM pertinet D. Iacobi fratris Domini oratio, cùm incenditur thus in ingressu & principio Liturgiæ: Domine Iesu Christe Dei sermo, qui tua sponte te Deo ac Patri victimam irreprӕhensam in cruce obtulisti, duplicis ille naturæ carbunculus, qui forcipe labia prophetæ attigisti, & eius peccata abstulisti, tange & nostros, qui peccatores sumus, sensus, ac nos purga omni macula, purosque nos siste sancto altari tuo, vt tibi laudis sacrificium offeramus: & præsentem hunc ex nobis inutilibus seruis tuis suffitum recipe in odorem suauitatis, fœtoremq; animæ & corporis nostri fragrantem redde, ac vi illa spiritûs tui sanctificante nos sanctifica: solus enim tu sanctus es, qui sanctificas, & sanctificaris, fidelibusque impartiris, quem vnà cum ęterno patre tuo, ac modis omnibus sancto, bono & viuifico spiritu tuo, gloria decet nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen. Iac. in Missa.

ET secunda oratio, Postquàm dixit Diaconus: Dominum rursùs oremus: Deus (inquit sacerdos) qui admisisti Abelis dona, Noë & Abrahami sacrificium, Aaronis & Zachariæ thymiama: accipe, quæso, de manibus nostris, qui sumus peccatores, thus hoc, quod tibi adolemus in odorem suauitatis, nostrorumque peccatorum remißionem, ac totius populi tui: quia benedictus es, & te gloria decet patrem, & filium, & spiritum sanctum, nunc & semper.

DIACONORVM MINISTERIO IN SACRIFICIIS VTEBANTVR APOSTOLI.

Apoſt. ca- no 8. ſeu 9.

SI quis (inquiunt Apoſtolorum Canones) Epiſcopus aut preſbyter, aut Diaconus, aut quicunq; ex ſacerdotali cõſortio, oblatione facta, non communicauerit, cauſam dicito &c.

Apoſt. ca- no. 27. ſeu 29.

ET rursùm: Si quis Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus ob certa crimina iuſtè depoſitus, attingere λειτουργίαν dudùm ſibi commiſſam prẹſumpſerit, hic ab Eccleſia abſcinditor.

Iacob. in Liturg. Clẽ. conſt. Apoſt. l. 2 c. 63. & li. 8. cap. 8. & ſequen.

DIACONI etiam varia officia videre eſt in Liturgijs D. Iacobi & Clementis Romani, quẹ partìm illic, partìm infrà catholicus lector requirat.

Ignatius Epiſt. ad Trallian.

D. Ignatius etiam his conſentit: Quid (inquit) Diaconi ſunt, niſi imitatores Chriſti, miniſtrantes Epiſcopo, ſicut Chriſtus patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam? Quomodò ſanctus Stephanus beatiſsimo Iacobo, & Timotheus & Linus Paulo, & Anacletus & Clemẽs Petro. Qui igitur iſtis inobediens fuerit, hic ſine Deo omninò erit, & impius, & contemnens Chriſtũ, & ordinationem ipſius minorans.

Item ad Heron.

Ac ad Heronem Diaconum: Sine Epiſcopo nihil agas: ſacerdotes enim ſunt, tu verò miniſter ſacerdotum. Illi enim baptizant, ſacerdotium agunt, ordinant, manus imponunt: tu verò eis miniſtras, ſicut ſanctus Stephanus Iacobo, & cæteris presbyteris in Hieroſolymis.

Hieron. epiſt. ad Euagr. Tom. 2.

ITEM Hieron. epiſtola ad Euangelum: (ſic enim habent MS. cod. pro, Euagrium) Et vt ſciamus (inquit) traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento: quod Aaron & filij eius atq; Leuitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi & presbyteri ac Diaconi vendicent in eccleſia.

Iſidor. de Dei offic. li. 2. c. 8.

ISIDORVS deniquè: Leuitæ ex nomine authoris vocati: de Leui enim Leuitæ exorti ſunt, à quibus in templo Dei myſtici ſacramẽti miniſteria explebãtur. Hi Grẹcè Diaconi, Latinè miniſtri dicuntur: Quia ſicut in ſacerdote cõſecratio, ità in Diacono miniſterij diſpenſatio habetur. Idem c. 8. lib. 2. de offic. eccleſiaſticis, inquit:

quit:

quit: Diaconorum ordo à tribu Leui accepit exordium. Præcepit enim DOMINUS Moysi, vt post ordinationem Aaron sacerdotis & filiorum eius, rursùs Leui tribus in diuini cultûs ministerijs ordinaretur, & consecraretur DOMINO pro omnibus primogenitis, & seruiret pro Israel coram Aaron & filijs eius in tabernaculo Dñi, excubans in templo die ac nocte, ipsiq; gestarēt arcā & tabernaculū, & omnia vasa eius, & in circuitu tabernaculi castra ipsi constituerent, in promouendo tabernaculū deponerent, rursùs ipsi cōponerent. A vigintiquinq; annis & suprà in tabernaculo seruire mādatum est. Quam regulam constituerunt sancti patres in nouo testamento. In Euangelio aūt primordia eorū in actibus Apostolorum ità leguntur: Conuocantes aūt duodecim Apostoli multitudinem Act. 6.
discipulorum &c. Ex hinc iam decreuerunt Apostoli vel successores Apostolorū, vt per omnes Ecclesias septem DIACONI, qui sublimiore gradu essent cæteris, circa aram Christi, quasi columnę altaris asſisterent, & non sine aliquo septenarij numeri mysterio.

CANTVS ITEM HYMNORVM ET PSALMORVM APOSTOLIS NON INVSITATVS.

HVC illud inprimìs pertinet, quod de Christo & Apostolis Matt. 26.
post cœnam sacram referunt Euāgelistæ: Et hymno dicto, Marc. 14.
exiêruut in montem Oliueti.

ITA eñ disertis verbis interpretatur eū locū D. Chrysost. verbis suprà citatis: Cōsidera, inq̄t, quū sacras illas cœnas Apostoli accipiebāt, q̄d tū faciebāt? Nōne in preces cōuertebātur & hymnos? &c. Chrysost. hom. 27. in epist. 1. ad Cor.

ET alibì: Gratias agit, posteaquàm dedit, & hymnum cecinit, vt nos quoquè similiter faciamus. Idē hom. 83. in Mat.

AC D. Hilarius: Consummatis (inquit) vniuersis diuinorum mysteriorum virtutibus, gaudio & exultatione communi in cæle stem gloriam efferuntur. Hilar. in Matt. cano. 30.

POR-

1. Cor. 14. PORRÒ etiam illud D. Apostoli huc pertinet: Psallam spiritu, psallam & mente. Ac, Cùm conuenitis, vnusquisque vestrûm Psalmum habet &c. Et super hunc locum veterum commentarij.

Ephes. 5. ILLVD quoquè: Implemini Spiritusancto, loquẽtes vobismetipsis in Psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallẽtes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & patri.

Colos. 3. Can. 1. AC illud: Docentes & commonentes vosmetipsos in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus in gratia, cantantes in cordibus vestris Deo.

Conc. Tolet. 4. canon. 12. COMMENTARIOS veterum super his locis compendij gratia prætermittimus. Vnicum locum ex Concilio Tolet. 4. adijcimus: De hymnis (inquiunt) canendis, & Saluatoris & Apostolorum habemus exemplum. Nam & ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo Euangelista testante: Et hymno dicto, exiêrunt foràs. Et Apostolus Paulus ad Ephesios scribit, dicens: Impleamini Spiritu sancto &c. vt suprà.

Euse. hist. eccl. l. 5. c. 28. Niceph. EODEM pertinet illud cuiusdam scriptoris incerti contra Artemonem hæreticum apud Eusebium & Niceph. Sed & Psalmi vel cantica quæ à fidelibus ab initio scripta sunt: verbũ Dei esse Christum & Deum, tota hymnorum suorum laude concelebrant.

ETIAM SCRIPTVRARVM LECTIO APOSTOLIS INITIO SACRIFICII VSITATA.

Apost. canon. 10. QVICVNQVE (inquiunt Apostoli) fideles Ecclesiam ingrediuntur, & scripturas audiunt, &c. vt infrà.

Iacob. in Liturg. DEINDE (inquit D. Iacobus frater Domini) leguntur fusissimè oracula sacra veteris testamenti & Prophetarum, & filij Dei incarnatio demonstratur, passio, resurrectio ex mortuis, asscensus in cælum,

lum, ſecundus prætereà aduentus eius cum gloria. Atq; id fit ſingulis diebus in ſacra & diuina Miſſa.

ET D. Clemens: Poſt verò lectionem legis & prophetarũ, Epiſtolarum (nomine Apoſtolorum loquitur) noſtrarum, Actuum, atque Euangelij, ordinatus ſalutet Eccleſiam. Conſt. Apoſt. l. 8. c. 4.

EODEM pertinet quod habet Albinus Flaccus: Anteà tantùm Epiſtola Pauli recitabatur, & ſanctum Euangelium, & ſic Miſſa celebrabatur. Albin. Flacc. de diui. offic.

AC illud Hrabani Mauri: Sed enim (inquit) initiò mos iſte cantandi non erat, qui nunc in Eccleſia ante ſacrificium celebratur: ſed * tamen Epiſtolæ Pauli recitabantur, & ſanctum Euangelium. Hrab. de inſtit. cle. lib. 1. c. 32. * tantùm

VERBIS CONSECRATIONIS PENE EISDEM, QVIBVS NVNC VTIMVR, CVM ORATIONE DOMINICA SACRIFICABANT APOSTOLI.

EA nocte (inquit D. Iacobus) qua tradebatur, vel potiùs ſeipſum tradebat, pro vita & ſalute mundi. Iacob. in Liturg.

Deindè ſacerdos panem manibus accipiens, dicit:

ACCIPIENS panem in ſanctas, immaculatas, incul pabiles, immortales manus ſuas, in cælum ſuſpiciens, ac tibi Deo & patri oſtẽdens, gratias agens, ſanctificans, frangens, dedit nobis diſcipulis ſuis & Apoſtolis, dicens:

Diaconi dicunt:

IN remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam.

Deindè exclamat:

ACCIPITE, comedite: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remiſſionem peccatorum.

Pop. Amen.

Deindè accipit calicem, & dicit:

SIMILITER, poſtquàm cœnauit, accipiẽs calicẽ, & permiſcẽs

ex vino & aqua, & adſpiciẽs in cælũ, ac oſtendens tibi Deo & patri, gratias agens,ſanctificans,benedicens,implens ſpiritu ſancto, dedit nobis diſcipulis ſuis,dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur & datur in remiſsionem peccatorum.

Popul. Amen.

Sacerdos:

HOC facite in meã commemorationẽ:quotieſcũq; enim comederitis panem hunc, & hunc calicem biberitis, mortem filij hominis annũciatis,& reſurrectionem eius cõfitemini, donèc veniat.

ET poſteà: Et dignare Domine benigne, vt nos audacter & cõfidenter,inculpatè,puro corde,animo contrito,facie minimè confuſa,atq; erubeſcente,labijs ſanctificatis,audeamus inuocare te ſanctum Deum patrem,qui in cælis es,& dicere:

Populus:

PATER noſter qui es in cælis,ſanctificetur nomen tuum,&c.

Cle. Rom. cõſt. Apoſtol. l. 8. c. 17.

ITEM D.Clemens: Nam in qua nocte tradebatur,accipiens panem in ſanctas & immaculatas manus, & ſuſpiciens in te Deũ ſuũ & patrem,frangensq́;,dedit diſcipulis,dicẽs: Hoc myſterium noui teſtamenti accipite:ex eo comedite.Hoc eſt corpus meũ,quod pro multis frangitur in remiſsionem peccatorũ. Similiter & calicem miſcens ex vino & aqua,& ſanctificans, tradidit eis, dicens: Bibite ex eo omnes:Hic eſt ſanguis meus,qui pro multis effunditur in remiſsionẽ peccatorum: hoc facite in meã commemorationẽ. Quotieſcunquè enim comederitis panem hunc,& biberitis calicẽ hunc, mortem meam annunciabitis donèc veniam.

Alcuin. de diui. offi.

ITEM Alcuinus: Hoc autem (inquit) quod ſequitur: Qui pridiè quàm pateretur,vſq;:In meî memoriam facietis, Apoſtoli in vſu habuerunt poſt aſſcenſionem Domini.

Honor. in gem. ani. l. 1. c. 86.

HONORIVS etiam presbyter Auguſtod. Miſſam (inquit) inprimìs Dn. Ieſus ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech inſti-

uit,

tuit, quandò ex pane & vino corpus & ſanguinem ſuum fecit, & ob memoriam ſuî ſuis celebrare hoc præcepit. Hanc Apoſtoli auxerunt, dum ſuper panem & vinum verba quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt.

ILLVD quoquè quod ſuprà ex Vualafrido Strabo citatum eſt, ſuper illud Act. 20. Vna autem ſabbati, &c.

EODEM pertinet illud D. Baſilij: Dogmata quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam rursùs ex Apoſtolorum traditione, in myſterio, id eſt, in occulto tradita, recepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint iura eccleſiaſtica. Nam ſi conſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquàm haud multum habentes momenti, conemur reijcere, imprudentes & ea damnabimus quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habētur, immò potiùs ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Baſil. de Spir. ſanc. c. 27.

CVIVS rei exempla proferens: Inuocationis (inquit) verba, quum oſtenditur panis Euchariſtiæ & poculum benedictionis, quis ſanctorum in ſcripto nobis reliquit? Nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus, aut Euangelium, verùm alia quoquè & antè & pòſt dicimus, tanquàm multũ habentia momenti ad myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptum accepimus.

LATè hoc quoquè deducit Innocentius 3. Epiſt. ad Ioannem Archiepiſcopum Lugdunenſem, in hæc verba: Quæſiuiſti quæ ſit forma verborum, quam ipſe Chriſtus expreſſit, quum in corpus & ſanguinē ſuum panē transſubſtantiauit & vinum, & quiſnam (nam has voces hîc deſiderari cenſeo aut ſimiles) illud in canone Miſſæ quo Eccleſia vtitur generalis, adiecerit, quod nullus Euangeliſtarũ legit̃ expreſſiſſe. Cùm em̃ in Euãgelio ſic legat̃: Accipiēs calicē, gratias agēs, benedixit, & dedit diſcipulis ſuis, dicēs, Bibite ex hoc oēs. De celebr. Miſſarum c. cũ Marthæ. Matt. 26.

Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & multis effundetur in remissionem peccatorũ: in canone Missæ, sermo iste: videlicet, mysterium fidei, verbis ipsis interpositus inuenitur. Vndè quum non Euangelista Christũ hoc dixisse testetur, miraris quòd aliquis asseuerare tentauerit eum aliquid plus dixisse, quàm aliquis Euangelistarum asseueret. Verùm si formã ipsius canonis inspicias diligenter, præter hoc de quo tua fraternitas requisiuit, alia

* noui & duo, videlicet, eleuatis oculis in cælum: * & æterni testamenti: poteris in ipso canone reperire, quæ in textu Euangelico non leguntur. Sanè multa tã de verbis, quàm de factis Dominicis, inuenimus ab Euangelistis omissa, quæ Apostoli vel suppleuisse verbo, vel facto expreßisse legũtur. Paulus enim in Actibus Apostolorũ sic ait:

Act. 20. Meminisse nos oportet verbi Dñi Iesu, qui dixit: Beatius est dare, q̃ accipere. Hoc nullus quatuor Euãgelistarum descripsit. Nullus etiã

1. Cor. 15. horũ expreßit, quod Paulus de Christo ad Corinthios scribens, ait: Visus est plùs quàm quingẽtis fratribus simul, deindè visus est Iacobo, nouißimè aũt oĩm tanq̃ abortiuo visus est & mihi. Ipsi autẽ Euangelistæ mutuò inter se suppleuisse leguntur, quæ ab eorũ aliquo vel aliquibus sunt omissa: vndè cùm tres Euangelistæ posuerint,

Luc. 22. Matt. 26. Marc. 14. Hoc est corpus meum: solus Lucas adiecit, quod pro vobis tradetur. & cùm Matth. & Marcus dicant, pro multis: Lucas dicit, pro vobis. Matthæus autem, in remißionem peccatorum, adiunxit.

CVI planè similia habet idem Innoc. 3. lib. 4. de sacrif. alt. c. 4.

Radulph. Tung. de can. obseru. c. vlt. Guil. Durant. in rat. diuin. l. 4. c. 1.

RADVLPHVM Tungrensem & Guilielmum Durãtum, tum quòd recentiores sint, tum prolixitatis vitandæ gratia, prætermittimus.

AB APOSTOLIS SANCITVM, VT IN SACRIFICIIS DEFVNCTORVM AGATVR COMMEMORATIO.

FACIT

FACIT huc inprimìs, quod in D. Iacobi fratris Domini Liturgia pronunciat Diaconus: Vt patres & fratres noſtri qui antè obiêrunt, in pace requieſcant, Dominum oremus: Item quod ſacerdos: Vt de manu Apoſtolorum tuorum verum hunc cultum accepiſti, ità quoquè è manibus noſtris, qui peccatores ſumus, recipe munera hæc propoſita per tuam benignitatem: & fac, vt oblatio noſtra grata & acceptabilis ſit, per ſpiritum ſanctum ſanctificata, in propitiationem peccatorum noſtrorum, & eorum, quæ populus per ignorantiam, admiſit, & in requiem animarum eorum, qui ante nos dormiunt, vt & nos abiecti, & peccatores, & indigni ſerui tui, digni habiti, qui ſine dolo miniſtremus ſancto altari tuo. Iacob. in Liturg.

ET oratio illa: Memento Domine Deus noſter, ſpirituum & vniuerſæ carnis, quorum memoriam egimus, Orthodoxorum ac rectè de fide ſentientium, ab Abel iuſto vſque ad hodiernum diem: Fac eos requieſcere in regione viuentium, in regno tuo in delicijs paradiſi, in ſinu Abrahæ, Iſaac & Iacob, ſanctorum patrũ noſtrorũ, vndè exulat dolor, triſtitia, & gemitus: vbì præſidet lumen vultûs tui, & perpetuò refulget.

ITEM illud D. Clementis Romani: De ijs autem qui quieuerunt in Chriſto, poſtquàm Diaconus abſoluit orationem, nè idem repetamus, hæc addet: Pro quieſcentibus in Chriſto, fratres noſtri, rogemus, vt benignus Deus qui ipſius animam ſuſcepit, dimittat ei omne delictum voluntarium & inuoluntarium: Et propitius illi factus, collocet eum in regiōe piorum & beatorum, in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob, cum omnibus qui à ſeculo placuerunt ei, & fecerunt voluntatem ipſius, vndè abeſt dolor, triſtitia & ſuſpirium. Clē. Rom. Cō. Apo. l. 8. ca. 47.

AC quod habet in Liturgia Apoſtolica: Pro ijs qui in fide quieuerunt, oremus. Ibidèm l. 8. cap. 19.

DISERTIS certè verbis hoc teſtatur D. Athanaſ. loco citato à Damaſceno ſerm. pro defunctis: Si quis (inquit) diem ſuum ob- Athanaſ. ſer. in eos qui obdormiêrunt.

ierit, licèt in aërē deponatur inhumatus, nè omiſeris ceram & oleū, inuocato Chriſto Deo, ad ſepulcrum accēdere: Accepta enim Deo ſunt, plurimamq́ue ſecum referunt retributionem. Oleum enim & cera, holocauſtum eſt: incruentæ aūt hoſtiæ oblatio, propitiatio eſt. Quod verò in pauperes collocatur beneficium, omnis bonæ retributionis augmentum. Itaq; pro defuncto oblaturus, eundem ſeruet ſcopum, quem qui pro paruulo filio, adhuc imbecillo & infante. Interìm enim dum puer ęgrotat, affert ceram, oleum, & thymiama in templum Domini magna fide, & accendit pueri nomine. Neque enim puer hoc faceret, vel poſſet, cùm ignoret diuinæ regenerationis conſtitutiones. Sic cogitet etiam eum, qui in Domino mortem obijt, & poſſe & afferre ceram, oleum, & cætera, quæ in redemptionem offerri ſolent. Quod ſi hac ratione & fide obtulerit, eius gratia non vndiquaquè diuina gratia priuabitur. Apoſtoli enim Dei prædicatores & magiſtri, ſacrificiorum curatores, alijq́ue patres ſacro afflati numine, vt participes virtutis animum excedere facientis, ſecundùm quod fas erat, & acceptum Deo, diuino ore annunciârunt, operationes ſacras & preces & pſalmos anniuerſariasq́ue defunctorum memorias, & quæcunque vſque in hodiernum diem gratia benigniſsimi Dei augentur, incrementumq́; accipiunt, ab ortu ſolis vſque ad occaſum, & à ſeptentrione & meridie, in gloriam & laudem Dei DOMINI DOMINORUM, & regis regnantium.

Gre. Nyſs. apud Damaſc. ET D. Gregorius Nyſſenus loco ab eo citato: Nihil abſque ratione & vtilitate à prædicatoribus & diſcipulis Chriſti traditum, & in omnibus Eccleſijs prædicatum. Res aūt modis omnibus vtilis & Deo inprimìs grata, in diuinis pręclarisq́ue ſacris operationibus, eorum qui in recta fide deceſſerunt, manifeſtam facere memoriam.

Chryſ. hō. 3. in Epiſt. ad Philip. D. item Chryſoſtomus: Non fruſtrà ab Apoſtolis ſancitum eſt, vt in celebratione venerandorum myſteriorum, memoria fiat eo-

rum

rum qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Stante siquidem vniuerso populo, manus in cælos extendente, cœtu item sacerdotali, verendoque posito sacrificio, quomodò Deum non placaremus pro istis orantes?

Ac ijsdem penè verbis alibì: Non temerè ab Apostolis hęc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis indè multum cõtingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim totus constiterit populus, Sacerdotalis plenitudo, & tremendũ proponatur sacrificium, quomodò DEũ non exorabimus pro his deprecantes?

D. quoquè Isidorus: Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quòd ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim Catholica tenet Ecclesia, quæ nisì crederet, fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. Nam cùm Dominus dicat: Qui peccauerit in spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro: demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatorio igne purganda.

Isidor. l. 1. de offic. Eccl. c. 18.

Matt. 12.

DAMASCENVS etiam: Diui autem Apostoli discipuli Saluatoris, qui totum mundi circulum cepêre viuum prædicando verbum, quod suis oculis viderant, in tremendis & impollutis vitalibusque sacramentis, memoriam eorum qui fideliter obdormiêrunt, habendam edixerunt. Quod adhuc firmiter atq; adeò sine contradictione obseruat Apostolica & Catholica Ecclesia CHRISTI & Dei, à finibus vsque ad fines terræ, ab eoque tempore vsque ad præsens, & in finem mundi vsque. Omninò hoc neque variè, neque absurdè, neque temerè fortuitóve ordinatum est. Quæ enim CHRISTIANA religio erroris nescia suscipit, & in tot secula seruat inconcussa, minimè vana

Damasc. serm. de defunctis.

vana sunt, sed vtilia, DEO placita, salutique nostræ conducibilia plurimùm.

Hrab. l. 2. de instit. cler. c. 44. HRABANVS deniquè verbis citatis ex Isidoro desumptis: Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre vel pro eis orare &c. vt suprà.

LITVRGIA D. PETRI APOSTOLI, PRIMI ROMANI PONTIFICIS.

Frã. Turr. Dogm. charact. libr. 3. PETRVS (inquit Franciscus Turrianus) Romæ Missam composuit, quæ omnium breuissima. In causa fuit, (vt apud quendam Simeonem Græcum Authorem notatum reperi) quòd longam moram in templo facere non esset tunc tutum, propter Christianæ gentis hostes, quibus illa vrbs Babylon magna maximè abundabat. Hæc quoquè extat scripta Græcè, quæ tota est Latinè translata.

QVANDOQVIDEM autem nunc hæc D. Petri Missa ad manum non sit, quæ de illa ex ipsius ore describit D. Clemens Romanus, in medium adferemus.

MODVS CELEBRANDORVM MYSTERIORVM A B. PETRO ACCEPTVS.

Clẽ. Rõ. Epist. 2. ad fratrẽ Domini. SICVT (inquit) à B. Petro Apostolo accepimus omnium Apostolorum patre, qui claues regni cælestis accepit, qualiter tenere debemus de sacramentis, quę geruntur in sanctis, te ex ordine nos decet instruere.

MINISTRI MYSTERIORVM, ET QVID ILLIS CVRANDVM.

TRIBVS enim gradibus commissa sunt sacramenta diuinorũ secretorum, id est, presbytero, Diacono, & ministro.

Reli-

RELIQVIAE FRAGMENTORVM CORPORIS DOMINICI, CVM TIMORE CVSTODIENDAE AVT CONSVMENDAE.

QVI cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, nè qua putredo in sacrario inueniatur, nè quum negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria. Communio enim corporis Domini nostri Iesu Christi si negligenter erogetur, & presbyter minora nõ curet admonere officia, graui anathemate & digna humiliationis plaga feriatur. Certè tanta in altario holocausta offerãtur, quanta populo sufficere debeant. Quòd si remanserint, in crastinũ non reseruétur, sed cum timore & tremore, clericorum diligentia consumantur.

ET iterùm: A principio Epistolæ hucusquè hunc locum de sacramentis delegaui benè intuendis, vbì non murium stercora inter fragmenta Dominicæ portionis appareant, neque putrida per negligentiam remaneant clericorum: & conuenientes, qui accipere sibi medicinam desiderant, putrida quum viderint, magìs cum ridiculo & fastidio videantur accipere, & in peccatum magìs décidant per negligentiam clericorum. Quapropter nemo clericorum vltrà hæc dissimulet, aut negligere vllatenùs audeat: sed libenter, quæ iussa sunt, expleat, & sacramenta diuina nequaquàm negligenter contrectet.

ET infrà: Tales ad ministerium eligãtur clerici, qui dignè possunt Dominica sacramenta tractare. Melius est enim Domini sacerdoti, paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant.

IEIVNIVM MINISTRORVM ANTE ET POST SVMPTIONEM.

QVI autem residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statìm ad communes accipiendos cibos conueniant, nè putent sanctæ portioni commisceri cibum, qui per aqualiculos digestus, in secessum funditur. Si ergò manè Dominica portio editur, vsque ad sextam ieiunēt ministri, qui eam consumpserunt. Et si tertia vel quarta hora acceperint, ieiunēt vsq; ad vesperam. Sic secreta sanctificatione ęterna custodienda sunt sacramenta.

VASA ET VESTES SACRAE.

Ibidèm. DE Vasis sanè sacris ità gerendum est. Altaris palla, canthara, (magìs eñ placet hæc lectio, vt referatur ad calicem : quàm alia, quæ legit, Cathedra) candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: quoniam nō licet ea, quę in sanctuario fuerint, malè tractari, sed incendio vniuersa tradantur. Cineres quoquè eorum baptisterio inferantur, vbì nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pauimentorum iactentur, nè introeuntium pedibus inquinentur. Nemo per ignorantiam clericus palla mortuum credat obuoluendum, aut Diaconus ea scapulas operire velit, q̃ fuit in altari, aut certè quę data est in mensam Domini. Qui hęc fecerit, vel leuiter quasi nihil & negligenter habuerit diuina mysteria, Diaconus triennio, sexq́; mēsibus à Dominico alienus erit altari, graui percussus anathemate. Quòd si clericum Presbyter non commonuerit, decem annis & quinq; mēsibus excōmunicatus sit, propterea quòd de Dñicis sacramētis subiecta sibi nō commonuerit ministeria, & posteà cum grandi humilitate matri reconcilietur Ecclesiæ. Pallas verò & vela, quæ in sanctuarij sordidata fuerint ministerio, Diaconi cum humilibus ministris iuxta sacrarium lauent, non eijcientes foràs à sacrario velamina Dominicæ mensæ, nè fortè puluis Dominici corporis malè décidat à

dat à sindone foris abluta, & erit hæc operāti peccatū: idcircò, intrà sacrarium ministris præcipimus, hæc sancta cum diligentia custodire. Sanè peluis noua comparetur, & præter hoc nihil aliud tangat. Sed nec ipsa peluis velis apponatur lauandis, nisi quæ ad Dominici altaris cultum pertinent. Pallę altaris solę in ea lauentur, & in alia, vela ianuarum. De velis autem ianuarum cura sit ostiarijs ex admonitione maiorum, nè quis negligens aut ignarus, ad velum ianuę domûs Dñi manus inconditè tergat, sed statim coërcitus, discat omnis homo, quia velum atrij domûs Dñi sanctum est.

Ac infrà: Si fortè quispiam Presbyter, siue Diaconus, sacrarij sindonem vel velum subtracta vendiderit, Iudę Iscariotis similis ęstimabitur. Qui propter cupiditatem fecerit hoc opus, nouerit se suprà dicti Iudę susceptorum pœnam.

FRAGMENTA OBLATIONVM DOMINI, LAICIS NON COMMVNICANDA.

PRAECIPIMVS etiam, nè extero seu excommunicato Ecclesię siue Laico, de fragmentis oblationum Domini ponatur ad mensam. Vndè scis tu, qui passim sacrarij panes indignis impendis, vndè nôsti, si à mulieribus mundi sunt hi, quibus impendis? Hinc & Dauid, ab Abimelech sacerdote interrogatus, quum panes sibi ad comedendū posceret, si mūdus esset à muliere, quum se mūdum ante triduū profiteretur, panes propositionis manducauit. Ibidem. 1. Reg. 21.

Et rursùm: Calicem verò, ad perferendū sanguinem Dñi, pręparatū cum tota mūditia ministerij, minister pręparet, nè non benè lotus calix, Diacono peccatum fiat offerenti.

MINISTRI ALTARIS ETIAM PROPRIAS VXORES NON NOVERINT.

AD Dñica açit mysteria tales eligantur, qui ante ordinatiōem suam cōiuges suas nō nouerint. Quòd si post ordinatiōem,

ministro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris, sacrarij non intret limina, nec sacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portationem accedat, nec aquam sacerdotibus porrigat ad manus: sed ostia forinsecùs claudat, minora gerat officia, vrceum siue calicem ad altare nõ sufferat.

CAETERARVM QVOQVE MVLIERVM CONSORTIA DEVITENT.

Ibidèm. CLERICVS verò solus ad fœminæ tabernaculum non accedat, nec properet sine maioris natu principis iussione. Nec presbyter solus cum sola adiungatur, sed duobus adductis testibus, visitet infirmam. Nec solus cum sola fœmina fabulas misceat. Nec Archidiaconus, aut Diaconus, sub prætextu officij humilitatis, frequentet domicilia matronarum, aut fortè per clericos, aut domesticos eius, matronę mandent secreti aliquid. Si cognitum fuerit, & ille deponatur, & illa à liminibus arceatur Ecclesiæ. Sed si fortè aliqua intercessio fuerit, Episcopo suggeratur. Et si talis est, ad quam debeat ire pio interuentu, ipse pergat: Sin autem, de latere suo dirigat, cum duobus aut tribus, qui hoc sanare debeant. Sanè ad visitã dam mulierem infirmam nullus clericus ingrediatur, nisì cũ duobus aut tribus. Nemo tamen clericorum cum extranea habitet fœmina, nisì proxima aut soror fuerit. Et hoc cum magna solicitudine fiat. Non ignoramus malitias satanæ.

ECCLESIARVM ET SACERDOTVM CONSECRATIO.

Ibidèm. ECCLESIAS per cõgrua & vtilia facite loca, quæ diuinis precibus sacrare oportet, & in singulis sacerdotes, diuinis orationibus Deo dicatos, poni.

Idẽ epi. 3. QVONIAM (inquit idem Diuus Clemens) in alijs locis sacrifica-

ficare,& Missas celebrare non licet,nisì in his, in quibus Episcopus proprius iusserit,aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet ciuitaté,consecratus fuerit. Aliter enim hæc non sunt agenda,nec ritè celebranda,docente nos nouo & veteri testaméto. Hæc Apostoli à Domino acceperunt,& nobis tradiderunt: hæc nos doceamus,vobisq; & omnibus,absq; repræhensione tenere,& docere, quibus agendum est, mandamus. Vnaquæque etenim res, tempus suum habet & locum.

ALIA DE SACRIFICIO A D. PETRO Celebrato, Testimonia.

CERTE Abdias post Cæsareæ narratã D. Petri & Simonis magi disceptationem: Et postquàm(inquit)orauit, & præcepit vt die postera maturiùs conuenirent, sacrificium fecit. Abd. Apost. hist. l.1.

D.Linus etiam cum Abdia, quum iam,nè subiret martyrium Romæ, fugere statuisset D.Petrus: Proxima (inquit) nocte,celebrata oratione,valedicens fratribus,& cum benedictione illos Deo commendans,profectus est solus. Linus de pass. Petr.

Qvod ipsum reperire est apud Egesippum ijsdem planè verbis. Egesip. de excid. Hieros l.3.c.2

D.verò Isidorus disertis verbis:Ordo(inquit)Missæ vel orationum,quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primùm à sancto Petro est institutus,cuius celebrationem vno eodemq; modo vniuersus peragit orbis. Isid. li. 1. de diuin. offic. c.15.

Et Albinus Flaccus Alcuinus : Missam Petrus Apostolus primus omnium Antiochiæ dicitur celebrâsse. In qua tres tantummodò orationes in initio fidei proferebantur, incipientes ab eo loco, vbì dicitur: Hanc igitur oblationem. Alcuin. de diui. offic.

Ac Vvalafridus Strabus: Romani quidem vsum obseruationũ à beato Petro principe Apostolorum accipientes,suis quique temporibus,quæ congrua iudicata sunt,addiderunt. Quorum morem Vvalafr. Strab. de rebus eccl. c.22.

ideò in ſacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magiſterij ex apice Apoſtolico primordijs clarent, & nulla per orbem Eccleſia, æquè vt Romana, ab omni fæce hæreſeon cunctis retrò temporibus pura permanſit.

Simeon Metaphr. in vita Petri.

QVIBVS conſentit & Simeon Metaphraſtes: Romæ (inquit) quum quotidiè ſynaxes celebraret Petrus, & vnum DEVM patrem omnipotentem, & vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium verum de Deo vero, & vnum Spiritum ſanctum Dominum & viuificum, in ſynagogis & domì doceret, attraxit multos ad fidem in Chriſtum.

Hugo de S. Vict. l. 2 de ſacrã. part. 6. c. 14.

HVGO etiam de S. Victore: Hanc Miſſam B. Petrus Apoſtolus &c. iiſdem verbis quibus ſuprà Alcuinus.

Mart. Polonus in Chro. an. Dom. 36. Ibidẽ an. 309.

MARTINVS quoquè Polonus: Antiochię (inquit) Petrus primam Miſſam celebrauit, dicendo ſolummodò (præter conſecrationis verba) Pater noſter.

ET iterùm: Quum Syluester (inquit) Pontifex, ſtatuerit vbiquè in Eccleſijs haberi altaria lapidea: in prædicta Eccleſia non erexit altare lapideum, ſed ligneum antè habitum ſtabiliuit. Eſt enim altare, in quo beatus Petrus & alij ſucceſſores, vſq; ad tempora Syluestri celebrâſſe dicuntur. Tunc enim ſæuiente perſequutione, certa non erat in vrbe Epiſcopalis ſtatio: ſed vbicunquè poterant, ſiue in cryptis, ſiue in cœmeterijs, & ſubterraneis, ſiue in domibus virorũ fidelium aut mulierum, Miſſam celebrabant ſuper illud altare ligneum: quod erat concauum velut arca, habens quatuor circulos in angulis, per quos quatuor presbyteri illud ad locum celebrationis deferebant. Et ob reuerentiam S. Petri & aliorum ſanctorum Pontificum, ſtatuit B. Syluester, vt nullus niſì ſummus Pontifex, ſuper illud celebret: quod vſque hodiè ſeruatur. Sed ſuper ipſum depoſita menſa ſummus Pontifex celebrat ſolùm: quę deponitur in cœna Domini, & non reponitur, niſì in Sabbato ſancto poſt baptiſmum.

GVI-

GVILIELMVS deniquè Durantus: Missam(inquit)instituit Dominus Iesus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, quandò panem & vinum in corpus & sanguinem suum transmutauit, dicens: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: & subiungens, Hoc facite in meam commemorationem. Apostoli autem hanc Missam adauxerunt, dicentes in Missa non solùm verba præmissa, verumetiam Dominicam orationem superaddentes. Vndè B. Petrus sic Missam primus dicitur celebrâsse in partibus Orientalibus, vbì post Domini passionem quatuor annis cathedram tenuit sacerdotalem. Deindè verò accepit cathedram Antiochiæ, vbì tres orationes ad Missam adiecit. Guiliel. Durant. rat. diuin. l.4. c.1.

CAETERVM non D. Petrum solùmodò, sed & cæteros omnes Apostolos sacrificâsse testatur etiam iam olim D. Epiph. contra Collyridianos, qui D. Mariæ per mulieres sacrificabant: Petrus itē (inquit) & Andreas, Iacobus & Ioānes, Philippus & Bartholomęus, Thomas, Matthæus, & Iacobus Alphæi, & Iudas Iacobi, & Simon Cananæus, & Mathias, qui in complementum duodecim electus est: hi omnes electi sunt Apostoli, sacrificantes per terram Euangelium vnà cum Paulo & Barnaba ac reliquis, & mysteriorum duces cum Iacobo fratre Domini & primo Episcopo Hierosolymorum. A quo Episcopo & prædictis Apostolis, constitutæ sunt successiones Episcoporum & presbyterorum in domo Dei: & nusquàm mulier inter hos constituta est. Fuerunt autem (inquit) quatuor filiæ Philippo Euangelistæ prophetantes, non tamen sacrificantes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuelis, sed non sacrificium concreditum habuit. Epiph. l.3. Tom. 2. hær. 79. Abd. hist. Apost. l.3. 5.7. & 9. Beda hō. de fest. Ioan. Euāg.

SI quis plura huc pertinentia desideret, videat quæ scribit Abdias Babylonius de Missis DD. Apostolorū, Andreæ, Ioānis, Matthæi, & Thomæ: quod habet Beda de Missa D. Ioannis, ac quod habet de πεταλῷ D. Ioānis Polycrates Ephesius apud Eusebium & Nicephorum. Euseb. l.5. hist. Eccl. c.24. Niceph. Eccl. hist. l.4. c.37.

LITVRGIA

LITVRGIA D. MARCI EVANGELISTAE, AQVILEIENSIVM APOSTOLI.

Frã. Turr. dog. charact. l. 3. MISSAM (inquit Franciſcus Turrianus) in Eccleſia Alexandrina Marcus compoſuit, quæ etiam apud nos Græcè extat, quæ eſt aliquanto breuior Miſſa Iacobi.

NOS, quandoquidem hæc nondùm extet, quicquid alicubì legere contigit huc ſpectans, in medium adferemus.

Sacerdotium D. Marci.

Hieron. prol. in Marcum. INPRIMIS autem huc pertinet illud D. Hieronymi: Amputâſſe autem ſibi poſt fidem pollicem Marcus dicitur, vt ſacerdotio reprobus haberetur. Sed tantum conſentiens fidei prædeſtinata potuit electio, vt non ſic in opere verbi perderet, quod priùs meruerat in genere. Nam Alexandriæ Epiſcopus fuit.

Iſid. lib. 1. patr. noui teſtam. QVOD ipſum habet etiam D. Iſidorus: Marcus (inquit) Euangeliſta, nè ad ſacerdotium promoueretur, abſcidiſſe ſibi pollicem fertur. Primus tamen Alexandriæ cathedram tenuit.

HACTENVS illi. atquì quum ſacerdotis ſit ac Pontificis, (teſte Apoſtolo) offerre dona & ſacrificia pro peccatis, colligitur hinc, neceſſariò ſacrificium celebrâſſe.

Euſeb. Eccl. hiſt. l. 2. c. 16. Niceph. hiſt. Eccl. l. 2. c. 16. EODEM ſpectât, quæ de θεραπεύταισ Alexãdrinis ſub D. Marco ſcribit Philo Iudæus, quippe quum ſcribat Euſebius Cæſareenſis, & poſt eum Nicephorus, euidentiſsimo illo libro omnia Eccleſiæ inſtituta contineri.

Eccleſiarum erectio.

POST hæc (inquiunt illi) deſcriptis eorum habitaculis, vt ſe habeat ſingulorum qualitas & ſitus, etiam de Eccleſijs quæ aqud eos ſunt, ità dicit:

Philo lib. de vit. cõtempl. HABET (inquit Philo) vnuſquiſq; ſacram ædiculam, σεμνεῖον ſiue

siue μοναςήριον appellatam, in qua secedentes honestæ sanctæque vitæ μυςήρια τελοῦνται, non cibum, non potum, non aliud quicquam vsui corporis necessarium eò inferentes, sed leges tantùm & oracula Prophetarum, & hymnos, & alia huiuscemodi: per quę doctrina simul & pietas augescunt, ac perficiuntur. Per sex hebdomadæ dies in dictis monasterijs seorsùm morantur singuli, & solitarij secum philosophantur: nec limen exeunt, nec intùs abditi per speculam vllam foràs prospiciunt. Septimo autem die velut in Collegium congressi, ordine consident pro sua quisque ætate, cum habitu decenti, intrà quem manus tenent, dexteram inter pectus & mẽtum positam, sinistram reductam ad latus. Tunc prodiens vnus in medium, qui cæteris senior, & dogmatum peritior habetur, mira vultûs & vocis grauitate, cum magna item mentis solertia disserit: haud sanè, vt Rhetores vel Sophistæ nostræ tempestatis, dicendi acrimoniam ostentans: sed exactam potiùs vim sententiarum perscrutans atque enucleans, quæ non solùm insideat extremis auribus, verumetiam per auditum in animum penetret, ac tenaciter inhæreat. Reliqui omnes cum silentio auscultant, & dictorum commendationem, oculorum vel capitis nutibus dicenti solùm significant. Porrò commune illud monasterium, in quod septimo quoque die concurrunt, duplicem habet ambitum distinctum, vnum ad virorum, alterum ad mulierum proprios consessus. Nam docentem audiunt vnà etiam mulieres, vtpotè eiusdem zeli atque instituti consortes. At paries vtrunque dirimens habitaculum, tribus tantùm vel quatuor cubitis supra pauimentũ instàr propugnaculi erectus est. Reliquum spatium ad tectum vsque apertum relinquitur, duabus forsitan de causis: tum vt conueniens naturę muliebri pudor conseruetur, tum vt ex congrua loci dispositione, facilè illæ percipiant vocem disserentis, nulla media obstructione prępeditam.

HYMNORVM, PSALMORVM, ET LECTIONVM AD LIBAMINA, AD ARAM IN STATIONIBVS DECANTATIO.

Euſeb. & Niceph. locis citatis.

HAEC Philonem (inquiunt Euſebius & Nicephorus) de noſtrorum θεραπευτῶν conſuetudine referre, quis poteſt dubitare? Quod ſi cui adhuc videatur ambiguum, adhibebimus etiam alia eius dicta, quæ nulli omninò, niſì noſtris tantummodò cõuenire, etiam infidelisſimus quiſque fatebitur. Ait ergò: Cum viris autem ſunt & fœminæ &c. Quid autem adhuc his opùs eſt, etiam de conuẽtibus eorum quæ ſcribit, & vt ſeorsùm quidem viri, ſeorsùm autem in iiſdem locis fœminæ congregẽtur, & vt vigilias ſicut apud nos fieri moris eſt, peragant, & maximè diebus illis, quum paſsionis Dominicæ ſolennitas celebratur, quum in ieiunijs pernoctare, & lectionibus ſanctis auditum præbere conſueuimus. Quę omnia ſupradictus vir ex ordine, eaq; conſequentia qua apud nos geruntur, expreſsit.

Phil. l. cit.

VBI tandèm (inquit Philo) ſatìs deſeruiſſe videtur Præſes, ac feliciter ceſsiſſe tam docenti ſermo conatibus certis ad ſcopum perductus, quàm audientibus dictorum intelligẽtia, plauſus fit à cunctis, ad veſperam vſque ſimul gaudentibus. Tum exurgens vnus, hymnum canit in Dei laudem, vel recèns à ſe factum, vel pridèm ab aliquo priſcorum vatum, qui carmina & cantica permulta ipſis reliquerunt trimetri generis. Proſodias item & hymnos varios, qui ad libamina, ad aram, in ſtationibus quoquè & choris cõcinuntur. diuerſisq́ue in choro fiunt conuerſionum vicibus, eleganter commenſurati. Poſt illum alij quoquè ſingulatìm canunt, ordinem ſuum, ac decorum optimè ſeruantes, cæteris interìm magna cum quiete attendentibus, præterquàm vbì ad extremas certas hymni partes accinenda ſunt, quæ vocant Ephymnia. Tunc enim omnes ſimul viri & mulieres pariter exclamant.

SACER-

SACERDOTVM λειτȣργία.

ADDIT autem adhuc his, (inquiunt Euseb. & Niceph.) modum præsidēdi eorum, quibus Ecclesiasticæ Liturgiæ commissæ sunt, siue (vt vertit Rufinus) quomodò sacerdotes vel ministri exhibeant officia sua, & summam omnium Episcopalis apicis dignitatem. Hactenùs illi. Quod quo loco faciat Philo, non video, nisì verbis sequentibus, vt quandoquidem nōndùm sacris mysterijs initiatus fuerit Philo, cætera mysteriorum secreta ignorauerit: ea verò sola narret, quæ aut eminùs est conspicatus, vel ex relatu cognouit.

ID'QVE (inquit Philo) ob reuerentiam τῆσ ἱερᾶσ τραπέζησ, quæ in ἁγίῳ προνάῳ, id est, anteriore Ecclesiæ parte sita est. In ea enim azymi panes, id est, absq; fermento & sales prorsùs inconditi, eô quòd decet simplicissima & syncerissima quæque in præstantissimam sacrorum siue sacerdotum partem, velut λειτȣργίασ præmium, deputari. Philo loc. cit.

DE LITVRGIA D. MARCI APERTIORA TESTIMONIA.

VTVT autem illa quis intelligat, certè vita ipsius D. Marci à Notarijs, quantùm appáret, primitiuæ Ecclesiæ conscripta, Missam ab eo celebratam docet.

FACTVM est (inquiunt) vt beatissima festiuitas nostra Paschalis, id est, Dominicus dies sanctus, occurreret vicesimo die mensis Parmuthi, quod est octauo Kalendarum Maiarum: quo tempore corū Serapiaca agebatur celebritas. Hac igitur opportunitate adunati, insidiatores protinùs dirigunt: qui repererunt eum orationis oblationem diuinæ Maiestati sacratissimam celebrantem. Notar. in vita D. Marci.

ITEM venerabilis Beda: At postquàm constitutis & confirmatis Ecclesijs per Libyam, Marmaricam, Ammonicam, Beda in Martyrol. ad 7. Kal. Maij.

Pentapolim, Alexandriam, atque Aegyptum vniuersam, ad vltimũ tentus est à paganis, qui remanserant Alexandriæ, qui videntes eum die sancto Paschæ Missas facientem, miserunt funem in collo eius.

Ado in Martyrol. ET Ado Treuirensis: Qui videntes (inquit) eum die sancto Paschæ Missam facientem, miserunt funem in collo eius, & trahebant eum ad loca Bucolicæ, quæ erant iuxta mare sub rupibus, vbì erat Ecclesia constructa. Et defluebant carnes eius in terram, ac saxa inficiebantur sanguine.

Marian. Scot. li. 2. histor. Anton. part. 1. tit. 6. c. 16. CITAT quoquè ipsa illa verba Bedæ ex eius Martyrologio Marianus Scotus, & ijsdem vtitur Antoninus in Summa historiali.

LITVRGIA D. BARNABAE MEDIOLANENSIVM APOSTOLI.

Alexand. Monach. in vita D. Barnabæ. LITVRGIAE D. Barnabæ in hæc verba meminit Alexander Monachus apud Simeonẽ Metaphrasten: Hæc quum dixisset Barnabas, vnà cum omnibus Deum orauit, multusq; fletus hominum fuit, eò quòd dixerat, tempus propè esse quo à corpore dissoluendus foret. Ipse verò quum panem & calicem sumpsisset, & diuinæ Liturgiæ ordinem totum compleuisset, vnà cum fratribus particeps factus est Eucharistiæ sacramentorum.

MYSTERIA CELEBRATA A D. NICOMEDE, ROMANO PRESBYTERO.

Marcel. in vita D. Petron. & D. Nicomedis M. S. VENIENS (inquit D. Marcellus Petri discipulus) ad Petronillã S. Nicomedes Presbyter, celebrauit mysteria Christi,

Virgo

Virgo autem sanctissima, mox vt corporis Christi sacramentũ accepit, reclinans se, in lectulo emisit spiritum.

QVOD ipsum habet ven. Beda in hæc verba: Petronilla tertio die celebratis Dominicæ oblationis mysterijs à S. Nicomede presbytero, mox vt Christi sacramenta percepit, reclinans se, in lectulo emisit spiritum. Beda in Mar. prid. Cal. Iunij

EODEM pertinet illud Martyrologij Romani: Romę via Numentana natalis Nicomedis presbyteri & martyris, sub Domitiano Imperatore. Qui quum diceret compellentibus se sacrificare: Ego nõ sacrifico nisi Deo omnipotenti qui regnat in cælis, plumbatis diutissimè cæsus, migrauit ad Dñm. Martyrol. Rom. 17. Cal. Octo.

SOLENNIA CELEBRATA A D. APHRODISIO, I. BITVRIGVM EPISCOPO.

BITVRIGAS ciuitatem adgressus, (inquit Gregorius Turonensis) salutare omnium Christum populis nunciauit. Ex his ergò pauci admodùm credentes clerici ordinati, ritum psallendi suscipiunt: & qualiter Ecclesiam construant, vel omnipotenti Deo solennia celebrare debeant, instituuntur. Gregor. Tur. hist. Frãc. li. I.

MYSTERIA D. APOLLINARIS, I. RAVENNATENSIVM EPISCOPI, ET INCOLARVM DANVBII, AC DALMATARVM APOSTOLI.

MYSTERIA (inquiunt Protonotarij Ecclesiæ primitiuæ) & baptismata in domo Tribuni, B. Apollinaris agebat cum discipulis suis assiduè. Proton. Eccl. pri. in vita D. Apollin.

ET posteà: Habebāt enim Christiani tuguria non longè à muro, vbì mysteria faciebant.

ET denuò: Cōtigit aūt post multū temporis, dū apud Christianos mysteria faceret in suburbano Pyrinæi senatoris, quòd subitò seditio orta est.

Petr. Chrysol. serm. 128. PRO quo etiam facit D. Petrus Chrysologus: Beatus (inquit) Apollinaris primo sacerdotio solus hanc Ecclesiam Rauennatem vernaculo atq; inclyto martyrij honore decorauit.

D. SAVINIANI, I. SENONENSIVM EPISCOPI, OFFICIVM DIVINI SACRAMENTI.

Vita D. Sauinia. MS. apud Guiliel. Brugen. QVVMQVE his & similibus verborum admonitiōibus hortaretur suos B. Pontifex Sauinianus (vt habetur in eius vita) data benedictione, postquàm diuini sacramenti peregit officium, videns caterua paganorum, quoniam diutiùs moras innecteret, intùs cum grandi accedentes strepitu, beatum dignę memoriæ Sauinianū, simulq́; eius discipulū Victorinū circunueniūt.

D. CLEMENTIS, I. METENSIVM EPISCOPI ET BELGARVM APOSTOLI, MISSARVM SOLENNIA.

Anton. hist. part. 1. tit. 6. ca. 26. §. 1. SEQVENTI autem die (inquit Anton.) celebratis Missarum solennijs. & cūctis adstantibus sacra cōmunione refectis, ad locū cauernę, sequente omī populo, accessit cū psalmis & oratiōibus.

D. POTENTIANI, II. SENONENSIVM EPISCOPI, QVOTIDIANVM SACRIFICIVM.

Vita D. Potētiani MS. apud Guilielm. Brugen. VENERABILIS Potentianus anno elapso à martyrio Sauiniani per Ducem Seuerum, (inquit author vitæ ipsius) Duci respondit intrepidus: Nos Deum in cælis habemus, cui quotidiè offerimus sacrificium laudis.

LITVRGIA D. CLEMENTIS, ROMANI IIII. PONTIFICIS, SEV POTIVS APOSTOICA.

DESCRIPTIO ECCLESIAE ET CLERI, ET QVID VNVSQVISQVE EX CONGREGATIS CLERICIS ET LAICIS, IN SYNAXI FACERE DEBEAT.

QVVM Ecclesiam Dei conuocas (inquit D.Clemens) ò Episcope, veluti magnæ nauis gubernator, vbi cum omni sciẽtia cœtus celebrari precipiens Diaconis, tanquàm nautis, vt dispo-nant loca fratribus, tanquàm epibatis, cum omni diligentia & sanctitate. Ac primùm sit longa domus, ad Orientẽ cõuersa, ex vtraq; parte pastophoria habẽs ad Oriẽtem, q̃ nauis habeat similitudinẽ: In eius medio sit Episcopi sedes: ad cuius vtrunq; latus consideãt presbyteri, & Diaconi assistant succincti & expediti. Hi enim sunt ad nautarum & muralium prefectorũ similitudinem. Horum cura Laici in altera parte sedeant cum omni quiete & ordine: mulieres quoquè separatìm sedeant, silentium seruantes. Medius Lector è loco superiori stans, legat libros Mosis, Iesu Naue, Iudicum, Regnorum, Paralipomenon, de reditu: præterea Iob, Solomonis, sexdecim prophetarum, seruata lectionum vicissitudine. Alius Dauid hymnos canat, & populus initia versuum concinat. Post hæc, Acta nostra, & Epistolas Pauli cooperatoris nostri, quas ad Ecclesias misit, secundùm institutionem spiritûs sancti. Deindè Diaconus vel Presbyter legat Euangelia, quæ ego Matthæus & Ioannes vobis tradidimus, & cooperatores Pauli Lucas & Marcus accepta vobis reliquerunt. Ac quum Euangelium legitur, omnes Presbyteri, Diaconi, & Laici assurgant cũ magno silẽtio: Scriptum est enim: Tace, & audi Israel. Et rursùm, Tu verò hîc sta, & audies. Deindè verò

Clẽ. Rõ. cõst. Apostolicar. li. 2. c. 61.

Loquitur D. Clemẽs in persona Apostolorum, quorum Missam describit.

verò moneant Presbyteri populum, vt ſedeat, ſed non omnes: ac poſtremus omnium Epiſcopus, qui gubernatori eſt ſimilis. Maneant autem Oſtiarij ad introitus virorum, illos cuſtodiẽtes: Diaconiſſa, ad introitus fœminarum, more nauticorum cuſtodum. Nam in tabernaculo teſtimonij, eadem ſeruabatur forma cum populo Dei. Si quis inueniatur extra locum ſedere, increpetur à Diacono, velutì proreta, & in ſuum locum reducatur. Non ſolùm enim nauis, ſed etiam mandræ habet Eccleſia ſimilitudinem: nam ſicut paſtores pecudes, capras (inquam) & oues, ſecundùm genera & ętates ſeparant, & quælibet ſui generis ſimiles ſequitur: ſic in Eccleſia iuniores ſeorsùm ſedeant, ſi fuerit locus, alioquì maneant recti: grandiores natu, ordine ſedeãt: pueros ſtantes recipiant eorum patres & matres. Adoleſcentulæ rursùm, ſi ſit locus, ſeorsùm maneãt, cæteræque poſt mulieres ſtent: nuptæ, & quæ iam liberos habent, ſeorsùm maneant. Virgines & viduæ & anus, primæ omnium vel ſtent, vel ſedeant. Diaconus autem loca videat, vt quilibet ingrediens, in ſuum locum concedat, ac præter decorum nõ ſedeat. Eodem modo diaconus attendat in populo, nè quis murmuret, néve conniueat, vel nutet. Oportet enim in Eccleſia accuratè, ſobriè, vigilanter manere, attentas aures habentes ad Domini ſermonem. Poſt hæc oẽs ſimul aſſurgentes, & ad Oriẽtem conuerſi, poſt Catechumenorum & Pœnitentum exitum, ſupplicent Deo cælum cęli tenenti, idque ad Orientem, in memoriam veteris poſſeſsionis Paradiſi ad Orientem poſiti, vndè primus homo, contempto mãdato, ſerpentis conſilio obtemperans, expulſus fuit. Diaconi, abſoluta oratione, alij oblationi Euchariſtiæ ſint intenti, miniſtrantes corpori Domini cum timore: alij turbas videant, quietemque illis imperent. Dicat autem, qui aſsiſtit pontifici, Diaconus populo: Nè quis contra aliquem, nè quis in hypocriſi. Deindè ſalutent inter ſe viri, & inter ſe mulieres oſculo in Domino: ſed caueãt, nè quis dolosè id faciat, quemadmodùm Iudas oſculo Dominum tradidit.

Po-

Posteà Diaconus oret pro omni Ecclesia, proque vniuerso mundo, pro suis patribus ac membris, item pro sacerdotibus, pro principibus, pro Pontifice, pro Rege, atque pro communi pace. Deindè Pontifex populo precatus pacem, eidem benedicat, quemadmodùm Moses mandauit sacerdotibus, vt benedicerent populo his verbis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: Ostendat Dominus faciem suam super te, & det tibi pacem. Item Episcopus oret, ac dicat: Saluum fac Domine populum tuum, & benedic hæreditati tuæ, quam possedisti, & acquisiuisti precioso sanguine Christi tui, & vocâsti regale sacerdotium & gentem sanctam. His perfectis, sacrificium peragatur, adstante omni populo, atq; secretò orãte. Ac postquàm oblatum fuerit, accipiant singuli per se ordine Dominicum corpus & preciosum sanguinem, gradatìm, cum pudore ac timore, tanquàm ad Regis corpus accedẽtes: mulieres quoquè velato capite, quemadmodùm eas decet, ordine accedant: custodiantur portæ, nè quis infidelis vel nondùm initiatus ingrediatur.

Num. 6. Psal. 27.

SI quis venit à parœcia frater vel soror, commendatitias literas afferens, cognoscat de ijs Diaconus: exquirens an fideles sint, an Ecclesiastici, an ab hæresi non deprauati: & rursùm, sit'ne nupta, an vidua. atque ità quum perspexerit illorum statum, quòd sint verè fideles, & concordes in Dominicis rebus, deducat vnumquenque in conuenientem sibi locum. Si presbyter à parœcia venerit, recipiatur à Presbyteris in communionem. Si Diaconus, recipiatur à Diaconis. Si Episcopus, vnà cum Episcopo sedeat, eũdem ab illo obtinens honorem. Rogabisque eum, ô Episcope, vt sermones habeat ad populum, ad docendum accommodatos: peregrinorum enim adhortatio & admonitio valdè accepta atq; vehementer vtilis esse consueuit. Nullus enim Propheta (inquit) acceptus est in patria sua. Permittes etiam ei Eucharistiam offerre: si propter reuerentiam, velutì sapiens, scilicet honorem tibi re-

Ibid. c. 62. Luc. 4.

seruans, noluerit Euchariſtiam offerre, coges eum vt vel populo benedicat. Si cùm ſedet is, alius quidam interueniat honeſtus & clarus in vita, peregrinus vel indigena: tu Epiſcope, qui fortè vel verbum Dei prædicas, vel Cantorem aut Lectorem audis: noli illius perſonæ obſequio miniſtrorum verbi relinquere, vt illi primum conſeſſum præcipias: ſed mane quietus, non interrumpens ſermonem vel auditionem tuam: fratres autem per Diaconos eos recipiant. Si locus deſit, Diaconus excitato eo, qui iunior fuerit, non tamen iram adhibens, ſed perſuaſionem, illum in ſede collocet. Eſt autem æquum, vt beneuolus id per ſe faciat. Quod ſi renuerit, illum vi deturbatũ, poſt omnes ſtatuat, vt diſcant reliqui præſtantioribus cedere. Si inops aliquis, vel obſcurus, vel aduena venerit, ſiue ſenex, ſiue adoleſcens ætate is ſit, locusque deſit, ei locum ex toto corde prouideat Diaconus, nè perſonis gratificari videatur, ſed à Deo miniſterij gratiam inire. Idem ſeruet Diaconiſſa cũ aduenientibus mulieribus, pauperibus ſiue diuitibus.

QVOD OPORTET MANE ET VESPERE, ET PRAESERTIM DIE DOMINICO COETVS FREQVENTARE.

Ibid.c.63. QVOTIDIÈ conueniatis manè ac veſperè, pſallentes atque orantes in Dominicis, manè dicentes pſalmum ſexageſimũſecũdum, veſperè centeſimũ quadrageſimũ: maximè verò hoc ſeruetis in Sabbato, & in die Reſurrectioni dicato. Verùm in die Dominico diligentiùs conuenite, laudem Deo laturi, qui per Ieſum cuncta condidit, & illum ad nos miſit, atque mori permiſit, & à mortuis excitauit. Nam quam excuſationem afferre poteſt Deo, qui in hoc die non conuenit ad audiendum ſalutarem de reſurrectiõe ſermonẽ, in quo tres oratiões, ſtantes, cõcipimus in memoriã illi⁹, q̃ tertia die reſurrexit, in quo Prophetarũ lectio habet̃, & Euãgelij prędicatio, & ſacrificij oblatio, atq; ſacri cibi diſpenſatio

ET iterùm: Die Resurrectioni dñi dicato, (Dominicum dicimus) conuenite asiduè, gratias agentes Deo, & confitentes de beneficijs, quæ in nos contulit Deus, per Christũ liberans nos ab ignorantia, errore, vinculis, vt careat repræhensione sacrificium nostrũ, & facilè asscendat in Deum, qui de Oecumenica sua Ecclesia dixit: In omni loco offeretur mihi incensum & sacrificium mundum, quoniam rex magnus ego sum, & Dominus omnipotens, & nomẽ meum admirabile inter gentes. Ibid. lib. 7. cap. 31. Malach. 1.

QVOD NON OPORTET LAICVM SACERDOTALE OFFICIVM FACERE, AVT BAPTISMA, AVT SACRIFICIVM, AVT MANVS IMPOSITIONEM, AVT BENEDICTIONEM.

SED neq; laicos concedimus aliquod sacerdotale munus exercere, velutì sacrificium, baptismum, manûsimpositionem, vel ebnedictionem magnam siue paruam. Non em̃ sibi quis sumit honorẽ, sed qui vocatur à Deo. Nam per Episcopi manus datur hæc dignitas. Qui verò ad eam promotus non est, sed eam sibi vsurpat, Oziæ pœnam sustinebit. Ibid. lib. 3. cap. 10.

QVOD EXCEPTO EPISCOPO VEL PRESBYTERO, NEMINI EX RELIQVIS CLERICIS CONCESSVM EST SACERDOTALIA EXERCERE, ORDINARE AVTEM, SOLI EPISCOPO CONVENIAT.

SED neque reliquos clericos baptizare permittimus, velutì Lectores, Cantores, Ostiarios, ministros, sed solos Episcopos & presbyteros, ministrantibus illis Diaconis. Qui hoc ausi fuerint, Coritarum supplicium patiẽtur. Non concedimus autem presbyteros ordinare Diaconos, Diaconissas, Lectores, Ministros, Cantores, Ostiarios, sed solos Episcopos: Is est enim ordo, & harmonia Ecclesiastica. Ibid. c. 11. Num. 16.

DE MINISTRORVM ALTARIS CONTINENTIA.

Ibid. lib. 6. cap. 17.

EPISCOPVM & Presbyterum, ac Diaconum dicimus vnius vxoris debere constitui, siue viuāt eorum vxores, siue decesserint: non licere autem ijs, si post ordinatiōem sine vxore fuerint, ad nuptias transire: vel si vxores habeant, cum alijs coniūgi, sed cōtentos esse ea, quam habētes ad ordinationem venerunt: Ministros quoquè, Cantores, Lectores, Ostiarios, vnius vxoris viros esse, iubemus. Si ante nuptias ad clerum venerunt, cōcedimus eis vt vxores ducere posśint, si quidem hoc expetent, nè, si peccauerint, pœna afficiantur. Statuimus autem, nemini licere ex clero amicam, vel ancillam, vel viduam, vel repudiatam ducere, vt etiam lex vetat. Diaconissa sit virgo casta: sin minùs, saltē vidua eligatur, quæ vnū virum habuerit, fidelis & honesta.

SERMO EPISCOPI POST LECTIONEM SCRIPTVRARVM.

Ibid. lib. 8. cap. 4.

POST verò lectionem legis & Prophetarū, Epistolarum nostrarum, Actuum, atq; Euangelij, ordinatus salutet Ecclesiam ijs verbis: Gratia Dn̄i Dei nostri Iesu Christi, & charitas Dei patris, & communicatio Spiritussancti, cum omnibus vobis, Amen. Et omnes respondeāt, Et cum spiritu tuo. Post hæc verba alloquatur populum sermonibus exhortatorijs.

SERMO DIACONI PRO CATECHVMENIS.

Ibid. ca. 6.

OMNIBVS consurgentibus, Diaconus asscendens altum aliquem locum, pronunciet: Nè quis auditorum, nè quis infidelium. Silentioq; facto, dicat: Catechumeni, orate. Et om̄es fideles orēt, attento animo dicētes: Dn̄e, miserere. Diaconus ꝓ ipsis oret, dicens: Pro catechumenis oēs Deū oremus, vt bonus & benignus

Dominus clementer exaudiat obſecrationes & preces ipſorum,& recipiens eorum ſupplicationes, tribuat eis auxilium, & concedat petitiones cordis ipſorum ad vtilitatem: reuelet eis Euangelium Chriſti ſui,illuminet eos,& inſtituat diſciplina cognitionis DEI: doceat ipſos mandata & iudicia ſua: inſerat in animam eorum caſtum & ſalutarem timorem ſuum:aperiat aures cordis ipſorum, vt meditentur in lege ſua die ac nocte: confirmet eos in pietate,vniat & connumeret in ſancto ouili ſuo,dignos faciens lauacro regenerationis,veſte immortalitatis,vera vita:liberet eos ab omni impietate,& nè det locum inimico aduersùs eos: mundet eos ab omni inquinatione carnis & ſpiritûs: inhabitet in eis & inambulet per Chriſtum ſuum: benedicat introitus & exitus eorum, & dirigat vias eorum in bonum.Etiam pro eis intentè oremus, vt remiſsionem delictorum conſecuti per baptiſmum, ſanctis myſterijs digni fiant in manſione ſanctorum. Erigite vos catechumeni, & petite pacem Dei per Chriſtum ſuum, diem pacificum & ſine peccato, itemq́ue omne tempus vitæ veſtræ, Chriſtianos pręſides veſtros, propitium & benignum Deum,delictorum remiſsionem: ipſi ſoli ingenito Deo per Chriſtum ſuum voſmet commendate: Inclinamini,& benedictionem accipite.In ijs ſingulis, quæ loquitur Diaconus,populus(vt prædiximus) dicat: Domine,miſerere,& inprimìs pueruli.

BENEDICTIO EPISCOPI SVPER CATECHVMENOS.

INCLINANTIBVS autem ipſis capita, benedicat ijs ordinatus Epiſcopus benedictione huiuſmodi: Deus omnipotens, ingenite,inacceſsibilis,qui es ſolus verus Deus,Deus & pater Chriſti vnigeniti filij tui,Deus paracleti & cunctorum Dominus, qui per Chriſtum diſcipulos conſtituiſti doctores ad docendum pietatem,ipſe nunc reſpice ſuper Catechumenos Euangelij Chriſti tui, Ibid.c. 5. & 6.

& da eis cor nouum, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus eorum, ad cognoſcendam & faciendam voluntatem tuam in corde pleno, & volenti animo: dignos fac eos ſancto baptiſmo, & aggrega eos Eccleſiæ tuæ ſanctæ, & participes fac ſanctorum myſteriorum per Chriſtum IESVM, qui eſt ſpes noſtra, quique pro nobis mortuus eſt, per quem tibi gloria:& adoratio in ſpiritu ſancto in ſecula, Amen.

SERMO DIACONI PRO ENERGVMENIS.

Ibid. c. 7. POST hæc Diaconus dicat: Ite Catechumeni in pace. qui, poſtquàm ij exiuerunt, dicat: Orate Energumeni, hoc eſt, vexati ab immundis ſpiritibus. Intentè omnes pro ipſis orate, vt benignus Deus per Chriſtum increpet immundos & nequam ſpiritus, & eripiat ſeruos ſuos ab imperio inimici. qui increpauit legionem dæmonum & principem malorũ diabolum, ipſe nunc increpet pietatis rebelles, & liberet figmenta ſua à vexatione ipſius, & purget ea quæ ingenti ſapientia condidit. Etiam intentè oremus. Salua & excita illos Deus in virtute tua. Inclinate vos Energumeni, vt benedictionem accipiatis.

ORATIO EPISCOPI PRO ENERGVMENIS.

Ibid. c. 8. ET Epiſcopus oret, dicens: Qui fortem armatum ligâſti, & omnia vaſa eius diripuiſti: qui dediſti nobis poteſtatem ambulandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, qui homicidam ſerpentem ligatum tradidiſti nobis, tanquàm paſſerem puerulis: quem cuncta pauent & horrẽt à facie virtutis tuæ: qui eum deieciſti, ſicut fulgur à cælo in terram, non lapſu locali, ſed ab honore in ignominiã, ob voluntariam nequitiã: cuius
Iob 8. adſpectus ſiccat abyſſos, & minæ liqueſaciunt mõtes, & veritas Domini

mini manet in æternum: quem laudant infantes, & lactentes benedicunt: quem celebrant & adorant angeli: qui adſpicit ſuper terrã, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant: qui minatur mari, & ſiccat illud, & omnia flumina deſerta facit: cuius nubes puluis pedum eius: qui ambulat ſuper mare, ſicut ſuper pauimentum. Vnigenite Deus, magni Patris fili, increpa ſpiritus nequam, & libera opera manuum tuarum ab alieni ſpiritûs vexatione: quoniã tibi gloria, honor & adoratio, & per te tuo patri, & ſancto ſpiritui in ſecula, Amen.

SERMO DIACONI PRO ILLVMINANDIS.

DIACONVS dicat, Ite Energumeni: & poſteà dicat, Orate qui illuminamini. Intẽtè omnes fideles pro ipſis oremus, vt Dominus illos dignos reddat, vt in Chriſti mortem initiati, reſurgant vnà cum illo, & conſortes faciat eos regni ipſius, & participes myſteriorum eius: vniat & conſcribat in numero eorum, qui ſalui fiunt in ſancta eius Eccleſia. Salua & ſuſcita illos in tua gratia. Ibid. c. 9.

ORATIO EPISCOPI TERTIA, SVPER ILLVMINANDOS.

CONSIGNATI Deo per Chriſtum eius, inclinantes ſe, benedicantur ab Epiſcopo hac benedictione: Qui per ſanctos Prophetas prædixiſti ijs, qui initiantur, Lauamini, mũdi eſtote: & per Chriſtum inſtituiſti ſpiritualem regenerationem, idem nunc reſpice ſuper eos qui baptizantur, & benedic & ſanctifica eos, & præpara dignos fieri tuo dono ſpiritali, & vera adoptione filiorum, ad conſequendum ſpiritalia tua myſteria in numero eorum, qui ſaluantur per CHRISTVM ſaluatorem noſtrum, per quem tibi gloria, honor & adoratio in ſancto ſpiritu in ſecula, Amen. Ibid. c. 9. & 10. Iſai. 1.

SERMO

SERMO DIACONI PRO POENITENTIBVS.

Ibid.c.11. ET dicat Diaconus : Discedite illuminandi : & post hoc pronunciet: Orate pœnitentes, Intentè omnes pro pœnitentibus fratribus rogemus, vt misericors Deus ostendat illis viam pœnitentiæ : recipiat resipiscentiam & confessionem ipsorum, & conterat citò satanam sub pedibus eorum, & redimat eos à laqueis diaboli, & à fraude dæmonũ, & eripiat eos ab omni verbo nefario, & ab omni opere illicito & amore prauo, & condonet eis peccata voluntaria & inuoluntaria, & deleat chirographum ipsorum, & conscribat eos in libro vitæ: expiet eos ab omni piaculo carnis & spiritûs, & vniat eos, reducens ad sanctum suum ouile, quoniam ipse cognoscit figmentum nostrũ: quoniam quis gloriabitur se castum habere cor? vel quis confidet se mundum esse à peccato? Omnes enim sumus pœnæ obnoxij. Etiam pro ipsis intentiùs oremus, quoniam gau-
Luc.15. dium fit in cęlo super vno peccatore pœnitentiam agente, vt declinantes omnem actionem malam, amplectantur omnia opera bona, vt benignus Deus citò eorum obsecrationibus placatus, restituat eis lætitiam salutaris, & spiritu principali confirmet eos, nè ampliùs
* sacramentorũ. prohibeantur communionem habere sanctorum * sacrorum ipsius, & participes fieri diuinorum mysteriorũ, vt digni reperti adoptione filiorum, vitam æternam consequantur. Etiam omnes intentè pro eis dicamus: Domine, miserere.

IMPOSITIO MANVVM PRO POENITENTIBVS.

Ibid.c.12. SALVA eos Deus, & suscita misericordia tua. Suscitati DEO per Christum, inclinate vos, & benedicimini.

EPISCOPI

EPISCOPI ORATIO SVPER IISDEM.

EPiſcopus ità oret: Omnipotens æterne Deus, cunctorum Domine, creator & gubernator vniuerſi, qui hominem in mundi ornatum poſuiſti per Chriſtum, & dediſti ei legem naturalem & ſcriptam, vt viuendi normam haberet, vtì rationis compos: & ſi in aliquo peccaret, fundamentum pœnitentiæ tradidiſti ei bonitatẽ tuam: reſpice ſuper inclinantes tibi colla animæ & corporis, quoniã tu non vis mortem peccatoris, ſed pœnitentiam, vt reuertatur à via ſua mala, & viuat: Qui Niniuitarum pœnitentiam admiſiſti, qui vis omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui filium, qui ſuas facultates luxuriosè conſumpſerat, paterno affectu recepiſti per pœnitentiam: recipe nunc quoquè ſupplicantium tibi pœnitentiam, quoniam non eſt qui non peccet in te. Si enim iniquitates obſeruaueris Domine, Domine, quis ſuſtinebit? quoniã apud te eſt redemptio: & reduc eos in ſanctã tuam Eccleſiam, reſtituta illis priori dignitate & honore per Chriſtum Deũ & Saluatorem noſtrum, per quem tibi gloria & adoratio in ſancto Spiritu in ſecula, Amen.

Ibidem. Ezech. 33. 1. Tim. 2. Luc. 15. Pſal. 129.

DIMISSIO POENITENTIVM.

ET Diaconus dicat: Diſcedite pœnitentes. & addat: Nullus ex prohibitis accedat. Fideles, flectamus genua: rogemus Deum per Chriſtum eius, omnes attentè Deum per Chriſtum inuocemus. Ibid.

ALLOCVTIO DIACONI PRO FIDELIBVS.

PRO pace & tranquillitate mundi & ſanctarum Eccleſiarum oremus, vt cunctorum Deus ſuam æternam & firmam pacem Ibid. c. 13.

nobis concedat, vt in ſtabilitate virtutis ſecundùm pietatem perſeuerantes nos cuſtodiat. Pro ſancta catholica & apoſtolica Eccleſia, diffuſa à finibus vſque in fines, oremus, vt DOMINVS immobilem & tranquillam eam cuſtodiat, atque conſeruet vſque ad conſummationem ſeculi, fundatam ſupra firmam petram. Et pro ſancta parœcia huius loci oremus, vt concedat nobis cunctorum Dominus cæleſtem eius ſpem perfectè perſequi, & ei debitam orationis ſeruitutem ſine intermiſsione impẽdere. Pro omni Epiſcopatu, qui eſt ſub cælo, rectè tractantium verbum veritatis, orate. Et pro Epiſcopo noſtro Iacobo & parœcijs ipſius, orate. Pro Epiſcopo noſtro Clemente & parœcijs ipſius, orate. Pro Epiſcopo noſtro Euodio & parœcijs ipſius, orate, vt miſericordiam Deus concedat eius Eccleſijs, eos eſſe ſaluos, honorabiles, longæui temporis, venerabilemq́ue ipſorum ſenectutem faciat in pietate & iuſtitia. Et pro Presbyteris noſtris orate, vt Dñs eripiat eos ab omni re incõmoda & mala, ſaluum & honorabile presbyteriũ eis præbeat. Pro omni in Chriſto Diaconatu & miniſtratu, orate, vt Dominus inculpabilem Diaconiam eis prębeat. Pro Lectoribus, Cantoribus, Virginibus, Viduis, Orphanis, orate. Pro matrimonio copulatis & liberis operam dantibus, orate, vt Dominus omnium ſuorum miſereatur. Pro Eunuchis ſanctè ambulantibus, orate. Pro continenter & caſtè viuentibus, orate. Pro afferentibus fructus ſanctæ Eccleſiæ, & facientibus pauperibus eleemoſynam, orate. Et pro ſacrificia & primitias offerentibus Domino Deo noſtro, orate, vt ſanctus Deus remuneretur ipſos cæleſtibus donis, vt det ipſis in præſenti centuplum, & in futuro vitam æternam: & præſtet eis pro temporalibus ſempiterna, pro terrenis cæleſtia. Pro nupèr illuminatis fratribus noſtris orate, vt DOMINVS ſtabiliat eos & confirmet. Pro infirmis fratribus noſtris orate, vt Dominus liberet eos ab omni ægritudine & imbecillitate, & ſaluos reſtituat ſanctæ ipſius Eccleſiæ. Pro nauigantibus & viatoribus oremus. Pro ijs qui ſunt in metallis, in exilio, in cu-

ſtodia & vinculis propter nomẽ Domini, orate. Pro oppreſsis amara ſeruitute, orate. Pro inimicis & odio vos proſequentibus, orate. Pro perſequentibus nos propter nomen Domini, oremus, vt Dominus mitigato illorum furore, diſsipet iram cõceptam contra nos. Pro ijs qui extrà ſunt, & in errore verſantur, orate, vt Dominus illos conuertat. Infantum Eccleſiæ memores ſimus, vt Dominus perfectos eos in timore ſuo ad adultam ætatem perducat. Pro nobis mutuò oremus, vt Dominus ſeruet nos, & gratia ſua cuſtodiat vſq; ad finem, & liberet nos à malo, atq; ab omnibus ſcandalis operantium iniquitatem, & ſaluet in cæleſte regnum ipſius. Pro omni anima Chriſtiana oremus. Salua & ſuſcita nos Deus miſericordia tua. Excitemus nos orantes intentè, & mutuò noſmet commendemus Deo viuo per Chriſtum eius.

ORATIO PONTIFICIS.

ORET Pontifex, & dicat: Domine omnipotens altiſsime, qui in altis habitas, ſanctè requieſcens in ſanctis, qui es ſine principio, & ſolus dominaris, qui per Chriſtum prædicationẽ verbi dediſti nobis in agnitionem gloriæ tuæ & nominis tui, quod manifeſtauit nobis in comprehenſionem: ipſe quoquè nunc reſpice per eum ſuper hunc gregem tuum, & libera eum omni ignorantia & opere malo, & da eum timore timere te, & benedictione te diligere, & ire à facie gloriæ tuæ. Benignus & propitius eſto in precibus ipſorum, & conſerua eos immobiles, culpa carentes, criminis expertes, vt ſint ſancti corpore & anima, non habentes maculam, neque rugam, neque aliquid huiuſmodi, ſed ſint perfecti, & nullus inter ipſos ſit mancus vel imperfectus. Adiutor potens, perſonarum non acceptor, ſuccurre huic populo tuo, quem redemiſti precioſo ſanguine CHRISTI tui, defenſor, auxiliator, diſpenſator, cuſtos, murus fortiſsimus, ſepes, ſecuritas, quoniam de manu tua nemo poteſt eripere: nam non Ibid.14.

Ioan. 17. est sicut tu, Deus alter, quoniam in te sustinemur. Sanctifica eos in veritate, quoniam verbum tuum veritas est, qui nullius gratiam respicis, falsis rationibus non deciperis: libera eos ab omni morbo,
Psal. 90. & ab omni infirmitate, ab omni peccato, ab omni dolo & fraude: à timore inimici, à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, & dignos fac eos vita æterna, quæ est in Christo tuo, filio tuo vnigenito, DEO & Saluatore nostro, per quem tibi gloria & honor in sancto spiritu nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

APPARATVS AD MYSTICVM SACRIFICIVM.

Ibid. c. 15. POST hoc Diaconus dicat, Attendamus. Et Episcopus salutet Ecclesiam, & dicat: Pax Dei cum omnibus vobis. Et populus respondeat: Et cum spiritu tuo. Et Diaconus dicat: Salutate vos inuicèm in osculo sancto, & salutent clerici Episcopum, & viri laici laicos, & mulieres salutent mulieres. Pueri stent ad suggestum, & alius Diaconus præsit eis nè obstrepant. Et alij Diaconi deambulent, & videant viros & mulieres, nè tumultus aliquis excitetur, & nè quis murmuret, ne´ve conniueat, vel nutet. Diaconi verò maneant ad portam virorum, Hypodiaconi ad portam mulierum, nè vllus exeat, ne´ve porta aperiatur, etiam si fidelis fuerit, tempore oblationis. Vnus Hypodiaconus det aquam manibus sacerdotum, in signum puritatis animarum Deo repositarum.

ET statim Diaconus dicat: Nullus catechumenus, nullus Auditor, nullus infidelis, nullus hæreticus. Qui primam orationem perfecistis, discedite. Pueros recipite matres. Nè quis contra aliquem, Nè quis in hypocrisi. Erecti ad DOMINVM cum timore & tremore manentes, sinamus offerri. Quibus peractis, Diaconi offerant dona Episcopo ad altare, & presbyteri à dextris

& à

& à ſiniſtris aſsiſtant, veluti diſcipuli aſsiſtẽtes magiſtro. Duo Diaconi ex vtraq; parte altaris teneant flabellum confectum ex tenuibus membranis, vel ex pauonum pennis, vel ex velo, quibus leniter abigant præteruolantes beſtiolas, nè in pocula incidant.

GRATIARVM ACTIO SIVE PRAEFATIO ANTE CONSECRATIONEM.

ORANS igitur per ſe Pontifex, vnà cum ſacerdotibus, induensque veſtem ſplendidam, & ſtans ad altare, trophæo crucis ſe conſignans in fronte, dicat: Gratia Omnipotentis Dei, & Charitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, & communicatio ſpiritûs ſancti ſit cum omnibus vobis. & omnes vna voce reſpondeant, Et cum ſpiritu tuo. Et Pontifex dicat: Sursùm mentem. Omnes reſpondeant, Habemus ad Dominum. Et Pontifex: Gratias agamus Domino. & omnes reſpondeant, Dignũ & iuſtum eſt. Pontifex dicat, Verè dignum & iuſtum eſt, ante omnia laudare te verum Deum, qui es ante res generatas, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, qui ſolus es ingenitus, ſine principio, non agnoſcens alicuius imperium aut dominium, nullius indigens, omnis boni dator, extra omnem cauſam generationemq́; poſitus, ſemper in eodem ſtatu conſiſtens, ex quo omnia, quaſi ex quodam fonte in rerum naturam proceſſerunt. Tu enim es notitia carens principio, ęterna viſio, ingenitus auditus, ſapientia increata, primus natura, lex eſſendi, extra omnem numerum conſtitutus, omnia de nihilo producens per vnigenitum filium tuum: ipſum verò ante omnia ſecula genuiſti voluntate, virtute, & bonitate immediatè filium vnigenitũ, verbum, Deum, ſapientiam viuentem, primogenitum omnis creaturæ, Angelum magni conſilij tui, Pontificem tuum, Regem & Dominum omnis intellectiuæ & ſenſitiuæ naturæ, qui eſt ante omnia, per quem omnia. Tu enim æterne Deus per ipſum cuncta feciſti, & per ipſum conuenienti prouidentia cuncta gubernas: per

Ibid. c. 16.

Ephe. 3.

quem enim concesſisti vt res eſſent, per eundem feciſti vt benè eſſent: Deus & pater vnigeniti filij tui, qui per ipſum ante om̃ia feciſti Cherubin & Seraphin, ſecula & exercitꝰ, Virtutes & Poteſtates, Archangelos & angelos: & poſt hæc omnia, feciſti hunc mundum viſibilem, & omnia quę in eo ſunt. Tu enim es qui cælum vt fornicem ſtatuiſti, & vt pellem extendiſti, & terræ molem nullo adminiculo ſtabiliuiſti, ſola voluntate tua: qui conſtituiſti firmamẽtum, noctem & diem parâſti, qui ex theſauris protuliſti lucem, & eius receſſu induxiſti noctem ad requietem animantium, quę mouentur in mundo: qui ſolem diſpoſuiſti in poteſtatem diei, & lunam in poteſtatem noctis: qui ſtellarum ornatu cælum diſtinxiſti in laudem maieſtatis tuæ: qui feciſti aquam in potum & munditiem, aërem vitalem ad ducendum ſpiritum, vocemque formandam, per linguam percutientem aërem, auditum auxilio ipſius, vt appræhenderet ſonos, & exciperet delatas ſibi per aërem voces: qui feciſti ignem ad depellendas tenebras, & ad explendam neceſſitatem, ſimulque ab eo calefieremus, & illuſtraremur: qui immenſum mare à terra ſegregâſti, & illud nauigabile effeciſti, hanc pedibus peruiam: illud etiam animantibus puſillis atque magnis auxiſti, hanc manſuetis atque agreſtibus referſiſti, plantarum varietate ornâſti, herbis decorâſti, floribus diſtinxiſti, ſeminibus ditâſti: qui conſtituiſti abyſſum, & vaſto hiatu eam compræhendiſti, ſalſarum aquarum cumulatis æquoribus, & eam tenuiſsimæ arenæ terminis concluſiſti: qui mare modò ventis in montium altitudinem extollis, modò in planitiem exæquas, & modò agitas tempeſtate, modò ſedas tranquillitate, vt ad nauigiorum curſus ſit idoneum: qui creatum per CHRISTVM à te mundum cinxiſti fluminibus, alluiſti torrentibus, fontibusque perennibus irrigâſti, montibus circundediſti in firmiſsimam terræ ſtabilitatem: referſiſti enim mundum, & ornâſti ſuauiſsimis plantis, & ad medicinam aptiſsimis, multis ac varijs animantibus, robuſtis

atq;

atque infirmis, ad esum atque ad laborem idoneis, cicuribus atque feris, serpentum sibilis, & diuersorum alitum cantibus, annorum recurrentibus circulis, mensium atque dierum numerosa multitudine: solstitiorum vicißitudine, nubium imbriferarum tempestatibus, ad fructuum maturitatem & animantium conuersationem stationemque ventorū flantium ad imperium tuum, ad plantarum quoquè atque herbarum multitudinem: ac non solùm mūdum creâsti, sed etiam mundi ciuem hominem condidisti, mundi ornatum eum faciens. Dixisti enim sapiētiæ tuę: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & imperet piscibus maris, & volatilibus cęli: ideoq; cōposuisti eum ex anima immortali & corpore dissolutioni obnoxio: illa de nihilo creata, hoc ex quatuor elementis conflato: & dedisti ei per animam rationalem, intelligentiam pietatis, & impietatis iudicium, iusti & iniusti obseruationem: per corpus verò, quinque sensus & motum quo progreditur. Tu enim Deus omnipotens per Christum paradisum in Eden ad Orientem plantâsti, & varijs plantis ad cibum aptis ornâsti, & in eum quasi in lautam domū hominē introduxisti: quem cùm conderes, legem dedisti ei naturalem, vt intùs inclusa, & apud se haberet semina diuinæ cognitionis. Nam quum illum in paradisum deliciarum induxisti, omnia ei permisisti vt perciperet: Vnū autem solum gustare prohibuisti, spe maiorum rerum, scilicet vt si mandatum seruâsset, mercedem eius immortalitatē reportaret: sed cùm mandatū contempsisset, & prohibitū fructum gustâsset, fraude serpentis & consilio mulieris, meritò illum eiecisti Paradiso, sed bonitate tua nō permisisti vt penitùs periret, (tuū enim erat opus) sed subiecta ei creatura, concesisti vt sudore ac labore victum sibi quæreret, te omnia ferente, augēte, ac maturante. Cumq; iureiurādo ei breuis temporis soporē dederis, illum ad nouam generationē reuocâsti, soluto mortis termino, vitā ex resurrectiōe ꝓmisisti: nō solumq; id ꝑstitisti, sed etiā posteros suos in infinitā multitudinē pro-

Gene. 1.

Gene. 3.

Gene. 4. propagâſti:obſequentes tibi glorificâſti,rebelles ſupplicijs affeciſti:
atque Abelis quidem ſancti ſacrificium accepiſti, Cain fratris interfectoris munus tanquàm ſcelerati hominis reieciſti. Prætereà
Gene. 5. Seth & Enos recepiſti,& Enoch trãſtuliſti. Tu enim opifex es hominum, vitæ præbitor,inopiæ expletor, legum dator,eas ſeruantium remunerator,violantium vltor: qui magnum diluuium induxiſti mũdo propter multitudinem impiorum,& iuſtum Noe eri-
Gene. 7. puiſti à diluuio in arca cum octo animis,vt eſſet finis præteritorũ, & principium eorum,qui erant in futura ſucceſsione naſcituri: qui formidandum ignem quinque Sodomenis vrbibus immiſiſti, & terram fructiferam in ſalſuginem poſuiſti à malitia inhabitantiũ in ea,& ſanctum Loth incendio liberâſti. Tu es,qui Abraam maiorum ſuorum impietate liberâſti, & mundi hæredem feciſti, & ei Chriſtum tuum oſtendiſti : qui Melchiſedech Pontificem ſeruitutis tuæ conſtituiſti,patientiſsimum ſeruum tuum Iob,victorem ſerpentis authoris malorum declarâſti, qui Iſaac filium promiſsionis feciſti, Iacob patrem duodecim filiorum, eiuſque poſteros, in numeroſam ſobolem propogâſti,illum verò cum ſeptuaginta animis in Aegyptum introduxiſti. Tu Domine Ioſephum non neglexiſti,ſed præmium ſuæ temperantiæ ei conceſsiſti,vt Aegyptijs imperaret. Tu Domine Hebræos ab Aegyptijs vexatos non neglexiſti,vt promiſſa patribus ſuis ſeruares. Cumque homines naturæ legem labefactarent, & creaturam aliquandò fortuitam ducerent,aliquandò plusquàm oporteret in honore haberẽt, & eam tibi Deo æquarent,non permiſiſti illos errare, ſed excitato ſancto ſeruo tuo Moſe,per eum,in ſubſidiũ naturalis, ſcriptam legem de-
Exod. 20. diſti,& creaturam oſtendiſti tuum opus eſſe, deorumque multitudinem extermináſti. Aaron & poſteros ſacerdotali honore decorâſti,Hebræos peccantes puniuiſti,reſipiſcentes recepiſti,Aegy-
Exod. 14. ptios decem plagis es vltus,diuiſo mari Iſraelitas traduxiſti, perſequentes Aegyptios demerſos interemiſti, ligno aquam amaram
dul-

dulcem fecisti, è dura petra aquã eduxisti, de cælo manna dedisti, Exod. 16.
atque ex aëre ortygometram in cibum, columnam igneam nocte
ad illustrandum, & die columnam nubis ad opacandum statuisti,
Iesum imperatorem delegisti, septem nationes Cananæorum eius Iosu. 3.
opera expugnâsti, Iordanem aperuisti, flumina Ethan siccâsti, mu- Iosu. 6.
ros sine machinis, sineq; hominum manu diruisti. Pro omnibus ti-
bi gloria Domine omnipotens. Te adorant infiniti exercitus An-
gelorum, Archangelorũ, Thronorum, Dominationum, Principa-
tuum, Potestatũ, Virtutum, Exercituum ęternorum, Cherubina, & Esai. 6.
sex alas habẽtia Seraphina, duabus velantia pedes, duab⁹ capita, dua-
bus volantia, & dicẽtia vnà cum millibus millum angeloũr, inces-
sabili voce clamantium.

HYMNVS TRISAGIOS. Ibidèm.

Et om̃is populus simul dicat: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Sabaoth: Plenum est cælũ & terra gloria tua, Benedictus in secula.

PONTIFICIS ORATIO.

Et Pontifex deindè dicat: Sanctus enim es, & in omnibus san- Ibid. c. 17.
ctus, altissimus, & superexaltat⁹ in secula: Sanctus & vnigeni-
tus filius tuus Dñs noster & Deus Iesus Christus, qui in omnibus
ministrauit tibi Deo ipsius & Patri, in vario opificio creaturarũ, &
in earum conuenienti prouidentia. Non permisit genus humanũ
perire, sed post naturalem legẽ, post legis scriptę admonitionẽ, post
propheticas increpationes, post Angelorum tutelas, violantibus
naturalẽ legẽ hoĩbus vnà cũ scripta, obliterataq; memoria diluuij,
incendij, plagarum Aegyptiacarũ, cædis Palæstinorum, imminen-
teque omnium interitu, decreuit voluntate tua, qui hominem cõ-
diderat, fieri homo: qui legislator erat, subijci legibus: qui Pontifex
erat, victima fieri: pastor, effici ouis. Teq; Deũ suũ ac Patrem placa-
uit & conciliauit mundo, atque instanti ira omnes liberauit, Natus
de virgine, natus in carne, Deus, verbum, filius dilectus, primoge-
nitus omnis creaturæ, secundùm de eo prædictas prophetias, ex se-

mine Dauid & Abraam, de tribu Iudæ : & conceptus eſt in vtero Virginis, formator omnium qui naſcuntur: atque incarnatus eſt is, qui carnis eſt expers : in tempore natus, qui ab æterno eſt genitus: piè conuerſatus eſt, & ſanctis legibus * inſtituit, omnem morbum atque infirmitatem expulit, ſigna ac prodigia in populo fecit : cibũ, potũ, ſomnũ cepit is, qui oẽs cibo indigẽtes alit, & replet omne animal benedictione: manifeſtauit nomen tuum ijs, qui id ignorabant: ignorantiam fugauit, pietatem excitauit, volũtatem tuam expleuit: opus, quod dederas illi, conſummauit. Quę oĩa quum perfeciſſet, impiorum manibus cõpręhenſus, ſacerdotũ atq; pontificum falſi nominis, populiq́; ipſius iniqui, & malitia laborantis traditione, multa paſſus eſt ab ipſis, omnemq́; ſuſtinuit ignominiam tua permiſsione. Traditus eſt Pilato pręſidi : ac iudicatus is, qui iudex erat: condemnatus eſt aliorum Saluator: crucifixus, qui eſt impaſsibilis: mortuus, natura immortalis: ſepultus, omnium viuificator, vt paſsione & morte liberaret eos, ꝓpter quos venerat, & vincula diaboli diſrumperet, hominesq́; ab eius fraudibꝰ eriperet. Et reſurrexit à mortuis tertia die, & per quadraginta dies verſatus cũ diſcipulis, receptus eſt in cælũ, & ſedet ad dexterã Dei & patris ſui.

* inſtitutis,

Ioan. 17.

Actor. 1.

CONSECRATIO ET OBLATIO CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI.

Ibidèm.

MEMORES igitur eorum, quę propter nos eſt paſſus, gratias agimꝰ tibi Deus omnipotẽs, non quãtùm debemus, ſed quantùm poſſumus: Et ordinationem eius implemus.

NAM in qua nocte tradebatur, accipiens panem in ſanctas & immaculatas manus, & ſuſpiciens in te Deum ſuum & patrem, frangensq́ue dedit diſcipulis, dicens: Hoc myſterium noui Teſtamenti : accipite, ex eo comedite. Hoc eſt corpus meum, quod pro multis frangitur in remiſsionem peccatorum. Similiter & calicem miſcens ex vino & aqua, & ſanctificans, tradidit eis, dicens: Bibite ex

co omnes:hic eſt ſanguis meus,qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Quotieſcunq; enim comederitis panem hunc, & biberitis calicem hunc, mortem meam annunciabitis donèc veniam.

MEMORES igitur paſsionis eius & mortis,necnon ex mortuis reſurrectionis, atq; in cælos aſſcenſionis, & futuri eius ſecundi aduētûs,in quo veniet cum gloria & virtute iudicare viuos & mortuos,& reddere vnicuique ſecundùm opera ſua:offerimus tibi regi & Deo ſecūdùm ipſius ordinationem panem hunc & calicē hunc, gratias tibi agentes, eô quòd nos dignos feciſti aſsiſtere in conſpectu tuo,& fungi ſacerdotio tibi. Rogamusq; te, vt benignè adſpicere digneris ſuper hęc dona ꝓpoſita in conſpectu tuo,tu qui nullo indiges Deus, & complaceas tibi in ipſis in honorem Chriſti tui, & mittas ſanctum Spiritum tuū ſuper hoc ſacrificium, teſtem paſſionum Domini Ieſu,vt oſtendat hunc panem corpus Chriſti tui, & hunc calicem ſanguinem Chriſti tui, vt qui eum percipiunt,cōfirmentur in pietate, & remiſsionem peccatorū conſequantur,diabolo & errore eius liberentur, Spiritu ſancto repleantur, Chriſto tuo digni efficiantur, vitam æternam adipiſcantur, te eis reconciliato Domine omnipotens.

MYSTICA ORATIO.

ETIAM rogamus te Dn̄e pro ſancta tua Eccleſia,quę eſt à finibus vſq; ad fines,quā acquiſiuiſti precioſo ſanguine Chriſti tui,vt eam quietam & tranquillam cōſerues vſq; ad cōſummationem ſeculi. Et pro om̄i Epiſcopatu rectè tractante verbū veritatis, etiam imploramus te,& pro meī offerentis tibi tenuitate, proque omni Presbyterio,pro Diaconis atq; om̄i clero, vt oēs à te edoctos, Spiritu ſancto repleas. Etiam rogamus te Domine pro Rege, & pro ijs, qui ſunt in ſublimitate conſtituti, proque omni exercitu, vt per illos pacificè viuamus, vt in quiete & cōcordia perſeuerantes, Ibid.c.18.

per omne tempus vitæ noſtræ, glorificemus te per Ieſum Chriſtũ, qui eſt ſpes noſtra. Etiam offerimus tibi pro omnibus, qui à ſeculo placuerunt tibi, ſanctis, Patriarchis, Prophetis, iuſtis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis, Lectoribus, Cantoribus, Virginibus, Viduis, laicis atq; omnibus, quorum tu cognouiſti nomina.

ETIAM offerimus tibi pro populo hoc, vt facias eum in laudem Chriſti tui regale ſacerdotium, gentem ſanctam: pro Virginibus & caſtitatem ſeruantibus: Pro Viduis Eccleſiæ: pro copulatis honorabilibus nuptijs, & filios procreantibus: pro infantibus populi tui, vt neminem noſtrûm reijcias. Etiam rogamus pro hac ciuitate, & habitãtibus in ea: pro laborantib⁹ infirmitate, & pro acerbam ſeruitutem ſeruientibus: pro relegatis, & publicationem bonorum perpeſsis: pro nauigantibus, & pro peregrè proficiſcẽtibus, vt ſis auxiliator omniũ, adiutor & opitulator. Etiam oramus te pro ijs, qui nos odio habent, & perſequuntur nos propter nomẽ tuum: pro ijs, qui extrà ſunt, & verſantur in errore, vt reducas eos in bonũ, & furorem eorum mitiges. Etiam rogamus te pro Catechumenis Eccleſiæ, & pro vexatis ab aduerſario, & pro fratribus noſtris pœnitentibus, vt illos in fide perficias, alios à vexatione mali eripias, horum pœnitentiam recipias, & indulgeas illis atq; nobis delicta noſtra. Etiam offerimus tibi pro aëris ſalubritate, & fructuum fertilitate, vt abundè bona tua percipientes, te aſsiduè laudemus, qui das eſcam om̃i carni. Etiam rogamus te pro ijs, qui iuſta cauſa impediti abſunt, vt omnes nos in pietate cuſtoditos, congreges in regnum Chriſti tui, Dei omnis ſenſitiuæ intellectualis naturæ, & regis noſtri, ſtabiles in bono, inculpabiles, crimine carentes, quoniam tibi omnis gloria, cultus, gratiarum actio, honor & adoratio Patri & filio, & ſancto Spiritui & nunc & ſemper, & in infinita ſecula ſeculorum. Et omnis populus dicat, Amen.

PA-

PACEM NVNCIAT EPISCOPVS.

ET Episcopus dicat: Pax Dei sit cum omnibus vobis. Et omnis populus dicat, Et cum spiritu tuo. Ibid.

DIACONI EXHORTATIO AD ORATIONEM PRO VIVIS ET DEFVNCTIS.

ET Diaconus iterùm pronunciet: Etiam rogemus Deum per Christum suum. Pro dono oblato Domino Deo, oremus: vt bonus Deus suscipiat illud intercedente Christo ipsius, in cæleste altare suum in odorem suauitatis. Pro hac Ecclesia, & pro populo rogemus: Pro omni Episcopatu, pro omni presbyterio, pro omni in Christo diaconia & ministerio, pro vniuerso Ecclesiæ cœtu rogemus, vt Dominus omnes conseruet atque custodiat. Pro Regibus & pro ijs, qui sunt in sublimitate constituti, oremus, vt in pace per ipsos viuamus, vt quietam & tranquillã vitam agamus in omni pietate ac sanctitate: sanctorum martyrum memoriam colamus, vt digni efficiamur certamine ipsorum. Pro ijs qui in fide quieuerũt, oremus. Pro salubritate aëris & fructuum maturitate rogemus. Pro nupèr illuminatis oremus, vt omnes in fide confirmentur. Excita nos Deus in gratia tua. Excitati, nosipsos Deo per Christum eius commendemus. Ibid. c. 19.

EPISCOPI ORATIO.

EPISCOPVS dicat: Deus magnus, & magni nominis, magnus consilio, & operibus potens, Deus & pater sancti pueri tui Iesu saluatoris nostri, respice super nos, & super hoc ouile tuum, quod per ipsum elegisti in gloriam nominis tui, & sanctificato corpore nostro & anima, dignos nos fac, vt purgati omni inquinatione carnis & spiritûs, proposita bona cõsequamur, & neminem no- Ibid. c. 20.

ſtrûm iudices indignum, ſed ſis adiutor noſter, auxiliator, & defenſor noſter per Chriſtum tuum, cum quo tibi gloria & honor, laus, gloriatio, & gratiarum actio, & ſancto Spiritui in ſecula, Amen.

COMMVNIO.

Ibidèm. ET poſtquàm omnes dixerunt, Amen: Diaconus dicat: Attẽdamus. Et Epiſcopus alloquatur populũ ijs verbis: Sancta ſanctis. Et populus ſubiungat, Vnus ſanctus, vnus Dñs, vnus Chriſtus, in gloriam Dei patris benedictus in ſecula, Amen.

GLORIA in altiſsimis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Oſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine DOMINI: Deus Dominus, & apparuit nobis, Oſanna in altiſsimis. Poſt hoc ſumat Epiſcopus, deindè Presbyteri, & Diaconi, & Hypodiaconi, & Anagnoſtæ, & cantores, & Aſcetæ, & ex mulieribus Diaconiſſæ, & Virgines, & Viduæ, poſteà pueri & omnis populus ordine, cum pudore & reuerentia, abſque tumultu. Et Epiſcopus det oblationem, dicẽs: Corpus Chriſti. Et ſumẽs, dicat, Amẽ. Diaconus teneat calicem, & quandò tradit, dicat: Sanguis Chriſti, calix vitæ: & bibens dicat, Amen. Cùm reliqui ſumunt, dicatur Pſalmus XXXIII.

SERMO DIACONI POST COMMVNIONEM ET PSALMVM.

Ibid. c. 21. POSTQVAM omnes ſumpſerunt, accipiant Diaconi reliquias, & portẽt in paſtophoria. Perfecto Pſalmo, Diaconus dicat: Percepto precioſo corpore & precioſo ſanguine Chriſti, gratias agamus ei, qui dignos nos reddidit perficiendi ſancta eius myſteria: & rogamus, vt non in iudicium, ſed in ſalutem nobis fiant, in vtilitatem animæ & corporis, in cuſtodiam pietatis, in remiſsionem peccatorum, in vitam futuri ſeculi. Excitemur in

gratia,

gratia. Nosipsos Deo soli ingenito, Deo & Christo eius commendemus.

GRATIARVM ACTIO EPISCOPI POST COMMVNIONEM.

ET Episcopus gratias agat: Domine Deus omnipotens, Pater Christi tui filij benedicti, exauditor inuocantium te in rectitudine, qui scis interpellationes tacentium, gratias tibi agimus, quòd fecisti nos dignos participationis sanctorum mysteriorum tuorum, quæ præbuisti nobis in confirmationem eorum, quæ benè cognita sunt, in custodiam pietatis, in remissionem peccatorum, quoniam nomen Christi tui inuocatum est super nos, & tibi conciliati sumus: qui segregâsti nos à communicatione impiorũ, coniunge nos cum consecratis tibi, confirma nos in veritate sancti spiritûs superuentione: ignorata reuela: quæ desunt, exple: cognita corrobora: sacerdotes illuminatos tuere in seruitute tua. Reges conserua in pace, Magistratus in iustitia, cælum in salubritate, fructus in fertilitate, mundum in prouidentia omni ex parte sufficiẽti: nationes bellicosas reprime, errantes conuerte, populum tuum sanctifica, virgines conserua: matrimonio vinctos custodi in fide: ignorantes corrobora, infantes ad virilem ætatem perduc: nouitios confirma: catechumenos instrue, & imitatione dignos redde. nosque omnes congrega in regnum cælorum in Christo Iesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor, cultus, & sancto spiritui in secula, Amen. Ibid. c. 22.

BENEDICTIO EPISCOPI.

ET Diaconus dicat: Deo per Christum eius inclinamini, & benedictionem accipite. Et Episcopus iterùm oret, dicens: Deus omnipotens, verus & incomparabilis, qui vbiquè ades, & præsens es in cunctis, & in nullo tanquàm ens quiddam existis, qui Ibid. 23.

loco

loco non circunſcriberis, nec tempore conſeneſcis, nec ſeculis terminaris, neque ſermonibus explicaris, qui generationi non es ſubiectus, cuſtodia non indiges, extra interitum es poſitus, mutationẽ non recipis, qui natura es inuariabilis, qui lucem inhabitas inacceſſibilẽ, qui natura es inuiſibilis, quem vniuerſales naturæ cum amore te inueſtigantes cognoſcunt, qui compræhenderis ab ijs, qui in charitate quærunt te: Deus Iſraëlis re vera videntis, populi tui credentis in Chriſtum, propitius factus, exaudi me propter nomen tuum, & benedic eis, qui tibi inclinant colla ſua: & concede eis petitiones cordis ipſorum, quæ ſunt ad vtilitatem, & nullum ex ipſis expelle à poſſeſsione regni tui, & ſanctifica eos, muni, tege, defende, libera ab aduerſario, ab omni inimico domos ipſorum cuſtodi: introitus & exitus eorum muni, quoniam tibi gloria, laus, maieſtas, cultus & adoratio, & puero tuo Ieſu, Chriſto tuo, Domino noſtro, & Deo & Regi, & ſancto ſpiritui, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

DIMISSIO POPVLI.

Ibidem. ET Diaconus dicat: Ite in pace.

PRO DEFVNCTIS IN LITVRGIA ALLOCVTIO.

Ibid. c. 47. DE ijs autem qui quieuerunt in Chriſto, poſtquàm Diaconus abſoluit orationem, nè idem repetamus, (orationem illam intelligit, quam habet ſuprà: Pro fidelibus, & ad cætera Liturgię capita hîc eſſe refert) hæc addet: Pro quieſcentibus in Chriſto fratribus noſtris rogemus, vt benignus Deus, qui huius animam ſuſcepit, dimittat ei omne delictum voluntariũ, & inuoluntarium: & propitius illi factus, collocet eum in regione piorum & beatorum in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob, cũ omnibus, qui à ſeculo placuerunt illi, & fecerunt voluntatẽ ipſius, vndè abeſt dolor, triſtitia & ſuſpirium.

Excite-

EXCITEMVS nos, & inuicèm cõmendemus nos æterno Deo per verbum, quod erat in principio.

ET EPISCOPVS DICAT:

QVI immortalis natura es, & nullo fine terminaris, à quo omne immortale & caducum prodijt: qui rationale animal hominem mundi ciuem, mortale in sua constitutione fecisti, & promisisti ei resurrectionem: qui Enoch & Heliam mortem experiri non permisisti, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, non mortuorum, sed viuentium Deus, quoniam omnium animæ apud te viuunt, & iustorum spiritus in manu tua sunt, quos non attinget tormentum: omnes enim sanctificati sub tua manu sunt. Ipse quoquè nunc respice super hunc seruum tuum, quem recepisti in alteram vitam, & condona ei, si quid volens vel inuitus deliquit: & angelos placidos constitue ei, & colloca eum in sinu Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, & omniũ, qui tibi à seculo placuerunt, vbì non est tristitia, dolor, neque horror, sed cœtus piorum & lætantium, & terra rectorum beata videntium gloriam Christi tui, per quem tibi gloria, honor, cultus, gratiarum actio, & adoratio in sancto Spiritu in secula, Amen.

ET Diaconus dicat: Inclinamini, & benedictionem accipite. Et Episcopus agat gratias pro eis, ijs verbis: Salua Domine populum tuum, & benedic hæreditati tuæ, quam redemisti precioso sanguine Christi tui. Pasce illos in dextera tua, & tege illos alis tuis, & da eis bonum certamen certare, cursum consummare, fidem seruare constanter & laudabiliter, Per Dominum nostrum Iesum Christũ dilectum puerum tuum, per quem tibi gloria, honor, & cultus in sancto spiritu in secula, Amen.

QVANDO CELEBRATVR MISSA, PRESBYTERIVM LAICVS INGREDI NON PRAESVMAT.

Grat. in decr. de consecr. dist. 2. c. Sacerdotũ.

SACERDOTVM aliorumq; clericorũ (vt citat D. Clemens papa apud Gratianum) Ecclesiæ seruientium honores, à laicorum loco discretè apparére conuenit. Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco, vbi sacerdotes & reliqui clerici consistunt, (quod Presbyterium nuncupatur) quandò Missa celebratur, consistere, vt liberè ac honorificè poßint sacra officia * exercere. Pars canonis, Te igitur, huic attributa. Sanctus (inquit Radulphus Tungrensis) Clemens I. natione Romanus, ante consecrationem, orationem instituisse dicitur. Vndè, Te igitur clementißime pater, à quibusdam ei tribuitur.

*celebrari

SACRIFICIVM D. MARTIALIS LEMOVICENSIVM, BVRDEGALENSIVM, TOLOSATVM, ARVERNENSIVM, AGENENSIVM, PICTAVIENSIVM, CADVRCORVM, ANICIENSIVM, RVTHENENSIVM, ENGOLISMENSIVM, ET MIMIATENSIVM, EPISCOPI.

ALTARIS CONSECRATIO.

Martial. Epist. 1. ad Burdegal.

DVM altaria (inquit ad Burdegalenses) dæmonum in puluerem redigerentur, aram ignoti Dei ad consecrationem reseruari iußimus: qua dedicata in nomine Domini Dei Israel, & ipsius testis Stephani, qui pro eo à Iudæis passus est, non hominis cultum, sed Dei in ea frequentatis: Stephanus enim non Deus, sed ami-

amicus DEI fuit. qui pro teſtimonio eius, animam ſuam poſuit: cuius ſanguine ipſa menſa eſt decorata, quia ſuo ſanguine IESVS Chriſtus comprobatus eſt eſſe Deus: & qui crediderit, ornamenta fidei maiora perceperit.

SACRIFICII OBLATIO.

SACRIFICIVM enim Deo creatori offertur in ara, non homini, non angelo. Nec ſolùm in ara ſanctificata, ſed vbiquè offertur Deo oblatio munda, ſicut teſtatus eſt, cuius corpus & ſanguinem in vitam æternam offerimus, dicens: Spiritus eſt Deus, & Ioan.4. eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Ipſe enim corpus habens, & immaculatum, & ſine peccato, quia conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria virgine, in ara crucis ipſum permiſit immolari. Quod autem Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes ſe nomen eius à terra abolere, nos cauſa ſalutis noſtræ in ara ſanctificata proponimus: ſcientes, hoc ſolo remedio nobis vitam præſtandam, & mortem effugandam: hoc enim ipſe Dominus noſter iuſsit nos agere in ſuî commemorationem. Nam de ſacrificijs idolorum, notum vobis à me factum eſt, quia ea maximè de cauſa dominabitur vobis diabolus. Et ſicut communio viui Dei eſt vobis vita, ſic participatio menſæ ſimulacrorum, erat vobis æterna mors, & infirmitates, & corruptiones, & nimiæ tribulationes huius ſeculi.

LITVRGIA D. DIONYSII AREOPAGITAE, I. PARISIORVM EPISCOPI, GALLIARVM APOSTOLI.

SACRI VNGVENTI, QVO ALTARIA ET SACERDOTES CONSECRANTVR, MYSTERIVM.

Dionys. Areop. eccl. hierar. 4. c.

EST (inquit) synaxi finitimum alterum sacramentum, quod præceptores nostri vnguenti mysterium nominant. Eodem autem modo, quo in synaxi, ordines eorũ qui minùs perfecti sunt, excludũtur: cùm scilicet & Pontificis circùm totum templũ odoribus incensis referta profectio, & Psalmorum recitatio, & diuinorum scriptorum lectio antecesserit: tum Pontifex sumptum vnguẽtum in diuino altari, duodecim pennis obtectum locat canentibus omnibus sanctißima voce, Prophetarum qui à Deo promoti sunt, verba, quæ diuino spiritu dictante exceperunt, perfectaq; in eo solenni in sanctißimis eorum, qui consecrantur cęremonijs, precatione, illud adhibet in omni ferè Pontificio munere.

CONTEMPLATIONEM, siue latiorem rituum explicationẽ, & hîc & in sequentibus, compendij gratia, omittimus.

SOLI PONTIFICI LICITA HVIVS VNGVENTI ET ALTARIS ET SACERDOTVM CONSECRATIO.

Dionys. Areop. eccl. hierar. c. 4.

ITAQVE diuinus nos mos sanctam hierarcharum ordinum institutionem diuiniq; vnguenti confectionem, atque sanctam altaris consecrationem, diuinorum Pontificum efficacibus facultatibus singulari munere attribuit.

ALTARIS CONSECRATIONIS RITVS.

Ibid. in cõtempl.

HOC etiam animaduerti, diuini quoquè altaris consecrationẽ sanctißimorũ mysteriorũ more & instituto sanctißimis sacri vnguenti infusionibus perfici. Est autem cælestis DEI actio omnis, diuinæ nostræ sanctificationis principium, essentia, perficiensque vis. Si enim Iesus, qui est diuinum altare nostrum, diuina

est diuinarum mentium consecratio, in quo vt scripta diuina loquuntur, consecrati, ac mysticæ omninò hostiæ instàr incensi, accessum habemus, cælestibus oculis diuinũ ipsum altare cernamus, in quo quæ perficiuntur, ab ipso diuino vnguento & perficiuntur, & sanctificantur omnia.

MYSTERIVM CONSECRATIONVM, QVAE SACROS ORDINES CONTINGVNT.

PONTIFEX quidem (inquit) qui ad perfectionem virtutemque Pontifice dignam euehitur, vtroque genu flexo ante altare, supra caput habet libros à Deo traditos, manumque Pontificis: atque hoc modo ab eo pontifice, qui eum consecrat, sanctissimis precationibus appellationibusq; consecratur. Sacerdos autem flexis ante aram genibus, capiti suo admotam Pontificis manum dextram habet: atque ità à pontifice, qui eum consecrat, sanctis precationibus consecratur. Minister verò genu altero flexo ante altare, dextram manum Pontificis qui eum consecrat, super caput habet, ab eoque consecratur ijs precationibus & inuocationibus, quibus ministri consecrari solent. Vnicuiq; autem eorum signum crucis à consecrante pontifice imprimitur, & singulis sancta prædicatio, perficiensque salutatio adhibetur, omnibus Ecclesiastici ordinis consalutantibus, ac Pontifice consecratore eum, qui in aliquem ordinem Ecclesiasticum eorum, quos enumerauimus, cooptatus est. Ibid. ca. 5.

PRECES ANTE MYSTERIA.

NEQVE Carpus (inquit) qui me Cretæ hospitio excepit, sacros mysteriorum ritus aggrediebatur, nisi priùs ipsi in ijs precibus, quæ anteà perfici solent, sacra & læta apparuisset visio. Idẽ Epist. ad Demoph. 1. monach.

SYNAXEOS LITVRGIA.

PONTIFEX (inquit) perfecto precum sacro ad Dei altare, cùm ab eo incendendi odores initium fecit, sacrum obit lo- Ibid. ca. 3.

cum. Reuersus autem ad diuinam aram, sacros psalmos canere incipit, canuntq; cum eo omnes Ecclesiastici ordines. Deincèps à ministris sanctorum librorum lectio ordine recitatur. Ea recitata, extra templi ambitũ collocantur catechumeni, & vnà cum eis energumeni, atque ij quos superioris vitæ pœnitet: manent autem ij qui diuinarum rerum & adspectu digni sunt & communione. Ministrorum verò alij stant pro templi foribus, * atq; occlusæ sunt: alij autem, aliquid aliud eorum, quæ eorũ ordinem attingunt, perficiunt. Pręcipui porrò atque selecti ordinis eius, qui ministrat, cũ sacerdotibus in diuino altari proponunt panem, benedictionisque calicem: cùm anteà Ecclesiastici omnes laudem hymnumq; generalem Deo tribuerint: cum quibus Pontifex sacras preces ritè perficit, sanctamq; pacem omnibus nunciat. Cùm omẽs se inter se salutauerũt, mystica sanctarum δυπτύχων recitatio fit. Cumq; manus aqua abluerunt & Pontifex & sacerdotes, Pontifex quidem in medio altari collocatur: circunstant autem eum soli cum sacerdotibus ministri selecti. Pontifex laudatis sacris Dei operibus, ea quæ diuinissima sunt, ritè perficit, oculisq; subijcit ea quę propositis ritè signis laudata sunt. Donis diuinorũ operum monstratis, ad sacram eorum communionem & venit ipse, & inuitat cæteros. Accepta dataq; diuina communione, in sacram gratiarum actionem desinit: cùm intereà multi quidem sola diuina signa considerẽt, ipse aũt diuino spiritu semper ad sacra principia eorũ quæ perficiũtur, beatis, intentisq; contemplationibus, vt Pontificem decet, in diuini status puritate ducitur.

*quæ

LITVRGIA IN CONSECRATIONE MONASTICA.

Ibid. c. 6. SACERDOS quidem (inquit) stat ante diuinum altare, precationem quæ monachos attingit, recitans ac pronuncians: is autem qui consecratur & initiatur, stat post sacerdotem, nec vtrunq;

ge-

genu flectit, nec alterum, nec caput habet suppositũ diuinis libris, sed tãtùm præstò est sacerdoti, qui mysticam precationem in ipso recitat. Sacerdos verò ea perfecta, quum ad eum qui initiatur, venit, illum rogat primùm, num remittat nuncium non solùm diuiduis distinctisq; vitis, verumetiam visionibus: deindè perfectissimam ei vitam exponit, hoc pro testimonio dicens, eum mediam vitam superare ac transilire oportere. Quę vbi omnia is qui initiatur, continenter professus est se esse facturum, sacerdos signo crucis eum consignatum tondet, appellans tres personas diuinæ beatitudinis: omniq; veste detracta, eũ alia induit, & cum alijs sanctis viris qui adsunt, cùm eum salutauit, participem facit diuinorũ mysteriorum.

AD SACRA MYSTERIA ADITVS QVIBVS PERMISSVS.

AN non hoc clamãt (inquit) etiam sacra mysteria? Neq; enim planè omnibus aditus ad sancta sanctorum interdictus est, sed proximè ad ea accedit Pontificum ordo, deindè sacerdotum, tum secundùm hos, ministrorum. Ijs autem qui monachi instituti sunt, valuæ adytorum occlusę sunt, ad quas & initiantur, & assistũt, non vt eas custodiant, sed vt agnoscant & se & ordinem suum: propiusque ad populum, quàm Ecclesiastici ordinis homines, accedunt. Idẽ epist. ad Demoph. monach.

SACERDOTVM PROPRIA DIVINORVM TRACTATIO.

Ibidèm.

AC mihi quidem videtur audax & temerarius, si quis ea sibi sumat quæ propria sacerdotum, neque metu & pudore, à diuinorum tractatione præter captum ac meritum deterretur: putatq; Deum ignorare, quę ipse sibi est conscius, & sperat se deceptu rum eum, qui à se falso nomine appellatur pater, audetq; scelestas suas, vt ità dicam, maledictiones (neq; eñ preces dixerim) in diuinis mysterijs Christi imitatione proferre.

CHRISTI APPARITIO IN D. DIONYSII SACRIFICIO.

In vita Dionys. edita per Hilduinũ Abbatẽ.

QVUM post permultas (inquit D. Visbius in vita Dionysij) & pernecessarias populi, qui eum sequendo carcerem eruperant, exhortationes, & ad absentes directa institutionum præcepta, Dominica Missarum solennia, vt confirmarentur participatione corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi fideles, velut iam in cælis positus celebraret: hora qua frangebatur panis sanctus, quo ipse & populus communicare * debebant, resplenduit huiusmodi lux de cælo super eum & omnes qui ibi aderant, qualem nemo eorum anteà viderat. In qua veniens apparuit ei Dominus Iesus Christus, etiam cunctis videntibus, quibus est datum videre, cum multitudine angelorum: & accipiens panem sanctum, dedit illi, dicens: Accipe hoc chare meus, quod mox cõplebo tibi vnà cum patre meo, qui mecum est maxima merces tua, & his qui audierint te, salus in regno meo.

* deberẽt.

Hilduin. Abb. epi. ad Imperat. Chludo, de vita Diony.

QVOD ipsum repetit Hilduinus Abbas in hæc verba: Conscriptio (inquit) Visbij, quæ in tomo satis superque abdito Parisijs diuino nutu inuenta est: inter alia memoranda, sicut in ea legitis, verba Domini nostri Iesu Christi ad eum prolata, quandò sacra mysteria perageret, illi cunctis videntibus apparentis, continere dignoscitur.

S. VALERII, II. TREVIRENSIVM EPISCOPI, VIATICI CONCESSIO.

S. Valerij Treuir. vita, Tomo I. Surij.

ILLVCESCENTE iam quinto die, (inquit author vitæ ipsius, qui post excidium Treuirorum hæc in chartulis scripta repperisse affirmat, Oratorium ingressus S. Valerius, viaticum quod ipse consecrauerat, accepit: & post hæc extensis inter discipulorum manus membris sacris, 4. Calend. Februar. spiritum reddidit cælo.

D. REGVLI, I. ARELATENSIVM ET SYLVANECTENSIVM EPISCOPI, MISSA PVBLICA.

ACCIDIT autem (inquit Author vitæ ipſius) vt hora interfectionis ſanctorum Martyrum, Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij, beatiſsimus præſul Regulus Arelatenſi populo iam ex more Eccleſiam frequentanti, Miſſam publicam celebraret. Dominica oratione iam dicta, & Apoſtolorũ nominibꝰ recitatis, adiunxit, Et beatis martyribus, Dionyſio, Ruſtico & Eleutherio. Quo audito, paululùm ſtupefactus, ſecũ mirari cœpit, cur præter ſolitũ hoc dixerat. Et eccè apparuerũt tres columbę ſuper altaris crucem reſidentes, horũ martyrum nomina pectoribus ſanguine habentes inſcripta. Quas beatus Præſul diligẽter intuitus, beatum Dionyſium & ſocios eius per coronam Martyrij cælos aſſcendiſſe, per ſpiritum ſanctum cognouit. Mox autẽ columbæ ab oculis eius elapſæ ſunt. Expleta aũt Dominici corporis conſecratione, paucis ſecum, quos voluit, retẽtis, cęteros diſcedere fecit. Quibus viſionem quam viderat, & ꝙ B. Dionyſius & ſocij eius palmam martyrij ſuſcepiſſent, amariſsimè flens narrauit. S. Reguli vita MS. apud Guiliel. Brugen.

IDIPSVM habet D. Anton. part. 1. ſum. hiſtor. titul. 6. ca. 28. lib. 2.

D. SANCTINI, I. CARNOTENSIVM, MELDENSIVM ET VIRDVNENSIVM EPISCOPI, SACRIFICIVM.

SIC'QVE (inquit Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus) reſuſcitato Antonino, ſuo poſteà ſucceſſore, per D. Sanctinũ of- Hincm. Rhemen. epi. de ge-

stis D. Dion. ad Carol. Imper. MS. ferentes Dño sacrificium laudis, Eucharistiæ corporis & sanguinis Christi participati sunt: & accipientes cibum, cõfortati sunt, & iter cœptum aggredientes, Romam, auxiliante Dño, venerunt: & iam B. Clemente martyrio coronato, in eadem sede S. Anacletum natione Græcum de Athenis, qui fuerat à B. Petro Presbyter ordinatus, consecratum Pontificem inuenerunt.

SECVNDI A CHRISTO INCARNATO SECVLI, SACRIFICII RITVS.

D. ANACLETI, PAPAE ROMANI QVINTI, STATVTA DE SACRIFICIO, ET EO PERTINENTIBVS.

DE SACERDOTVM, NEMPE EPISCOPORVM ET PRESBYTERORVM, ORDINE BIPARTITO.

Anaclet. epistola 3. SACERDOTVM (inquit) ordo bipartit⁹ est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari. Scitis autem à Domino Apostolos esse electos & constitutos, & posteà per diuersas prouincias ad prædicandum dispersos. Quum verò messis cœpisset crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adiumentum septuagintaduos eligi præcepit discipulos. Episcopi verò, Domini Apostolorum: presbyteri quoq;, septuagintaduorum discipulorũ locum tenent.

QVOD ipsum latiùs tractat Epistola secunda, sed compendij gratia prætermittimus.

DE

DE EPISCOPORVM, PRESBYTERORVM ET INFERIORVM GRADVVM ORDINATIONIBVS.

ORDINATIONES Episcoporum (inquit ad Episcopos Italię) authoritate Apostolica, ab omnibus q in eadem fuerint prouincia, Episcopis sunt celebrādę. Qui simul cōuenientes, scrutiniū diligēter agāt: ieiuniumq; cum omnibus celebrēt precibus, & manus cum sanctis Euāgelijs, quę prędicaturi sunt, imponētes, Dñica die hora tertia orantes, sacraq; vnctione, exemplo Prophetarum & Regum, capita eorum (more Apostolorum & Mosis) vngentes, qa omnis sanctificatio, constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis, sancto Chrismati est permixta, & hoc ritu solennem celebrent ordinationem. Quòd si simul omnes conuenire minimè potuerunt, assensum tamen suis precibus præbeant, vt ab ipsa ordinatione animo non desint. Porrò & Hierosolymitarum primus Archiepiscopus beatus Iacobus, qui Iustus dicebatur, & secūdùm carnem, Domini nuncupatus est frater, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis est ordinatus, successoribus videlicet dantibus formam eorum, vt non minùs quàm à tribus Episcopis, reliquisq; omnibus assensum præbentibus, vllatenùs Episcopus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur. Reliqui verò sacerdotes à proprio ordinentur Episcopo, ità vt ciues & alij sacerdotes, assensum præbeant, & ieiunantes ordinationem celebrent: similiter & Diaconi ordinentur. Cæterorum autem graduum distributioni, trium veracium testimonium, cum Episcopi scilicet approbatione, sufficere potest. Idē epi. 2.

QVOD SACRIFICANDVM SIT IN LOCIS SACRATIS, ET ADHIBITIS TESTIBVS, DIACONIS, SVBDIACONIS, ET ALIIS MINISTRIS.

SACERDOTES autem (inquit alio loco) quandò Dño sacrificāt, nō soli hoc agere debēt, sed testes secum adhibeāt, vt Dño Idē epi. 1.

perfectè in sacratis Deo sacrificare locis probentur. Ait nanque authoritas legis diuinæ: Vide nè offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus. Episcopus Deo sacrificans, testes (vt præfixum est) secum habeat, & plures quàm alius sacerdos. Sicut enim maioris honoris gradu fruitur, sic maioris testimonij incremento indiget. In solennioribus quippe diebus, aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & subdiaconos atq; reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis, in fronte & à tergo, & presbyteri eregionè dextra læuaq; cõtrito corde & humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum à maleuolis hominibus, & consensum eius prębeant sacrificio.

QVOD, PERACTA CONSECRATIONE, OMNIBVS COMMVNICANDVM SIT.

Ibidèm. PERACTA aũt consecratione, oẽs communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. Seruite* (inquit Dñs per Prophetã Dauid) in timore, & exultate ei cũ tremore. Adorate purè, nè fortè irascatur, & pereatis de via. Ille enim non perit de via, qui rectè graditur, & præcepta custodit Maiorum.

*Dño(

D. EVARISTI PAPAE VI. ROMANI, DECRETA DE CERTO MISSARVM GENERE.

DE OBLATIONIBVS IN LEGITIMIS NVPTIIS.

ALI-

ALITER (inquit) legitimum, vt à Patribus accepimus, & à sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum inuenimus, non fit cõiugium, nisì (cætera omitto breuitatis causa) vxor suo tempore sacerdotaliter (vt mos est) cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur. Euarist. Papa Epist. 1.

DE MISSA IN CONSECRATIONE ECCLESIARVM ET ALTARIVM.

OMNES Basilicæ (iuxta quod ex Decretis eiusdem à D. Burchardo citatur) cùm Missa semper debẽt consecrari, altaria verò placuit non solùm vnctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. Si verò altaria non fuerint lapidea, ad celebranda diuina officia non consecrentur. Vbì autem Ecclesia est, de cuius ambigitur consecratione, à vicinis presbyteris & parochianis fideliter requiratur. Hi ergò cum cæteris omnib⁹ in Synodali Concilio ab Episcopo pro suo sunt contestandi sacerdotio, si illorum temporibus vel antecessorum suorum, sciant Ecclesiæ illius dedicationem, die vel officio vnquàm fuisse celebrem. Quòd si affirmando in hoc concordant, non fiat iniuria Ecclesiæ legitimæ vel suo defensori: Sin autem, in arbitrio sit Episcopi, claudere seu aperire eam. Decr. MS. cod. l. 5. c. 8. & Tom. 1. Conc. ac Burch. decr. l. 3. c. 27

CHRISTIANORVM SVB TRAIANO ANTELVCANI COETVS.

AFFIRMABANT autem (inquit Plinius Secundus, ad Traianum scribens) Christiani, quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicèm, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed Plin. 2. Epist. ad Traiã. sub fin. l. 10.

nè furta, nè latrocinia, nè adulteria committerent, nè fidem fallerent, nè depositum appellati abnegarent: quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusq; coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium.

Tertull. Apol. cõt. gentes.

QVOD ipsum ex Plinio citat in hæc verba Tertullianus: Plinius Secundus quum prouinciam (Bithyniam) regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid decætero ageret, consuluit Traianum Imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum cuidam Christo Deo, & ad conferendam disciplinam homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera ab ipsis prohiberi. Tunc Traianus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse: oblatos verò, puniri oportere.

ad annum III.

QVAE ipsa Tertulliani verba citat Eusebius in Chronico seu potiùs Hieronym. inter ea quæ ad illud suis quibusdam locis interseruit.

D. ALEXANDRI, VII. PAPAE, ET ALIORVM PATRVM CONCILII ROMANI, CANONES DE SACRAMENTORVM OBLATIONIBVS.

INTER MISSARVM SOLENNIA PASSIO DOMINI MISCENDA, QVIBVS PLACATVR DEVS.

IN ſacramentorum (inquit) oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolennia Domino offeruntur, paſsio Domini miſcenda eſt, vt eius, cuius corpus & ſanguis conficitur, paſsio celebretur. Alex. Papa Epiſt. 1. c. 4.

ET poſteà: Crimina enim atque peccata, oblatis his Domino ſacrificijs, delentur. Idcircò & paſsio eius in his commemoranda eſt, qua redempti ſumus, & ſæpiùs recitanda, atq; hæc Domino offerenda. Talibus hoſtijs delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia.

QVEM locum tractat Vvalafridus Strabus: Alexander, inquit, ſeptimus papa in numero, miſcuit paſsionem Domini in precatione ſacerdotum, quandò Miſſæ celebrantur. Quod cùm ità de eo in Pontificalibus ſcriptum ſit, dubium videtur, vtrùm ille eam tantùm partem actionis, qua paſsio Domini commemoratur, ordinauerit, vel totam à capite vſq; ad ipſum locum. Sed huic ſecundæ æſtimationi videtur contrarium, quòd in ea parte ſancti nominantur, qui & ante illum, & qui poſt illius tempora longè fuerunt: niſì dicamus, ab illo eos tantùm, qui ante illum fuerunt, commemoratos: Cæterorum verò nomina, ſuis quæque temporibus, ab alijs ſuperimmiſſa. Vndè & ipſius nomen Alexandri, in ſequenti ordine reperitur. Vvalafr. Strab. de reb. Eccl. c. 22.

BERNO verò Augienſis Abbas: De Alexandro quoquè Papa, qui à B. Petro ſeptimus erat in ordine, ità legimus: Hic paſsionem Domini miſcuit in precatione ſacerdotum, quandò Miſſæ celebrantur. Berno Augienſ. c. 1. de offic. Miſſæ.

ET Micrologus noſter: Multa tamen Canoni à ſanctis Patribus inſerta legimus: ſicut à ſancto Alexandro Papa in ordine, quinto, ipſius Dominicæ paſsionis, commemoratio interſeri iubetur. Microl. de obſeru. Eccl. c. 12.

SIGEBERTVS quoquè: Hic (inquit) inſeruit memoriam Dominicæ paſsionis ad conſecrationem Euchariſtiæ. Sigeb. in chron. ad annū Dñi 688.

RADVLPHVS deniquè Tungrenſis: Sanctus Alexander, de quo Radulph. Tungr. de can. obſer. c. 23.

quo ſuprà, ipſius Dominicæ paſsionis commemorationem interſeri iuſsit. Vndè orationem, (Vndè & memores) quidam ipſi attribuunt.

PANIS TANTVM, ET VINVM AQVA MIXTVM, IN SACRIFICIO OFFERANTVR.

Alexand. Papa ibid.

ITA (inquit idem D. Alexander) vt repulſis opinionibus ſuperſtitionum, panis tantùm & vinum aqua permixtum, in ſacrificio offerantur. Non debet enim (vt à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet) in calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrunque permixtum, quia vtrunque ex latere eius in paſsione ſua profluxiſſe legitur. Ipſa verò veritas nos inſtruit, calicem & panem in ſacramento offerre, quandò ait: Accepit Ieſus panem, & benedixit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & manducate: Hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter, poſtquàm cœnauit, accepit calicem, deditq́; diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes: quia hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis fundetur in remiſsionem peccatorum.

Microl. de Eccl. obſeru. c. 10.

QVAM ipſam quoquè conſtitutionem citat Micrologus: Sanctus (inquit) Alexander papa conſtituit, vt panis tantùm & vinum aqua mixtum, in ſacrificio Domini offeratur, quia de latere Domini ſanguis & aqua ſimul profluxerunt. Ac in hæc verba Sigebertus: Sicut de latere crucifixi Chriſti Ieſu effluxit ſanguis & aqua, ità aquam vino miſceri in ipſa conſecratione inſtituit, nec vinum ſine aqua, nec aquam ſine vino offerri debere decernens.

Sigeb. loco citato.

Mart. Polon. in chron. ad annũ Domini 132.

ET Martinus Polonus: Hic etiam ſtatuit, vt vino aqua miſceretur in Miſſa, ad deſignandam vnionem Chriſti in Eccleſia: Et vt oblatio fieret ex azymo, & in modica quantitate, dicens: Hæc oblatio quanto potior, tanto rarior.

QVAE poſtrema vndè ſumpſerit, neſcio: eadem tamen habet Radulphus Tungrenſis loco citato.

OBLA-

OBLATIO HAEC, PVRA CONSCIENTIA OFFERENDA, ET AB OMNIBVS VENERANDA.

NIHIL (inquit idem D. Alexāder) in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti. Nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit. Quæ pura cōſcientia Domino offerenda eſt, & pura mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda. Et ſicut potior eſt cæteris, ità potiùs excoli & venerari debet. Alexand. Papa ibid.

AQVA SALE CONSPERSA BENEDICATVR.

AQVAM verò ſale conſperſam, populis benedicimus, vt ea cuncti adſperſi, ſanctificentur ac purificentur: quod & omnibus ſacerdotibus faciundum eſſe mandamus. Ibidèm.

NAM ſi cinis vitulæ adſperſus ſanguine, populum ſanctificabat atq; mundabat: multo magìs aqua ſale adſperſa, diuinisq; precibus ſacrata, populum ſanctificat atq; mundat. Et ſi ſale adſperſo, per Heliſæum prophetam, ſterilitas aquæ ſanata eſt: quanto magìs diuinis precibus ſacratus, ſterilitatem aufert rerum humanarum, & coinquinatos ſanctificat, atq; mundat, & expurgat, & cætera bona multiplicat, & inſidias diaboli auertit, & ab eius phantaſmatîs, ac verſutijs homines defendit? Nam ſi tactu fimbriæ veſtimenti Saluatoris, ſaluatos infirmos eſſe non dubitamus: quanto magìs virtute ſacrorum eius verborum diuinitùs ſacrantur elementa, quibus ſanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas?

IDIPSVM ab eo conſtitutum teſtatur his verbis D. Damaſus: Hic cōſtituit aquam adſperſionis cum ſale benedici, ſiue (vt alij legunt) cum ſale benedicto ſpargi in habitaculis hominum. Damaſ. li. Pōtif. c. 7.

ET ijſdem verbis Ado Treuirenſis in Martyrologio. Ado in Martyrol. ad 7. Nonas Maij.

SIMILITER Vualafridus Strabus: Aquam ſparſionis cum ſale Vvalafr.

Strab. de reb. Eccl. c. 29. ſale benedici, & in habitaculis fidelium ſpargi, Alexander Papa cõſtituit. Sicut enim populus prior legalibus inſtitutis deſeruiẽs, ſanguine luſtrabatur: ità nouus Chriſtianorum populus, Baptiſmi ſacramento renatus, dignè aqua benedicta adſpergitur, vt ſicut ſanguis agni in poſtibus ad repellendum percuſſorem ponebatur, ità myſterium aquæ, corpora & loca muniat renatorum.

ET Micrologus: Alexander Papa quintus à beato Petro, conſtituit, vt ſal & aqua benediceretur ad conſpergendum populum & habitacula eorum: quod & nos in omni Dominica iuxta Canones ſequimur.

Sigeb. loco ſuprà citato. AC Sigebertus: Inſtituit aquam benedici & aſſpergi.

Radulph. Tungr. loco citato. RADVLPHVS deniquè Tungrenſis: Rurſusq; præcepit populum aſſpergi aqua cum ſale exorcizata & benedicta.

SACERDOTES SACRANDI.

Alexand. Papa Epiſt. 2. SACERDOTES (inquit idem Alexander alibì) ſibi ſacrari & in ordine Apoſtolatûs conſtitui voluït. Ipſi enim pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia ſuis precibus & oblationibus ea delent atque conſumunt.

D. SIXTI I. PAPAE ROMANI VIII. CVM RELIQVIS EPISCOPIS, CONSTITVTIONES CIRCA MISSARVM ACTIONEM.

VASA SACRA NON NISI A SACRATIS MINISTRIS CONTRECTENTVR.

IN

IN hac (inquit D. Sixtus) ſede Apoſtolica à nobis & reliquis Epiſcopis, cæteriſq; Domini ſacerdotibus ſtatutum eſt, vt ſacra vaſa non ab alijs, quàm à ſacratis, Dominoq; dicatis contrectētur hominibus. Indignum enim valdè eſt, vt ſacra Domini vaſa, quæcũq; ſint, humanis vſibus ſeruiant, vt ab alijs quàm à Domino famulantibus, eiq; dicatis, tractentur viris, nè pro talibus præſumptionibus iratus Dominus plagam imponat populo ſuo, & hi etiam, qui non peccauerunt, mala patiantur, aut pereant, quia perit iuſtus ſæpiſſimè pro impio. Attēdite fratres, nè talia veſtris in Eccleſijs permittatis deincèps fieri, nè grex precioſo Chriſti ſanguine redemptus, in præcipitium (quod abſit) ruat. Sixt. Papa epiſt. 1.

QVOD ipſum paucis adſtruit D. Damaſus: Hoc (inquit) conſtituit, vt miniſteria ſiue vaſa ſacrata non tangerētur, niſi à miniſtris ſacratis. Damaſ. l. Pōtif. c. 8.

ET Marianus Scotus: Sixtus Papa conſtituit in Decretis, vt ſacra miniſteria non tractentur, niſi à ſacratis miniſtris. Marian. Scot. lib. 2. hiſt.

SIC etiam Radulphus Tungrenſis: Conſtituit (inquit) nè ſacra vaſa tangerentur, niſi à miniſtris Domini conſecratis. Radulph. Tungr. loco ſępè citato.

HYMNVS, SANCTVS, SANCTVS &c. INFRA MISSARVM ACTIONEM SIVE CANONEM DECANTETVR A POPVLO.

CONSTITVIT etiam, (inquit D. Damaſus) vt Miſſarũ actionem ſacerdote incipiente, populus hymnum decãtaret: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth &c. Dam. loc. citato.

ET Albinus Flaccus Alcuinus: Sixtus Papa inſtituit adiectionē illam primæuo Hymno, id eſt, Sanctus, ſanctus, ſanctus &c. Alcuin. de diui. offic.

BERNO quoquè Augienſis: Non deſunt (inquit) qui dicunt, Sixtum Papam ſupradictum hymnum, Sanctus, ſanctus, ſanctus, ad Miſſam addidiſſe. Berno in Miſſa.

Marian. Scot. loco cit.

Ac Marianus Scotus: Et infra actionem Miſſarum, Sanctus, & Oſanna (ſic enim lego, pro eo quod eſt, Gloria) in excelſis cantari conſtituit.

Microl. li. cit. c. 11.

Micrologvs item: Angelicus (inquit) hymnus, id eſt, Sanctus, ſanctus, ſanctus, ſubſequitur, quem beatus Sixtus Papa in ordine octauus conſtituit, vt ante ſacrificium diceretur. Hunc autem hymnum & ipſe ſacerdos cum alijs neceſſariò debet dicere, nè ſeipſum ſua prece videatur priuâſſe, qui & ſuas voces & aliorum angelicis laudibus admitti deprecatus eſt in præfatione.

Sigeb. vtì ſuprà.

Sigebertvs autem: Sixtus primus hymnum inſtituit, Sanctus, ſanctus, &c.

Radulph. Tungr. loc. cit.

Radvlphvs etiam Tungrenſis: Sixtus primus natione Romanus, ſucceſſor Alexandri, qui cœpit anno Domini CXXIX. conſtituit, vt hymnus, Sanctus, ſanctus, ſanctus, ante ſacrificium diceretur, dimidium de Eſaia, dimidium de Euangelio ſumens.

Mart. Pol. in chron. ad an. 133.

Martinvs deniquè Polonus: Hic (inquit) conſtituit, vt diceretur in Miſſa: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Devs Sabaoth.

D. TELESPHORI IX. PAPAE, ET CVNCTORVM EPISCOPORVM CONCILII ROMANI, CONSTITVTA DE MISSARVM CELEBRATIONE.

CLERICI DIE NOCTV'QVE HYMNIS ET VIGILIIS ATQVE ORATIONIBVS INHAEREANT.

OMNES

OMNES (inquit cum suo concilio Telesphorus) clerici hymnis & vigilijs atq; orationibus Domino inhærere die noctuq; studeant. Telesph. Epist. 1.

NOCTE SANCTA NATIVITATIS DOMINI MISSAE CELEBRENTVR, RELIQVIS TEMPORIBVS NON ANTE HORAM TERTIAM, ET HYMNVS ANGELICVS DECANTETVR SOLENNITER.

NOCTE verò sancta Natiuitatis Domini saluatoris, Missas celebrent, & hymnum angelicum in eis solenniter decantēt, quoniam & eadem nocte ab angelo pastoribus nunciatus est, sicut ipsa veritas testatur, dicens: Pastores erant &c. Ibidem.

HVIVS cōstituti meminit etiam in hæc verba Damasus: Hic fecit, vt in Natali Domini nostri Iesu Christi noctù Missæ celebrarentur, cùm omni alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullus p̄sumeret Missas celebrare, quia ea hora Dominus noster asscendit in crucem. Damas. li. Pōtif. c. 9.

ET ven. Beda: Hic (inquit) constituit, vt in Natiuitate Dn̄i nostri Iesu Christi, Missæ nocte celebrarentur. Beda in Martyrol. ad 5. Ianu.

AC Vualafridus Strabus: Telesphorus (inquit) nonus in ordine sedis Romanæ Episcopus, in Natali Domini, noctù tres Missas celebrari constituit. Vualafr. Strab. de reb. Eccl. cap. 21.

ET vt nullo alio tempore ante horę tertię cursum, vllus præsumeret Missam celebrare: qua hora Dn̄s noster, secundùm Marci Euangelium, crucifixus asseritur. Ibid. c. 23.

MARIANVS etiam Scotus: Hic constituit, vt in nocte Natiuitatis Domini Missæ celebrentur. Mar. scot. lib. 2. hist.

RADVLPHVS etiam Tungrēsis: De hora Missæ celebrandę S. Telesphorus martyr natione Græcus, qui successit Sixto anno Domini 139. constituit in nocte Natiuitatis Missas celebrari, & hy- Radulph. Tungr. lo co sępè citato.

mnum angelicum ſolenniter decantari. Reliquis verò temporibus ante horam tertiam illas minimè celebrandas:quia & eadem hora Dominus crucifixus eſt, & ſuper Apoſtolos ſpiritus ſanctus legitur deſcendiſſe.

MARTINVS Polonus deniquè: Hic conſtituit, vt Miſſam ante tertiam nullus præſumat canere, & in Natali Domini tres Miſſas, cum, Gloria in excelſis Deo. Tres autem Miſſas in Natali Chriſti inſtituit: primam, in pullorum cantu, circa mediam noctem, quandò Chriſtus in Bethlehem naſci dignatus eſt: ſecundã, circa auroram, quandò Chriſtus in cunabulis eſt adoratus à paſtoribus: tertiam, in hora diei tertia, quandò illuxit nobis dies redemptionis noſtræ.

IDEM HYMNVS ANGELICVS CELEBRETVR AB EPISCOPIS IN MISSARVM SOLENNIIS.

Teleſph. vbì ſuprà.

AB Epiſcopis autem (inquit idem D. Teleſphorus) idem angelicus hymnus pro tempore & loco in Miſſarum ſolennijs celebrandus eſt, atq; ſolenniter recitandus.

Damaſ. li. Põtif. c. 9.

QVOD ipſum ab illo cõſtitutum aſſerit Damaſus: Et vt ante ſacrificiũ hymnus diceret angelicus, Hoc eſt, Gloria in excelſis Deo.

Beda in martyrol. vbì ſuprà.

AC ven. Beda: Ac vt hymnus angelicus, id eſt, Gloria in excelſis Deo, hora ſacrificij Miſſæ celebraretur.

Alcuin. de diuin. offic.

ALBINVS etiam Alcuinus: Teleſphorus natione Græcus ex Anachoreta, conſtituit, vt hymnus diceret angelicus ante ſacrificiũ.

Amal. de diuin. offic. l. 3. c. 8.

ET Amalarius: Teleſphorus natione Græcus ex Anachoreta, cõſtituit, vt hymnus diceretur Angelicus, hoc eſt, Gloria in excelſis Deo, ante ſacrificium.

Hrabanus de inſt. cler. lib. 1. cap. 32.

HRABANVS quoq; Maurus: Fertur etiam & longè antè Teleſphorus papa conſtituiſſe, id eſt, IX. poſt Petrum, vt ante ſacrificiũ hymnus, Gloria in excelſis Deo, diceretur.

LA-

LATISSIME verò Vualafridus Strabus: Hymnum autem angelicum (inquit) in quo paucis verbis, quędam ab Angelis circa Natiuitatem Dominicam, in laudem Dei sunt prolata, sequentes sancti patres ad communem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis laudationem, dulcissimas & congruentissimas dictiones addiderunt: Vt sicut eius principium à cælestibus ordinatum ministris, ità etiam tota eius series diuinis esset plena mysterijs. Illum, inquam, hymnum ante sacrificium dici, Telesphorus 9. Romanorum præsul cõstituit, vt ad tantę sanctitatis celebrationem, cõgregatorum animi angelicę modulationis dulcedine mulcerentur. Sed in hoc loco quæri potest, Si idem hymnus huius Papæ temporibus ante sacrificium cœpit dici: cur longo tempore pòst, sub Cælestino legatur, tantùm ante sacrificium lectionem Apostoli & Euangelium pcessisse, vt ille necessariò de Psalmis Dauid Antiphonas, quę ante ipsas lectiones cantarentur, pręposuisse videatur? Vbi respondẽdum est, constitutum quidem fuisse à Telesphoro, vt idem hymnus in capite Missæ diceretur, sed apud posteros ipsam eius cõstitutionem intermissam, donèc à sequẽtibus pleniùs totus ordo Missę componeretur: sed ità statutum ab eo, vt ipse hymnus in summis festiuitatibus & à solis Episcopis vsurparetur, quod etiam in capite libri Sacramẽtorum designatũ videtur, & ideò scriptum esse, vsq; ad tẽpora Cælestini ante sacrificium lectiones tãtùm habitas: vt subintelligatur, quãuìs ille hymnus interdùm ante Missas diceretur, vt pdiximus, non fuisse tamẽ, quod iugiter, in omnibus Missis, ab omnibus sacerdotibus ante lectiones poneretur, antequàm idem Cælestinus antiphonas ad introitum dicendas, instituit. Vualafr. Strab. de reb. Eccl. cap. 22.

BERNO itẽ Augiẽsis: Telesphor⁹ Papa cõstituit, vt ante sacrificiũ hymn⁹ diceret̃ angelic⁹, hoc est, Gloria in excelsis Deo. Qualiter ei⁹ debeat credi testimonio, testat̃ martyriũ, quod sustinuit ꝓ Dño. Berno Aug. de Miss. c. 2.

EISDEM penè verbis idipsum testantur Marianus Scotus, li. 2. hist. Sigebertus loco suprà citato, & Radulphus Tungrensis.

SA-

SACERDOTIBVS QVI CORPVS DOMINI CONFICIVNT, ET A QVIBVS POPVLVS BENEDICITVR, OBEDIENDVM.

Telesph. vbi supr.

IPSI autem (inquit idem D. Telesphorus) qui Corpus Domini proprio ore conficiunt, ab omnibus sunt audiendi, obediendi, atque timendi, & non dilacerandi: quia à quibus se populus benedici, saluari, & instrui cupit, nullatenùs debet eos arguere.

D. HYGINI PAPAE ROMANI X. DECRETA DE MISSA ET ECCLESIARVM CONSECRATIONE.

ABSQVE MISSA NON FIAT ECCLESIARVM CONSECRATIO.

Grat. de consecr. dist. 1. c Omnes.

OMNES Basilicæ (vt citatur D. Hyginus à Gratiano) cum Missa debent semper consecrari.

QVAE ECCLESIA ITERVM SIT CONSECRANDA, AVT SALIBVS TANTVM EXORCIZANDA.

Burch. Decr. li. 3. c. 11. & 12. Iuo Decr. part 3. ca. 3. ac 4. Grat. ibi. c. Si motum.

SI motum fuerit altare (vt idem citatur Decretorum D. Hygini cap. 4. ac 6. à D. Burchardo, Iuone & Gratiano) denuò cõsecretur Ecclesia. Si tantùm parietes mutantur, & non altare, salibus tantùm exorcizetur. Si homicidio vel adulterio Ecclesia violata fuerit, diligentißimè expurgetur, & denuò cõsecretur.

LIGNA ECCLESIARVM, IN VSVS LAICORVM NON CONVERTANTVR.

Burchard. Decr. li. 3. c. 39. grat.

LIGNA autem Ecclesiæ (vt citatur ex c. 6. Decretorum eiusdem à D. Burchardo & Gratiano) dedicata, non debent ad aliud

aliud opus iungi, nisì ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus. In Laicorum verò opera non debent admitti.

D. PII PAPAE XI. ROMANI CONSTITVTA CIRCA SACRAMENTA DIVINA.

SI PER NEGLIGENTIAM ALIQVID DE CALICE DOMINI STILLAVERIT, POENITENTIAM SACERDOS AGAT.

SI per negligentiam (inquit ca.3. Decretorum D. Pius iuxta citationem D. Burchardi, D. Iuonis, & Gratiani) de calice sanguinis Domini aliquid stillauerit in terram, lingua lambatur, tabula radatur. Si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus corradatur, & igne consumatur, & cinis intrà altare recondatur, & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat. Si vsq; ad tertium, nouem diebus pœniteat. Si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice superposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.

Burchard. decr. l.5.c. 47. Iuo part.2.ca. 56. Grat. de cõs.di. 2.ca. si per

POST MISSARVM SOLENNIA EVLOGIAE DOMINICIS ET FESTIS DIEBVS POPVLO DISTRIBVANTVR.

DE oblationibus quæ offeruntur à populo (vt citatur à DD. Burchardo & Iuone c.4. Decretorum ipsius) & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel

Burch. li. 5.ca.27.& 28. Iuo part. 2. cap. 37.

vel certè de suis, Presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido & conuenienti, vt post Missarum solennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exindè accipiant, quæ cum benedictione priùs faciat.

ARREPTITII SACRIS ALTARIBVS NON MINISTRENT.

Burchard. decr. li.3. ca.72. Iuo part. 1. ca. 25. Grat. 33. dist. c. Communiter.

BENE siquidem (vt citant ex cap. 6. Decr. eius D. Burchardus, D. Iuo & Gratianus) maiorum regulis diffinitum est, vt dæmoniacis alijsque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat. Cui præcepto consensu rationis adhibito id communiter diffinimus, vt nullus de his, qui aut in terra arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscusè se ingerant sacramentis diuinis, exceptis illis, qui corporum incommoditati dediti, siue huiusmodi passionibus in terra probantur elisi, qui tamen & ipsi, tam diù erunt ab officij sui ordine & loco suspensi, quousq; vnius anni spatio, per discretionem Episcopi, inuenientur ab incursu dæmonum liberati.

PRAEDIA VSIBVS CAELESTIVM SECRETORVM DICATA, SI QVIS SVBTRAHAT, SACRILEGVS IVDICETVR.

Pius papa Epist. 2.

AD sedem autem Apostolicam (inquit idem D. Pius Epistola ad Italicas Ecclesias) perlatum est, quòd sint inter vos contentiones & æmulationes: Et prædia, diuinis vsibus tradita, quidam humanis applicant vsibus, & Domino Deo (cui tradita sunt) ea subtrahunt, vt suis vsibus inseruiant. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, nè prædia vsibus secretorum cælestium dicata, à quibusdam irruentibus vexentur.

Eius-

EIVSDEM PII PAPAE MISSARVM ACTIO.

ANTEQVAM (inquit Diuus Pius Papa Epiſtola ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem apud Georgium Fabricium) Roma exiſſes, ſoror noſtra Euprepia, ſicut benè recordaris, titulum domûs ſuæ pauperibus aſsignauit: vbì nunc cum pauperibus noſtris commorantes, Miſſas agimus. Georg. Fabr. adn. in Poet. Chriſt.

D. ANICETI ROMANI PAPAE XII. DECRETVM, CIRCA MISSARVM CELEBRATIONEM.

PANIS, VINVM, ET AQVA, SINE QVIBVS MISSAE CELEBRARI NEQVEVNT, MVNDISSIME TRACTENTVR.

PANES (vt citatur à DD. Burchardo & Iuone Decr. cap. 3. Aniceti Papæ, ſic enim legendum pro eo quod eſt, Anicij) quos Deo in ſacrificium offertis, aut à vobiſmetipſis, aut à veſtris pueris coram vobis nitidè ac ſtudioſè fiant, & diligenter obſeruetur, vt panis & vinum & aqua, ſine quibus Miſſæ nequeunt celebrari, mundiſsimè atque ſtudioſè tractentur, & nihil in eis vile, nihil non probatum inueniatur, iuxta illud quod ait ſcriptura: Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. Burch. l. 5. c. 29. Iuo part. 2. cap. 38.

SVB ANICETO D. POLYCARPI APVD ROMANOS EVCHARISTIAE MINISTERIVM.

Euſeb.l.5. ca. 25. ſeu 24. Nice. l.4.c. vlt.

QVAE quum itá eſſent conſtituta, (inquit D.Irenæus cum totius Galliæ Concilio, Epiſtola ad D.Victorem Papam, citata ab Euſebio & Nicephoro) communicabant inter ſe mutuò, & Anicetus in ipſa Eccleſia Polycarpo, ob reuerentiam duntaxàt, quam erga illum habebat, ritus qui in Euchariſtia peragi ſolent, obeundi poteſtatem (ſiue Euchariſtiæ miniſterium, vt alij vertunt) conceſsit.

D. SOTERIS PAPAE ROMANI XIII. MANDATA CIRCA SACRIFICII SACRA MYSTERIA.

NE FOEMINAE SACRATAE SACRA VASA VEL PALLAS CONTINGANT, AVT INCENSVM CIRCVM ALTARIA PERFERANT.

Soter papa epiſt. 2.

SACRATAS (inqt D.Soter Epiſtola ad Epiſcopos Italiæ) fœminas vel monachas ſacra vaſa vel ſacratas pallas penès vos contingere, & incenſum circa altaria deferre, perlatum eſt ad Apoſtolicam ſedem, quę omnia repręhenſione & vituperatione plena eſſe, nulli rectè ſapientium dubium eſt. Quapropter huius ſanctæ ſedis authoritate, hęc omnia vobis reſecare funditùs, quanto citiùs poteritis, cenſemus: & nè peſtis hęc latiùs diuulgetur per omnes ꝓuincias, abſtergi citiſsimè mandamus.

QVOD etiã de illo tradit Damaſus: Hic cõſtituit, vt nulla monacha pallã ſacratã cõtingeret, nec incẽſum poneret in ſancta Eccleſia.

ET

ET ijſdem ipſis verbis Marianus Scotus, Radulphus Tungrenſis,& Martinus Polonus,locis ſuprà citatis.

QVISQVE SACRIFICANS SACERDOTEM ADSTANTEM HABEAT, QVI COEPTA SACRAMENTA EXPLEAT, SI NECESSITAS INGRVERIT.

VT illud (inquit idem D. Soter Decr. c. 8.citato à DD.Burchardo,& Iuone,ac Gratiano) diuini oraculi momentis ſinguli præcaueant,quo ſcribitur, Væ ſoli, quia quum ceciderit, non habet ſubleuantem:ſummoperè verendum eſt nobis atque cauendum,nè horis illis atque temporibus, quibus Deo pſallitur vel ſacrificatur, vnicuique diuinis ſingulariter officijs inſiſtenti, pernicioſa paſsio, vel quælibet corporis inualitudo occurrat, quæ aut corpus ſubitò ſubrui faciat,aut mentem alienatione vel terrore confundat. Pro huiuſmodi ergò caſibus præcauentes,neceſſarium duximus inſtituere,vt vbì temporis vel loci ſiue cleri copia ſuffragatur,habeat(quiſquis ille)canens Deo atque ſacrificans,poſt ſe vicini ſolaminis adiutorem,vt ſi aliquo caſu ille,qui officia impleturus accedit,turbatus fuerit,vel ad terram eliſus,à tergo ſemper habeat,qui eius vicem exequatur intrepidus, & officium inceptum adimpleat.

Burch. decr.l.3.c.73 Iuo parte 2.c.126. Grat. de conſecr. diſt.1.c. Vt.

CELEBRET NEMO, NISI DVOBVS PRAESENTIBVS.

HOC quoquè ſtatutum eſt, (vt citatur eiuſd. Decr. c. 10.ab ijſdem) vt nullus presbyterorum Miſſarum ſolennia celebrare præſumat, nisì duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus, & ipſe tertius habeatur:quia quum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiſcum:& illud,Orate pro me:aptiſsimè cõuenit, vt & ipſius reſpondeatur ſalutationi.

Burch.l.3. c.74. Iuo part. 2.c.127. Grat. de conſecr. diſt.1.c. Hoc.

PRESBYTERI NON CONREGIONALES, OFFERRE NON POSSINT, NISI AD HOC INVITATI, ABSENTIBVS CIVITATIS PRESBYTERIS.

Burch. li. 5.c.45. Iuo part. 2,c.54.

PRESBYTERI (inquit idem Decr.c.33.citato à DD.Burchardo & Iuone) qui conregionales non ſunt, in Eccleſijs præſentibus Epiſcopis vel presbyteris ciuitatis, offerre non poterunt, nec panem dare, in oratione autem calicem dabunt. Quòd ſi abſentes ſunt ciuitatis ſacerdotes, & fuerint inuitati in orationem, ſoli poſsunt dare.

D. PHOTINI EPISCOPI LVGDVNENSIS, SANCTI DIACONI VIENNENSIS, ET ALIORVM APVD GALLIAS MARTYRVM SVPPLICIA, OB COENAS AB IIS CELEBRATAS, QVAS VELVT THYESTAEAS CALVMNIABANTVR SERVI.

Euſeb.l.5. hiſt. Eccl. c.1. Niceph.l. 4.c.16.

QVIDAM etiam Ethnici (vtq; deſcribit Eccleſia Gallicana, in Epiſtola ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ apud Euſebium & Nicephorum) noſtrorũ ſerui, vnà capiebantur, (ſiquidẽ Præſes oẽs nos paſsim perquiri præceperat) qui tormenta, quę ſanctos tolerare cernebant, reformidãtes, contra nos militibus, ſatanæ impulſu, illos ad hoc idẽ incitantibus, Thyeſtæas cœnas & inceſtus Oedipodis falsò

falsò cõmenti sunt:& alia quæ nobis nec eloqui,nec cogitare quidẽ fas esse iudicatur:Quin tale facinus aliquãdò inter homines admissum fuisse,nec credi quidem propemodùm debet.Quę sanè quum essent fama & sermone hominum pasśim disśipata, omnes velut immanes belluæ,contra nos furere cœperunt.

AC paulopòst: Vndè decæterò sancti martyres maiora quædã cruciamenta,quàm quæ posśint oratione explicari, (idq́; satana in illud pro viribus incumbente, vt aliquid talis blasphemiæ contra Christũ,ex eorum ore*educeret)sufferre cogebãtur. Supra modũ igitur lethale multitudinis vniuersæ, præsidis & satellitum odium in Diaconum nomine Sanctũ, Viennæ prognatum,& in Maturũ etiam recèns quidẽ baptizatum,sed generosum tamẽ Christi athletam efferbuit.In Attalum porrò genere Pergamenum,columnam & stabilimentum continuum Ecclesiarum,quæ hìc sunt:in Blandinam deniquè & B. Photinum, cui Lugdunensis Episcopatûs ministerium erat concreditum. *eliceret

DE eiusdem D. Photini sacrificio D.Euseb.Emissenus seu potiùs Lugdunensis: Præstitit (inquit) inter ista diuina prouidentia, vt in tantis patriæ sacrificijs etiam Pontifex nõ deesset.Rapitur ad impiam quæstionẽ grandæuus & plenus dierũ beatus pater noster Photinus, Ecclesiæ huius antistes,& pro eruditionis, vt credimus, merito gregi suo iungitur,ac post Dñici corporis sacrificium,prophanis tribulationib⁹ nouã de se hostiã Christo oblaturus insertur. Eusebius Emiss.hõ. de sancta Blandina.

SIMILIA videre est apud Gregorium Turonensem, de gloria beatorum martyrum.

D. ANTIMI EPISCOPI, ET CONCORDII PRESBYTERI SPOLETANI MARTYRVM SACRIFICIVM.

TEmpore oportuno(inqt Author vitæ eius)cõsecrauit Antim⁹ Episc.Cõcordiũ Presbyterũ,& cœperũt pariter orationib⁹ vacare. Vita D. Concord. mart.Tõ. 1.Surij.

vacare. Post aliquantum verò temporis, reuocatur à Comite Tusciæ Torquato Concordius, aitque illi Comes: Ecquid de salute tua deliberâsti? Sanctus vir respondit, Salus mea Christus est, cui quotidiè sacrifico sacrificium laudis.

Ado Treuirensis in Mart. Cal. Januar.

HIS ferè ad verbum concordat Ado Treuirensis in Martyrologio.

D. ALEXANDRI EPISCOPI ET MARTYRIS ITALI MISSARVM ACTIO.

Ado in Martyrol. ad 6. Cal. Decembr.

QVVM'QVE rumor (inquit Ado Treuirensis) beatum Alexandrum vbiquè spargeret, Antoninus direxit Antonianum præsidem, vt Alexandrum Episcopum ei exhiberet. Qui inuénit eum die Dominica in Ecclesia docentem, & Missas agentē: & sicut Imperator iusserat, appræhensum Romam perduxit. Secuti sunt autem eum Crescentianus Presbyter, Nouitianus, & Vitalis.

D. IRENAEI EPISCOPI LVGDVNENSIS, DE SACRIFICIO ECCLESIAE TESTIMONIA.

INPRIMIS videantur quæ suprà hac de re ex D. Irenæo citauimus. Deindè & hæc apud eundem reperire est:

MARCI HAERETICI SVPER CALICE VINO MIXTO, INVOCATIONIS VERBA, QVIBVS EVCHARISTIAM FACERE SE FINGEBAT.

PRO

PRO calice (inquit D. Irenæus aduersùs hæreses) vino mixto fingens se Marcus gratias agere, & in multum extendens sermonem inuocationis, purpureum & rubicundum apparére facit, vt putetur ea gratia ab ijs, quæ sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per inuocationem eius, & valdè concupiscere præsentes ex illo gustare poculo, vt & in eos stillet quæ per magum hunc vocatur gratia. Rursùs mulieribus dans calices mixtos, ipsas gratias agere iubet, præsente se: & vbì hoc factum est, ipse alium calicem multo maiorem, quàm est ille, in quo illa seducta Eucharistiam facit, proferens, & transfundens à minori, qui est à muliere Eucharistia factus, in illum qui est ab eo allatus, multo maiorem, statìm dicens ità: Illa, quæ est ante omnia, inexcogitabilis & inenarrabilis gratia, adimpleat tuum intùs hominem, multiplicet in te agnitionem suam, inseminans granum sinapis in bonam terram. Et alia quædam dicens, & in insaniam mittens illam infelicem, admirabilia faciens apparuit, quãdò maior calix adimpletus est de minori calice, vt & supereffunderet ex eo. Iren. l. 1. adu. hær. c. IX.

QVAE ipsa verba hoc modo citantur à D. Epiphanio: Pocula vino mixta, simulans se εὐχαριστεῖν, & diutiùs extendens sermonem inuocationis, purpurea ac rubicunda apparére facit, vt putetur gratia ab his quæ sunt super vniuersa, sanguinem suum instillare in illud poculum per inuocationem ipsius: & valdè cupiant præsentes ex illo poculo gustare, vt & in ipsos instillet gratia, quæ per magum hunc inuocatur. Rursùs autem mulierculis tradens pocula vino mixta, ipsas gratias agere iubet se præsente: & quum hoc fit, ipse aliud poculum multo maius illo, super quo decepta illa gratias egit, afferens, & à minore super quo muliercula gratias egit, in hoc quod ab ipso adornatum est, transfundens, simul ità dicit: Gratia quæ est ante vniuersa, illa cogitatione incompræhensibilis & inenarrabilis, impleat tuum internum hominem Epiph. l. 1. Tom. 3. cont. hær.

minem, & multiplicet in te agnitionem suam, conseminans in te granum sinapis in bonam terram. Et talia quædam loquutus, vbi miseram illam ad insaniam extimulauit, miraculorum editor appáret, dum magnum poculum expletur in minore, vt etiam ex ipso superfundatur.

IN ECCLESIA VERO ET EA SOLA, OFFERTVR OBLATIO QVAM CHRISTVS OFFERRE DOCVIT.

Iren. l.3. cont. hær. c.33. QVONIAM ergò (inquit) nomen filij proprium patris est, & in Deo omnipotente, per Iesum Christum offert Ecclesia, benè ait secundùm vtraq;, Et in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum.

Ibid. c.34. IGITVR Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in vniuerso mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei.

AC paulopòst: Sacrificia in populo Iudaico, (nam vocem similem suppleri debere, series verborum indicat) sacrificia in Ecclesia: sed species immutata est tantùm.

ET posteà: Hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius.

NEQVE Iudæorum igitur, neque Hæreticorum synagogæ puram Deo oblationem offerunt.

IVDAEI autem iam non offerunt: non enim receperunt verbũ, per quod offertur Deo. Sed neq; omnes hęreticorũ Synagogæ. Alij enim alterum præter fabricarorem dicentes patrem, ideò quæ secundùm nos creaturæ sunt, offerentes ei, cupidum alieni ostendunt eum, & aliena concupiscentem. Qui verò ex defectione & ignorãtia & passione dicunt facta ea quæ sunt secundùm nos, & ignorãtię & passionis & defectionis fructus offerentes, peccant in patrẽ suum, contumeliam facientes magìs ei, quàm gratias agentes.

EVCHA-

EVCHARISTIAE AVTEM CONSONA EST ECCLESIAE SENTENTIA, ET EVCHARISTIA ECCLESIAE SENTENTIAM CONFIRMAT.

NOSTRA autem consonans est sententia Eucharistiæ,& Eucharistia rursùs confirmat sententiam nostrã. Offerimus enim ei,quæ sunt eius, congruenter communicationem & vnitatẽ prædicantes carnis & spiritûs.Quemadmodùm enim qui est à terra panis,percipiens vocationem Dei,iam non communis panis est, sed Eucharistia,ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: Sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia,spem resurrectionis habentia. Offerimus autem ei non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, & sanctificantes creaturam.Quemadmodùm enim Deus non indiget eorum, quæ à nobis sunt,sic nos indigemus offerre aliquid Deo.

OFFERRE ITAQVE MVNVS AD ALTARE SINE INTERMISSIONE.

SIC & ideò nos quoquè offerre vult munus ad altare frequẽter sine intermissione.

ID'QVE IN OMNI SIMPLICITATE ET INNOCENTIA.

QVOD in omni simplicitate & innocentia Dominus volens nos offerre,predicauit, dicens: Quum igitur offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quoniã frater tuus habet aliquid aduersùm te,dimitte munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo,& tunc reuersus,offer munus tuum.

ALIOQVI OFFERENTI OBLATIO NON PRODERIT.

AB initio enim respexit Deus ad munera Abel, quoniam cum simplicitate & iustitia offerebat: Sacrificium autem Cain
Gen. 4. non respexit, quoniam cum zelo & malitia, quæ erat aduersùs fratrem, diuisionem habebat in corde, quemadmodùm occulta eius arguens Deus, ait: Nónne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccâsti? quiesce, quoniam non sacrificio placatur Deus. Si enim quis solummodò secundùm quod videtur, mundè & rectè & legitimè offerre tentauerit, secundùm suam animam non rectè diuidat eam, quæ est ad proximum, communionem, neque timorem habeat Dei, non per id quod rectè foris oblatum est, sacrificium ad se ducit Deum, intùs habens peccatum: nec oblatio talis proderit ei aliquid, sed cessatio mali, quod est intùs conceptũ, nè per assimulatam operationem, magìs autem peccatum ipsum, sibi homicidam faciat hominem.

PER COMMVNICATIONEM SANGVINIS ET CORPORIS CHRISTI, COMPROBATVR RESVRRECTIO MORTVORVM.

Idem l. 5. adu. hær. VANI autem (inquit alibì idem D. Irenæus) omnimodò, qui vniuersam dispositionem Dei contemnunt, & carnis salutem negant, & regenerationem eius spernunt, dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem, secundùm hæc videlicet, nec Dñs sanguine suo redemit nos: neq; calix Eucharistię, com-
1. Cor. 10. municatio sanguinis eius: neq; panis quem frangimus, cõmunicatio corporis eius est. Sanguis enim non est, nisì à venis & carnibus, & à reliqua quæ est secundùm hominem, substantia, qua verè factum verbum DEI, sanguine suo redemit nos. Quemadmo-
Coloss. 1. dùm & Apostolus eius ait: In quo habemus redemptionem per sanguinem

ſanguinem eius,& remiſsionem peccatorum. Et quoniam membra eius ſumus, & per creaturam nutrimur: creaturam autem ipſe nobis præſtat, ſolem ſuum oriri faciens,& pluens quemadmodùm vult:eum calicem qui eſt creatura,ſuum corpus cõfirmauit,ex quo noſtra auget corpora. Quandò ergò & mixtus calix,& fractus panis,percipit verbum Dei,fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia: Quomodò carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum eius, quemadmodùm & Apoſtolus ait in ea, quæ eſt ad Epheſios, Ephe. 5.
Epiſt.Quoniam membra ſumus corporis eius, de carne eius,& de oſsibus eius:non de ſpiritali aliquo & inuiſibili homine dicẽs hęc, Luc. 24.
(Spiritus enim neque oſſa, nec carnes habet)ſed de ea diſpoſitione quæ eſt ſecundùm hominem, quæ ex carnibus & neruis & oſsibus conſiſtit, quæ de calice, qui eſt ſanguis eius,nutritur: & de pane, qui eſt corpus eius,augetur. Et quemadmodùm lignum vitis depoſitum in terra, ſuo fructificat tempore: & granum tritici décidens in terram,& diſſolutum,multiplex ſurgit, per ſpiritum Dei, qui continet omnia:quæ deindè per ſapientiam in vſum hominibus veniunt,& ſanguis Chriſti: ſic & noſtra corpora ex ea nutrita, & repoſita in terram, & reſoluta in ea, reſurgent in ſuo tempore, verbo Dei reſurrectionem eis donante, in gloriam Dei patris, qui huic mortali immortalitatem circundat, & corruptibili incorruptelam gratuitò donat.

IAM tum vſitatum illud,In ſecula ſeculorum. Idem lib. 1.cap. 1.

SED & nos ipſi (inquit alio loco, vt citatur etiam ab Epiphanio)dum ἐπὶ ἐυχαριστίας dicimus,In ęonas æonum, ſiue,in ſecula ſeculorum. Epiph.l.1. Tom. 2. hær. 31.

D. VICTORIS PAPAE XV. ROMANI, STATVTVM DE NON DISCREPANDO IN SACRAMENTIS DIVINIS.

Victor papa epist. 2.

OPORTET vos (inquit D. Victor Papa Epistola ad Episcopos Africæ) vnanimes esse, & adminiculum vicissìm ferre: in recta ergò fide, & in sacramentis diuinis non discrepare, sed concordes esse: quia licèt pauci sitis malorum comparatione, si tamen concordes fueritis, facilè, auxiliante Domino, vestros insidiatores superabitis. Si verò discordes (quod absit) fueritis, non superabitis, sed superabimini. Perlatum est enim ad sedem Apostolicam, aliquos vestrûm, nocere fratres velle, & vt cadant, decertare. Similiter in sacramentis discrepare, & ob id contentiones & æmulatiões inter vos fieri: à quibus dissensionibus vos auertere, & in his omnibus concordare, & opem ferre vicissìm, mandamus. Nam si hoc agere citò neglexeritis, & vicissìm reconciliari non studueritis, ab Apostolicæ sedis & totius Ecclesiæ communione vos pelli non dubitetis.

CONCILIORVM, ROMANI, GALLIARVM, ET ALIORVM DECRETVM ECCLESIASTICVM, DE TREMENDO PASCHATIS MYSTERIO DIE DOMINICA CELEBRANDO.

IDCIRCO (inquit Eusebius) Concilia & conuentus Episcopo- Euseb. hi.
rum in vnum cogebantur,& omnes vna sententia decretum Ec- eccl. lib. 5.
clesiasticum, nempe vt non alio die aliquandò, quàm Dominico, cap. 22.
mysterium Domini resurrectionis à mortuis, celebraretur:& vt in hoc solo, ieiuniorum, quæ circiter Pascha fieri solent, finem faceremus:per literas ad omnes Ecclesias scriptas,ratum faciebant. Decretum autem Episcoporum,qui tum erant in Palæstina conuocati,ad hanc vsque ætatem scriptis custoditum est. In quorum Synodo Theophilus Cæsareensis Ecclesiæ Episcopus,& Narcissus Episcopus Hierosolymorum,præsides fuerũt. Aliud etiam est Episcoporum,qui Romæ similiter conueniebant, de eadem controuersia statutum:quod quidem Victorem id temporis Episcopum fuisse declarat. Aliud item Episcoporum Ponti,quibus Palmas,vtpotè antiquißimus & maximè venerandus,præsidebat. Aliud Ecclesiarum Galliæ, quas Irenæus regebat Episcopus. Aliud porrò Ecclesiarum,quæ Ostrœnam,& reliquas in eo loco ciuitates incolebant. Aliud separatìm Bacchilli Ecclesiæ Corinthiorum Episcopi,& alia deniquè aliorum propè infinitorum, qui vno consensu, iudicioq; vno eandem de illius festi obseruatione tulêre sententiam. Atq; istorum omnium vna hęc,quam docuimus,consentiẽs erat decisio.

QVOD ipsum habet in hæc verba Nicephorus: Conuentus Niceph. l.
Episcoporum varijs in locis sunt acti. Vbì quum in eandem con- 4. cap. 36.
cessissent sententiam, posteà omnibus vbiquè Ecclesijs decretum siue edictum scriptum promulgârunt & proposuerunt: vt decæterò non alio, quàm Dominico, die tremendum resurrectionis & Paschatis mysterium, ieiunio tum soluendo, celebraretur.

TER-

TERTII A CHRISTO INCARNATO SECVLI SACRIFICII RITVS.

D. ZEPHYRINI ROMANI PAPAE XVI. CONSTITVTA CIRCA MISSARVM CELEBRATIONEM.

PATENIS VITREIS MINISTRI VTANTVR.

Dam. lib. Pōti. c. 16.

HIC (inquit D. Damaſus) fecit conſtitutum de Eccleſia, vt patenas vitreas miniſtri ante ſacerdotes portarent, dum Epiſcopus Miſſam celebrat.

Vualaf. de reb. Eccl. cap. 24.

QVOD ipſum repetit Vualafridus Strabus: Zephyrinus (inquit) Pōtifex 16. patenis vitreis Miſſas celebrari (ſic enim lego, pro celebrare) conſtituit.

Rad. Tūg. loco ſæpè citato.

AC Radulphus Tungrenſis verbis penè iiſdem.

Mart. Pol. ad annū Dn̄i 213.

MARTINVS deniq; Polonus: Fecit ſtatutum in Eccleſia, vt omnia vaſa altaris eſſent vitrea, vel ſtannea.

DVM MISSAE CELEBRANTVR, ADSTENT SACERDOTES.

Damaſus vbì ſuprà.

CONSTITVIT etiam (inquit idem Damaſus) vt ſacerdotes omnes adſtarent, dum ſic Miſſæ celebrantur.

Mar. ſcot. hiſt. lib. 2.

AC Marianus Scotus: Hic conſtituit, vt adſtantibus ſacerdotibus Miſſæ celebrarentur.

QVIN-

QVINTI SEPTIMII TERTVLLIANI PRESBYTERI ATQVE AFRICANAE ECCLESIAE SACRI CONVENTVS, ET SACRIFICIA.

FALSA ETHNICORVM CALVMNIA DE MYSTERIIS CHRISTIANORVM, QVOS OB EA INFANTICIDAS ESSE, ET COETVS INCESTOS COGERE CRIMINABANTVR.

DICIMVR (inquit Tertullianus) ſceleratiſsimi,de ſacramẽto infanticidij, & pabulo crudo,& poſt conuiuium inceſto, quòd euerſores luminum,canes, lenones ſcilicet tenebrarum libidinum impiarum,inuerecundiam(ſic enim cod.MS.) procurent. Dicimur tamen ſemper, nec vos quod tam diù dicimur, eruère curatis. Ergò aut eruite, ſi creditis : aut nolite credere, qui non * eruitis. de veſtra vobis diſsimulatione præſcribitur,nõ eſſe,quod nec ipſi audetis eruère. Longè aliud munus carnifici in Chriſtianos imperatis,non vt dicant quæ faciunt,ſed vt negent quod ſunt. Cenſus iſtius diſciplinę,vt iam edidimus,à Tiberio eſt, quod odio ſuî cœpit,ſimul veritas atquè apparuit inimica eſſe. Tot hoſtes eius,quot extranei, & quidem propriè ex æmulatione Iudæi,ex cõcuſsione milites, ex natura ipſi etiam domeſtici noſtri. Quotidiè obſidemur,quotidiè prodimur,in ipſis plurimùm cœtibus & cõgregationibus noſtris opprimimur. Quis vnquàm taliter vagienti infanti ſuperuenit? quis cruenta,vt inuenerat, Cyclopum & Sirenarum ora iudici (nam ſic cod. MS.)reſeruauit? Quis vel in vxoribus aliqua immunda veſtigia depræhendit ? Quis talia facinora

Tertull. apol.adu. gent.

* eruiſtis

*trahens cùm inuenisset, celauit? aut vendidit, ipsos * vendens homines? Si semper latemus, quandò proditum est quod admittimus? Immò à quibus prodi potuit? ab ipsis em̃ reis non vtiquè, cùm vel ex ipsa forma omnibus mysterijs silentij fides debeatur. Samothracia & *Eleusinia * Eleusina reticentur: quanto magìs talia, quæ prodita interim, etiam (ità quoquè MS. cod.) humanam animaduersionem prouocabunt, dum diuina seruantur? Si ergò non ipsi proditores suî, sequitur vt extranei: & vndè extraneis notitia? Cùm semper etiam impiæ initiationes arceant profanos, & arbitros caueant, nisì si impij minùs metuunt.

Idē l. 2. ad vxorem. ET paulopòst: Benè autem, q̄ omnia tempus reuelat, testibus etiã vestris prouerbijs atq; sentẽtijs, ex dispositione naturę, quæ ità ordinauit, vt nihil diù lateat, etiam quod fama nõ distulit. Meritò igitur fama tam diù sola cõscia est scelerum Christianorũ. Hanc indicem aduersùs nos profertis, quæ, quod aliquandò iactauit, tantoq; spatio in opinionem corroborauit, vsq; adhuc probare non valuit.

NOCTVRNI ET ANTELVCANI CHRISTIANORVM CONVENTVS.

Idē l. 2. ad vxorem. QVIS (inquit alibì) nocturnis conuocationibus, si ità oportuerit, à latere suo eximi libenter feret? Quis deniquè solennibus Paschę abnoctantem securus sustinebit? Quis ad cõuiuium Dn̄icum illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet?

EODEM pertinet, quod de Antelucanis cœtibus sub Traiano adduximus.

STATIONES ET PROCEDENDI MOS DE DIE, ET PRAESERTIM DIE DOMINICO.

Idem paulo antè. VT (inquit) si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas: si ieiunia obseruanda sunt, maritus eadem die cõuiuium exerceat: si procedendum erit, nunquàm magìs familiæ occu-

cupatio adueniat. Quis enim ſinat coniugem ſuam, viſitandorum fratrum gratia, vicatìm aliena, & quidem pauperiora quæq;, tuguria circuire?

IAM & ſtationes (inquit alio loco) aut alij magìs faciet, quàm Christo: aut & Dominico die, quandò nec Christo. Idem l. de cor. mil.

STATIONES ET ADGENICVLATIONES AD ARAM DEI.

NONNE (inquit) ſolennior erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris? Idem lib. de Orat.

ITEM: Aris Dei adgeniculari. Idem lib. de pœnit.

EODEM pertinet illud: Si ſpiritus reus apud ſe ſit, & conſcientia erubeſcit, quomodò audebit orationem dicere ad altare? Idem exhort. caſt.

STATIONES ANTE FINEM NON SOLVENDAE.

SIMILITER (inquit) de ſtationum diebus: Si ſtatio de militari exemplo nomé accepit, (nam & militia Dei ſumus) vtiq; nulla lætitia ſiue triſtitia obueniens caſtris, ſtationes militum reſcindit. Nam lætitia libentiùs, triſtitia ſolicitiùs adminiſtrabit diſciplinã. Idem lib. de Orat.

IN IIS AD ORATIONEM NON PERMITTENDA SESSIO.

ITEM quòd adſignata oratione aſsidendi mos eſt quibuſdam, non perſpicio rationem, niſi ſi Hermas ille, cuius ſcriptura ferè Paſtor inſcribitur, tranſacta oratione non ſuper lectum aſſediſſet, verùm aliud quid feciſſet, id quoquè ad obſeruationem vindicaremus. Vtiquè non. Simpliciter enim & nunc poſitum: Quum adoràſſem & aſſediſſem ſuper lectum ad ordinem narrationis, non ad inſtar diſciplinæ. Alioquin nuſquàm erit adorandum, niſì vbì fuerit lectus. Immò contra ſcripturam fecerit, ſi quis in Cathedra aut ſubſellio ſederit. Porrò quum perindè faciant nationes, adoratis ſigillaribus ſuis reſidendo, vel propterea in no- Ibidẽ paulo antè.

bis repræhendi meretur, quòd apud idola celebratur. Eò apponitur & irreuerentiæ crimen, etiam ipsis nationibus, si quid saperent, intelligendum. Siquidem irreuerens est aßidere sub conspectu, contraque conspectum eius, quem quum maximè reuerearis ac venereris, quanto magis sub conspectu Dei viui angelo adhuc orationis adstante, factum istud irreligiosißimum est, nisì exprobramus Deo, quòd nos oratio fatigauerit?

IPSIVS CHRISTIANORVM CONGREGATIONIS RITVS.

Ibidèm. COIMVS in cœtum & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta, precationibus ambiamus, orantes. Hæc vis Deo grata est.

IPSORVM IN ORATIONE ET SACRIFICIO CAEREMONIAE.

Ibid. paulo antè. ILLVC in cælum suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: deniquè sine monitore, quia de pectore oramus. Nos verò non attollimus tantùm, sed etiam expandimus, & Dominica paßione modulátes, & orantes confitemur Christo.

Ibid. li. de Orat.

Ibid. paulò pòst. ATQVI cum modestia & humilitate adorantes, magìs commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimiùs elatis, sed temperatè ac probè elatis.

Luc. 18. NE vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus, qui non tantùm prece, sed & vultu humiliatus atq; deiectus orabat, iustificatior Pharisæo procacißimo discesit.

*: at SONOS etiam vocis subiectos esse oportet *, aut quantis arterijs opùs est, si pro sono audiamur? Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector. Dæmonium oraculi Pythij: Et multùm (inquit) intelligo, & non loquētem exaudio. Dei aures

sonum

ſonum expectant? Quomodò ergò oratio Ionæ de ventre ceti per tantæ beſtiæ viſcera, ab ipſis abyſsis, per tantam æquoris molem ad cælum potuit euadere? Quid ampliùs referent iſti, qui clariùs adorant, niſi quòd proximis obſtrepunt? Immò prodendo petitiones ſuas, quid minùs faciunt, quàm ſi in publico orent?

EODEM pertinet, quod de Marcione alibì dicit: Ad alienum cælum alij deo expanditur, in aliena terra alij deo ſternitur, ſuper alienum panem alij deo gratiarum actionibus fungitur. Idem l. 1. adu. Mar.

ORATIONES ALIAE, ORATIONI DOMINICAE SVPERSTRVCTAE.

COMPENDIIS paucorum verborum, quot attinguntur edicta prophetarum, euangeliorum, Apoſtolorum, ſermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta? quot ſimul expunguntur officia Dei? honor in patre, fides, teſtimonium in nomine, oblatio obſequij in voluntate, commemoratio ſpei in regno, petitio vitæ in pane, exomologeſis debitorum in deprecatione, ſolicitudo tentationum, in poſtulatione tutelæ. Quid mirum? Deus ſolus docere potuit, vt ſe vellet orari. Ab ipſo igitur ordinata religio orationis, & de ſpiritu ipſius iam tunc quum ex ore diuino ferretur, animata ſuo priuilegio aſſcendit in cælum, commendans patri quæ filius docuit. Quoniam tamen Dominus proſpector humanarum neceſsitatum, ſeorsùm poſt traditam orãdi diſciplinam, Petite, inquit, & accipietis: & ſunt quæ petuntur, pro circunſtantia cuiuſque, præmiſſa legitima & ordinaria oratione, quaſi fundamento, accidentium ius eſt deſideriorum, ius eſt ſuperſtruendi extrinſecùs petitiones, cum memoria tamen præceptorum, nè quantùm à præceptis, tantum ab auribus Dei longè ſimus. Memoria præceptorum, viam orationibus ſternit ad cælum. Ibid. pauloantè.

ORATIO PRO IMPERATORIBVS.

Idem in Apolog.

NOS (inquit idem alibì) pro ſalute Imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum, Deum viuum, quem & ipſi imperatores propitium ſibi præter cæteros malunt.

PRECANTES ſemper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunq; hominis & Cæſaris vota ſunt.

Ibid. poſteà.

ET rursùm: Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum & poteſtatibus, pro ſtatu (ità MS. cod.) ſeculi, pro rerum quiete, pro mora finis.

DIVINARVM LITERARVM COMMEMORATIO, CANTVS, CHRISTI INVOCATIO, DIVINA BENEDICTIO.

Ibid.

COIMVS (inquit ibidèm) ad diuinarum literarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere. Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fidutiam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominùs inculcationibus denſamus.

Ibid. l. 2. ad vxorē.

ET alibì: Quid maritus ſuus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat ſanè, audiat aliquid de Dei cœna, de taberna, de gehenna. Quæ Dei mentio? Quæ Chriſti inuocatio? Vbì fomenta fidei de ſcripturarum interlectione? Vbì ſpiritûs refrigerium? Vbì diuina benedictio?

Ibid.

ET poſteà: Sacrificia ſine ſcrupulo, non muta benedictio: ſonant inter duos Pſalmi & hymni, & mutuò prouocant, quis meliùs Deo ſuo canet.

Idem l. 3. cōt. Marc.

ET iterùm alibì: Sacrificium (inquit) mundum, Gloriæ ſcilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni, & munditiæ ſacrificiorum.

VSI-

VSITATA ETIAM APVD APHROS, εἰς αἰῶνας: ET, AMEN.

QVALE est enim, (inquit alio loco) de Ecclesia Dei, ad (sic enim cod. MS.) diaboli ecclesiã tendere? de cælo, quod aiunt, in cœnũ? illas manus, quas ad Dñm extuleris, postmodùm laudando histrionẽ fatigare: ex ore quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere: εἰς αἰῶνας, alij omninò dicere, nisì Deo & Christo? Idem de spect.

ADORATIO.

NOS (inquit) Dominum adoramus. Idem lib. de Orat.

ET paulopòst: Alioquin nusquàm erat adorandum &c. vt infrà citatur latiùs.

ET rursùm, vt suprà citauimus: Quid ampliùs referent isti, qui clariùs adorant?

ALIBI quoquè: Vt qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Idẽ Apol.

ET denuò: Dominico die ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Idem de cor. mil.

SACRIFICII OBLATIO.

VOBIS autem (inquit) nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificiũ offertur, aut Dei verbum administratur. Quoduis horum, grauitatis aut sanctitatis negocium, & cui opùs non sit habitu extraordinario, & composito, & soluto. Idem de cul. fæm.

OSCVLVM PACIS.

ALIA (inquit) consuetudo inualuit: ieiunantes, habita oratione cũ fratribus, subtrahunt osculũ pacis, quod est signaculum Idem lib. de Orat.

lum orationis. Quandò autem magìs conferenda cum fratribus pax eſt, nisì cùm oratione commendabilior aſſcendit, vt ipſi de noſtra operatione participent, quam auderent de ſua pace fratri tranſigere? Quæ oratio, cum diuortio ſancti oſculi, integra? quem Domino officium facientem impedit pax? Quale ſacrificium eſt, à quo ſine pace receditur? Quæcunque ratio ſit, non erit potior præcepti obſeruatione, quo iubemur ieiunia noſtra celare. Iam enim de abſtinentia oſculi agnoſcimur ieiunantes. Sed & ſi qua ratio eſt, nè tamen huic præceptor tu ſis, potes domì fortè, inter quos latére ieiunium in totum non datur, differre pacem. Vbicunquè autem alibì operationem tuam abſcondere potes, debes meminiſſe præcepti: ità & diſciplinæ forìs, & conſuetudini domì ſatisfacies. Sic & die Paſchæ, quo communis & quaſi publica ieiunij religio eſt, meritò deponimus oſculum, nihil curantes de oſculando, quod cum omnibus faciamus.

SACRIFICIORVM ORATIONES ET PARTICIPATIO.

Ibidèm. NON putant (inquit) plerique ſacrificiorum orationibus interueniendum, quòd ſtatio ſoluenda ſit, accepto corpore Domini. Ergò deuotum Deo obſequium euchariſtia reſoluit, an magìs Deo obligat?

Ibid. l. de cor. milit. ET alibì: Euchariſtiæ ſacramentum & in tempore victûs, & omnibus * mundatum à Domioo, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præſidentium, ſumimus.

* mādatū

Idem l. 2. ad vxorē. EODEM pertinet & illud: De cibo, de poculo inuadere, deſiderare, & mente habere.

Ibidèm. AC illud: De cuius manu deſiderabit? de cuius poculo participabit?

Idem de reſurr. car. DENIQVE etiam illud: Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur.

COR-

CORPORIS DOMINI POST SACRIFICIVM RESERVATIO, ET ANTE OMNEM CIBVM GVSTATIO.

ACCEPTO (inquit) corpore Domini & reſeruato, vtrunque ſaluum eſt: & participatio ſacrificij, & executio officij. Idem lib. de orat.

ET alio loco: Quum etiam per noctem oratum exurgis, non magiæ aliquid videberis operari? Non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciuerit, panem non illum credit eſſe qui dicitur. Idem l. 2. ad vxorẽ.

QVò etiam pertinere videtur illud de presbyteris & diaconis: Et illi planè dabant viros & vxores, ſicut & buccellas. Idem l. de mongam.

EXHORTATIONES, CASTIGATIONES, ET CENSVRA EXCOMMVNICATIONIS DIVINAE.

IBIDEM etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu: ſummumque futuri iudicij præiudicium eſt, ſiquis ità deliquerit, vt à cõmunicatione orationis & conuẽtus & omnis ſancti commercij relegetur. Præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum non precio, ſed teſtimonio adepti. neque enim precio vlla res Dei conſtat. Idem in Apolog.

COLLECTAE PRO EGENIS, NAVFRAGIS, ET AD METALLA CONDEMNATIS, AVT CAPTIVIS.

ETIAM ſi quod arcę genus eſt, non de oneraria ſumma, quaſi * redẽptę religionis congregat, modicam vnuſquiſque ſtipẽ menſtrua die, vel quũ velit, & ſi modò velit, (ſicut additur in MS. cod.) & ſi modò poſsit, apponit: nam nemo cõpellitur, ſed ſpontè Ibidèm. * redeptæ

 confert.

confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. nam indè non epulis, nec potaculis, nec ingratis volatrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis humandisque & pueris ac puellis, re ac parentibus deſtitutis, * ætateq; domitis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & qui in inſulis, vel in cuſtodijs, duntaxàt ex cauſa Dei ſectæ, alumni confeſsionis ſuî fiunt.

* iamq; domeſticis

Ἀγάπη POST SACRIFICIVM.

Ibidèm.

COENA (inquit) noſtra, de nomine rationem ſuî (ſic MS. cod.) oſtendit. vocatur enim ἀγάπη id, quod dilectio penès * Græcos eſt. Quantiſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum. ſiquidem inopes quoſque (ità legit MS. cod.) refrigerio iſto iuuamus, non qua penès vos paraſiti affectāt, ad gloriam famulandæ libertatis, ſub authoramēto ventris inter contumelias ſaginandi, ſed qua penès Deum maior eſt contēplatio mediocrium. Si honeſta cauſa eſt conuiuij, reliquum ordinē diſciplinæ de cauſſa (ſic rursùs habet MS. cod.) æſtimate, quod (ſic denuò MS. c.) ſit de religionis officio. nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittitur. non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. editur, quantum eſurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis eſt vtile: ità ſaturantur, vt qui meminerint, etiam per noctē adorandū Deum ſibi eſſe: ità fabulantur, vt qui ſciant Dn̄m audire. Poſt aquam manualem & lumina, vt quiſq; de ſcriptoribus ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in mediū DEO canere: hinc probatur, quomodò biberit. Aequè oratio conuiuium dirimit, indè diſceditur non in cateruas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciuiarum, ſed in eandem curā modeſtiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm diſciplinam.

* Latinos

Idem l. ad Martyres.

EODEM pertinet illud: Immò & quæ iuſta ſunt, caro nō amittit per curam Eccleſiæ & Agapen fratrum.

ITEM

ITEM illud, vbì eleemoſynam Agapé interpretatur: De alienis bonis ob alium Deum nomine eleemoſynæ & dilectionis operatur. Idem l. 1. adu. Mar.

AD hanc quoquè alludere videtur dum dicit: Quàm delictis omnibus expiati ſacerdotes templi ſpiritalis, id eſt, Eccleſiæ, quaſi viſceratione quadam fruerentur. Idem l. adu. Iudę.

OMNI DIE VVLGATA, CONSECRATIO.

NOBIS (inquit alibi) omnis dies, etiam vulgata, conſecratione celebratur. Idem de ieiun.

OBLATIONES PRO DEFVNCTIS.

OBLATIONES (inquit idem Tertullianus) pro defunctis annua die facimus. Ibid. l. de cor. milit.

ET alibì de vidua: Pro anima eius (mariti nẽpe defuncti) oret, & refrigerium interìm adpoſtulet ei, in prima reſurrectione conſortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Idem l. de Monog.

AC rursùm ad virum vxore viduatũ: Etiam repete apud Deum, pro cuius ſpiritu poſtules, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergò ad Deum cum tot vxoribus, quot illas oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per ſacerdotem de monogamia ob priſtinum de virginitate ſancitum, circundatum virginibus ac vniuiris: & aſſcendet ſacrificium tuum libera fronte. Idem exhort. ad caſt.

OBLATIONES IN NATALITIIS MARTYRVM.

OBLATIONES (inquit) pro natalitijs annua die facimus. Idem l. de cor. milit.

OBLATIO IN CONCILIATIONE MATRIMONII.

Idem l. 2. ad vxorẽ. VNDE (inquit) ſufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum angeli renunciant, & pater * rato habet?

*ratum

SACRIFICIVM PRO SALVTE IMPERATORVM.

Idem ad Scapulã. ITAQVE & ſacrificamus (inquit) pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius: ſed, quomodò præcepit Deus, prece pura. Ità nos magìs oramus pro ſalute Imperatoris, ab eo eam poſtulantes, qui præſtare poteſt.

CALICES, QVIBVS TVM VTEBANTVR, DEPICTI, ET QVANTVM APPARET, VITREI.

Idem l. de pudic. PRAECEDANT (inquit) ipſæ picturæ calicum veſtrorum. Et aliquantò poſteà: Cui ille (inquit) ſi fortè patrocinabitur paſtor, (alludens ad librum Paſtoris) quem in calice depingis &c. At ego paſtoris eius ſcripturam haurio, * qui non poteſt frangi.

*quæ

SACRAMENTVM BENEDICTIONIS, EVCHARISTIA.

Ibid. paulopòſt. VT extra Eccleſiam detur &c. vt ſacramento benedictionis exauthoraretur, nunquàm in caſtra Eccleſiæ reuerſura.

HORAE IN ORATIONIBVS DIVINIS SOLENNIORES, TERTIA, SEXTA, ET NONA.

Ibid. l. de ieiun. PORRO quum in eodem commentario Lucæ, & tertia hora orationis demonſtretur, ſub qua ſpiritu ſancto initiati, pro ebrijs habebantur: & ſexta, qua Petrus aſſcendit in ſuperiora: & nona, qua templum ſunt introgreſſi, cur non intelligamus, ſalua planè indiffe-

indifferentia, semper & vbiquè & omni tempore orandum? tamen tres istas horas, vt insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negocia distinguunt, quę publicè resonant, ità & solenniores fuisse in orationibus diuinis: * quod etiam suadet Danielis quoquè argumentum, tèr die orantis, vtiquè per * aliarum horarũ exceptionem, non aliarum autem, quàm insigniorum exindè apostolicarum, tertiæ, sextæ, nonæ. *quoniã *aliquarũ

ROMANAE ECCLESIAE CVM AFRICANIS DE EVCHARISTIA CONTESSERATIO.

VIDEAMVS, (inquit) Romana Ecclesia quid didicerit, quid docuerit, quid (sic MS. cod.) cum Africanis Ecclesijs contesserârit. Vnum Deum nouit &c. fidem aqua signat, spiritu sancto vestit, Eucharistia pascit. Idẽ de p̃scr. hær.

ET alibì: Vide (inquit, Romanũ Pontificem alloquens) quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum: hoc tu psallere non facilè nôsti, nisì quo tempore cum compluribus cœnas. Conuentus autem illi, stationibus priùs & ieiunationibus operati, dolere cum dolentibus, & ità demùm congaudere cum gaudentibus nôrunt. Si & ista solennia, quibus tunc præsens patrocinatus est sermo, nos quoq; in diuersis prouincijs fungimur, in spiritu inuicèm repræsentati, lex est sacramenti. Idem de ieiun.

EPISCOPI, PRESBYTERI, DIACONI, LECTORIS, LAICI APVD HAERETICOS NVLLA DISTINCTIO.

NVSQVAM (inquit) faciliùs proficitur, quàm in castris rebellium, vbì ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodiè Episcopus, cràs alius: Hodiè Diaconus, qui cràs lector: Hodiè presbyter, qui cràs Laicus. Nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt. Idẽ l. de p̃scrip. adu. hæretic.

ETHNICORVM ET CATECHVMENORVM NVLLA APVD EOS IN SACRIFICIO EXCLVSIO.

Ibid. paulo priùs.

INPRIMIS (ait) quis catechumenus, quis fidelis, incertũ est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnicis, (ità MS. cod.) si superuenerint, sanctum canibus, & porcis margaritas, licèt non veras, iactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationẽ disciplinæ, cuius penès nos curam, lenocinium vocant.

MARCVS HAERETICVS OBLATIONE CALICIS IN MAGIAM ABVSVS.

Idem li. 1. cõt. Marc. carmine.

MARCVS (inquit idem alibì) per numeros argumentatus acutè,
Tradidit in magicæ formam violare pudicam,
Offerri calicem, precibusq; in sanguine verbi.

OPHITAE HAERETICI SERPENTEM FALSIS SVIS EVCHARISTICIS ADHIBENT.

Idẽ l. de p̃scr. hær. sub finẽ.

ACCESSERVNT etiam hęretici (inquit) illi, ꝗ Ophitæ nũcupãtur. Nam serpẽtem magnificãt intãtùm, vt illũ etiã ipsi Christo p̃ferãt. Ipsum introducũt ad benedicẽda * Eucharistia sua.

*Euchari-stica

D. CALIXTI PAPAE ROMANI XVII. STATVTVM CIRCA SACRIFICII OBLATIONEM.

SACERDOTIBVS POST POENITENTIAM DENVÒ SACRIFICIVM OFFERRE LICEAT.

Calixt. Papa epi. 2. Decret.

PORRÒ (inquit Calixtus papa, ad Episcopos Galliarum scribens) sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam,

tiam,& tamen in honore permansit. Beatus quoquè Petrus amarissimas lachrymas fudit,quandò Dominum negâsse pœnituit, sed tamen Apostolus permansit.Et Dominus per Prophetam peccantibus pollicetur, dicens: Peccator in quacunque die conuersus ingemuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor ampliùs. Errant enim,qui putant Domini sacerdotes post lapsum,si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse,& suis honoribus frui,si bonam deincèps vitam duxerint, & suum sacerdotium condignè custodièrint. Et ipsi qui hoc putant,non solùm errant,sed etiam contra traditas Ecclesiæ claues, disputare & agere videntur,de quibus dictum est:Quæcunque solueritis in terra,erũt soluta & in cælo. Alioquìn hæc sententia,aut Domini non est,aut vera est. Nos verò indubitanter,tam Domini sacerdotes,quàm reliquos fideles, post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus, testante Domino per Prophetam: Nunquìd qui cadit, non adijciet vt resurgat? & qui auersus est, non reuertetur? & alibì:Nolo(inquit Dominus)mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et Propheta Dauid pœnitentiam agens,dixit: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Ipse nanque post pœnitentiam & alios docuit, & sacrificium Deo obtulit, dans exemplum doctoribus sanctæ Ecclesiæ, si lapsi fuerint, & condignam pœnitentiam Deo gesserint, vtrunq; facere posse.

Ezech. 18. Matt. 18. Hier. 8. Psal. 40. Ezech. 33. Psal. 50.

EXCOMMVNICATIS NEMO IN ORATIONE COMMVNICET

EXCOMMVNICATOS quoquè à sacerdotibus, nullus recipiat ante vtriusque partis iustam examinationem, nec cum eis in oratione,aut cibo,aut potu,aut osculo communicet, nec Aue eis dicat:quia quicunq; in his vel alijs prohibitis, scienter excommunicatis communicauerit, iuxta Apostolorum institutionem & ipse simili excommunicationi subiacebit. Ibid. paulo priùs.

D. VR-

D. VRBANI ROMANI XVIII. DECRETA CIRCA SACRA CAELESTIA.

PRAEDIA VSIBVS SACRORVM CAELESTIVM DEDICATA, NON IRRVANTVR.

Vrban. papa Epist. Decret.

ATTENDENDVM est omnibus (inquit D. Vrbanus papa) & fideliter custodiendum, & illius vsurpationis contumelia depellenda, nè prædia vsibus * secretorum cælestium dedicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis vratur.

* sacrorũ

MINISTERIA SACRATA, ARGENTEA FACTA.

Dam. Põtif. ca. 18.

HIC fecit (inquit Damasus) ministeria sacrata omnia argẽtea, & patenas argenteas 25. apposuit.

Cõci. Tribur. ca. 18.

AC Concil. Triburiense: Vrbanus papa omnia ministeria sacra fecit argentea.

Vualafr. de reb. E. Eccl. c. 24.

ET Vualafridus Strabus: Vrbanus 18. papa, omnia ministeria sacrata, fecit argentea & patenas 25.

Radulph. Tungr. loco sæpè citato.

RADVLPHVS quoq; Tungrensis: Sanctus verò Vrbanus papa primus argenteis constituit celebrari.

AB EODEM VRBANO PAPA CONSECRATA ECCLESIA AD PERAGENDA SANCTA DEI MYSTERIA.

Simeon Metaphr. in vit. D. Cæcil.

CAECILIAE autem domum (inquit D. Simeon Metaphrastes) sanctißimus Vrbanus papa consecrauit nomine sanctæ Ec-

Ecclesiæ : & illic perpetuò peraguntur sancta Domini mysteria vsque in hodiernum diem. In memoriam quidem martyris, gloriam autem & laudem magni Dei & saluatoris nostri IESV CHRISTI.

D. PONTIANI XIX. PAPAE ROMANI DECRETVM, DE IIS QVI CORPVS DOMINI CONFICIVNT, ET POPVLIS TRADVNT.

DE sacerdotibus autem Domini, (inquit D. Pontianus papa) quos vos audiuimus contra prauorum hominum insidias adiuuare, eorumq; causas portare, scitote vos in eo valdè Deo placere, qui sibi eos ad seruiendum adsciuit, & familiares intantùm sibi esse voluit, vt etiam aliorum hostias per eos acceptaret, atq; eorum peccata donaret, sibique reconciliaret. Ipsi quoquè proprio ore corpus Domini conficiunt, & populis tradunt. De illis dictum est: Qui vos contristabit, & qui vobis facit iniuriam, recipiet id quod iniquè gessit. Et alibi: Qui vos audit, me audit: & q vos spernit, me spernit: q autem me spernit, spernit eum qui me misit. Hi enim non sunt infestandi, sed honorandi. In eis quoquè Dominus honoratur, cuius legatione funguntur.

D. Pōtia. papa ep. 1.

Zach. 2. Luc. 10.

D. HIPOLYTI PORTVENSIS EPISCOPI LITVRGIAE RITVS.

LVGEBVNT (inquit) sub Antichristo Ecclesiæ luctum magnum, quia nec oblatio, nec suffitus fiat, nec cultus Deo gra-

Hippol. Port. orat. de Antichrist.

tus:Sed Ecclesiarum ædes sacræ, tugurij instar erunt, preciosumq; corpus & sanguis Christi non extabit in diebus illis: liturgia extinguetur, psalmorum decantatio cessabit, scripturarum recitatio non audietur: Sed erunt apud homines tenebræ, lamẽtatio super lamẽtationem, væ super væ.

AD SEPVLCRVM IPSIVS APPOSITA ARA, SACRAMENTI DONATRIX.

Prud. Peristeph. hymn. 11.

TALIBVS (inquit D. Prudentius) Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter vbi apposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui martyris apposita,
*Vindicis Seruat ad æterni spem * Iudicis ossa sepulcro,
Pascit item sanctis Tibricolas dapibus.

D. ANTERI PAPAE XX. ROMANI, DECRETVM SIMILE.

Anter. papa epist. Decret.

ABSIT (inquit Anterus Papa ad Episcopos Hispanos) vt quicquam sinistrum de his loquar, qui Apostolico gradui succedẽtes, Christi corpus sacro ore conficiũt, per quos nos etiam Christiani sumus, q; claues regni cęlorum habẽtes, ante iudicij diem iudicãt. Veteri quidem lege habetur, quicunq; sacerdotibus nõ obtemperâsset, aut extra castra positus, lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiecta, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens, spiritali animaduersione truncatur: & eiectus ab Ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur.

Deut. 17.

D. FABIANI, ROMANI XXI. PAPAE, INSTITVTA DE SACRO RITV ET DIVINO OFFICIO PERAGENDO.

ROMANAM ECCLESIAM IN SACRO RITV SEQVANTVR CAETERI.

Consequens est, (inquit D. Fabianus Papa) debere vos scire, quæ apud Romanam in sacro aguntur ritu Ecclesiam, vt eius sequentes exempla, eius veri filij inueniamini, quę vestra est mater vocata. Fabian. papa ep. 1.

PER SINGVLAS CIVITATES SEPTEM DIACONI, CVM SVBDIACONIBVS ET ACOLYTIS AC SEQVACIVM ORDINVM MINISTRIS, DIVINVM PERAGANT OFFICIVM.

Septem ergò Diaconos in vrbe Roma per septem regiones ciuitatis, sicut à patribus accepimus, habemus: qui per singulas hebdomadas & Dominicos dies, atque festiuitatum solennia cum subdiaconibus & Acolytis, ac sequacium ordinum ministris, iniuncta sibi obseruant ministeria, & parati omni hora sunt ad diuinum officium, & quicquid eis iniungitur, peragendum. Similiter & vobis, prout opportunum fuerit, per singulas ciuitates est faciendum, vt diuinum absque vlla mora & negligentia studiosè ac solenniter agatur officium. Ibidèm.

CVM EXCOMMVNICATIS NEMO PSALLAT AVT ORET.

Sic Apostoli statuerunt, dicentes: Cum excommunicatis (citat can. 11.) non est cõmunicandum. Et si quis cum excommunicatis, auertendo regulas, scienter psallat in domo, aut simul locutus fuerit, aut orauerit, ille communione priuetur. Ibidèm.

QVAE CIRCA DIVINA MYSTERIA VNIVERSA VNIFORMITER AGIT ECCLESIA, NON OCIOSE CONTEMPLANDA.

Idē epi. 2. ILLA autem (inquit idem ad Episcopos Oriētales) quę circa diuina mysteria, & erga baptizandos, in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non ocioso contemplanda sunt intuitu, nè locum superuacuis intentionibus & superstitionibus faciamus.

SACERDOTES SACRIFICENT, LEVITAE MINISTRENT.

Ibidèm. SACERDOTES quoq; Dominus sibi elegit, vt sacrificent ei, & offerant oblationes Domino. Leuítas quoq; sub eis esse iussit in ministerijs eorum.

TER IN ANNO QVISQVE FIDELIVM COMMVNICET.

Burchard. Decr. l. 5. c. 17. Iuo par. 2. c. 27. Grat. de consecr. dist. 1. c. Etsi non. VT si non frequentiùs, (citatur idè Decr. c. 4. à DD. Burchardo, Iuone & Gratiano) saltem in anno tèr homines cōmunicent: nisì fortè quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur, in Pascha videlicet & Pentecoste, & Natali Domini.

OMNIBVS DOMINICIS DIEBVS AD ALTARE FIAT OBLATIO PANIS ET VINI.

Burchard. ibid c. 24. Iuo ibidèm c. 34. DECERNIMVS (vt citatur eiusdem Dec. c. 5. à DD. Burchardo & Iuone) vt in omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnib9 viris & mulieribus fiat, tam panis quàm vini, vt per has immolationes à peccatorum suorum fascibus liberentur.

PACEM QVOQVE CVM OBLATIONE IN ECCLESIA FACERE POPVLVS ADMONEATVR.

Burchard. ibid. c. 25. Iuo ca. 35. OBLATIONEM quoquè (ait idem iuxta quod ab ijsdem citatur c. 10.) & pacē in Ecclesia facere iugiter admoneatur populus Christianus: quia ipsa oblatio sibi & suis magnum remedium est animarum, & in ipsa pace vera vnanimitas & concordia demonstratur.

PRE-

PRESBYTER ILLITERATVS MISSAM NON CELEBRET.

SACRIFICIVM (inquit Decr. c.10.ab iisdem citato) nõ est accipiendum de manu sacerdotis, qui orationes vel actiones, & reliquas obseruationes in Missa secundùm ritum implere non potest.

Burch.lib. 5.c.36. Iuo part. 2.l.10.

PHILIPPI PRIMI CHRISTIANI IMPERATORIS, QVVM VELLET COMMVNICARE MYSTERIIS, POENITENTIA PVBLICA.

DE hoc traditum (inquit Eusebius) nobis est, quòd Christianus fuerit, & in die Paschæ, id est, in ipsis vigilijs, quum interesse voluisset & communicare mysterijs, ab Episcopo loci nõ priùs esse permissum, nisi confiteretur peccata sua, & inter pœnitentes staret: nec vllo modo copiam sibi mysteriorum futuram, nisi priùs per pœnitentiam culpas, quæ de eo ferebantur plurimæ, diluisset. Ferunt igitur, libenter eum quod à sacerdote imperatum fuerat, suscepisse, diuinum sibi inesse metum, & fidem religionis plenissimam rebus atque operibus comprobando.

Euseb. historia Eccl. l.6.c. 25. seu 27.

QVOD ipsum de vtroque Philippo tradit Paulus Diaconus: Isti primi (inquit) omnium Imperatorum Christiani Romæ facti sunt, & in die Paschæ, id est, in ipsis vigilijs, quum interesse voluissent, & communicare mysterijs, à Fabiano Episcopo Romano non priùs est permissum, nisi confiteretur peccata sua, & inter pœnitentes staret: nec vllo modo copiam sibi mysteriorum futurã,

Paul. Diacon. hist. l.10.

nisì prius per pœnitétiam culpas, quæ de eo ferebãtur plurimæ, diluisset. Fertur igitur, libenter eum quod à sacerdote sibi imperatũ fuerat, suscepisse, diuinum sibi inesse metum, & fidem religionis plenißimam, rebus atque operibus comprobans.

Ioan. Zonar. Annal. Tõ. 1. IOANNES verò Zonara de Philippo Patre: Authores (inquit) quidam sunt, eum Christianam fidem amplexũ, in Ecclesia communia cum Christianis vota fecisse, & peccata sua non grauatìm confessum esse. Nam quum à præposito Ecclesiæ ad communionẽ non admitteretur, nisì confiteri vellet, & nomen suum inter pœnitentes profiteri, haud recusâsse.

Niceph. l. 5. c. 25. ET similiter Nicephorus: Hunc primum aiunt ex Imperatoribus ad Christi fidem accesßisse, eumq́; vltimo Paschatis peruigilio, de reliquijs orationum in Ecclesia participare voluisse. non priùs tamen in conuentum fidelium accedere, intercesßione & impedimento eius, qui tum Ecclesiæ præfuit, Episcopi permissum esse, quàm confiteretur, & pœnitentium numero, qui ordine & loco suo segregati, disciplina certa explorabantur, aggregaretur: quod non aliter licere ille diceret, nisì hoc fecisset, propter multas eius noxas, cum ecclesiæ multitudine, conuentûs eius festi participem fieri. Eum verò, rebus ipsis timorem diuini luminis, religionemq́ue debitam ritè atque syncerè declarantem, obsequutum illi esse ferunt.

CONCILII CARTHAGINIENSIS SVB ANTECESSORE D. CYPRIANI, STATVTVM DE SACRIFICIO RRO DORMITIONE.

QVOD

QVOD Episcopi Antecessores nostri (inquit D. Cyprianus) religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerũt, nè quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Cyprian. Epist. 66. ad Furnitan.

D. GRATIANI PRIMI TVRONENSIVM EPISCOPI, MYSTERIORVM IN CRYPTIS CELEBRATIO.

PRIMVS (inq̃t D. Gregorius Turonensis) Gratianus episcopus anno imperij Decij primo Turonicis à Romano Papa transmissus, per cryptas & latibula cum paucis Christianis per eundem conuersis, mysterium solennitatis diei Dominicæ celebrabat. Greg. Turon. hist. Franc. l. 10. c. 31.

D. CORNELII PAPAE ROMANI XXII. ET ALIORVM EA AETATE SACRIFICII RITVS, ET QVAE EODEM PERTINENT.

D. CORNELIVS PER OMNIA ECCLESIASTICA OFFICIA ET DIVINAS ADMINISTRATIONES AD EPISCOPATVM PROMOTVS.

Cyprian. Epist. 52.

NON iste (inquit D. Cyprian Epistola ad Antonianum) ad Episcopatum subitò præuénit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominũ sæpè promeritus, ad sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus asscendit.

NOVATIANVS ECONTRARIO OBLATIONE ET DISTRIBVTIONE SACRAMENTI ABVSVS.

Euseb. Eccles. hist. l. 6. c. 35. Niceph. l. 6. c. 3.

QVVM fecisset (inquit D. Cornelius Epistola ad Fabium Episcopum Antiochenum apud Eusebium & Nicephorũ) oblationes ποιήσας τὰς προσφορὰς, & singulis partẽ sacramenti distribuisset porrexissetq́;, miseros homines & infelices pro benedictione & gratiarum actione iusiurandum dare coëgit.

ATQVE suis vtrisque manibus manus accipientis præhendens, non priùs dimisit, quàm hoc iureiurando eum obstrinxisset, (illius enim verbis vtar) Iura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, te nunquàm nec me deserturum, nec ad Cornelium reuersurum.

AMEN DICEBAT COMMVNICANS

ATQVE miser homo non antè degustauit, quàm ità illi se deuouisset. Et qui illum acceperat, pro Amen, quod dicere debuerat, hoc dixit: Non deincèps ad Cornelium reuertar.

QVI NOVITIANVM ORDINAVERAT EPISCOPVS, AD COMMVNIONEM LAICAM DVNTAXAT ADMISSVS.

EX quibus

EX quibus Epiſtolis (inquit eadẽ Epiſt. D. Cornel. apud eoſdẽ) vnus non longè pòſt, peccatum flebiliter lamentatus, & idem apertè confeſſus, ad Eccleſiam reuénit, quem, populo vniuerſo pro eo rogante, tandèm vt laicum in communionem recepimus. Euſeb. & Niceph. locis citatis.

IN ECCLESIA ROMANA QVAMPLVRIMI TVM PRESBYTERI, DIACONI, SVBDIACONI, ACOLYTI, LECTORES, EXORCISTAE, OSTIARII.

ISTVM igitur (inquit apud eoſdem ibidèm D. Corn.) lepidũ Euangelij patronum Nouatianum (ità enim haud dubiè legendum, pro eo quod eſt, Nouatum) omninò præterijt, ſcilicet vnum ſolum Epiſcopum oportere eſſe in hac Eccleſia catholica, in qua tamen non ignorabat (quomodò enim poterat?) presbyteros eſſe quadragintaſex, Diaconos ſeptem, ſubdiaconos ſeptem, acolytos quadragintaduos, Exorciſtas & Lectores vnà cum Oſtiarijs quinquagintaduos. Euſeb. & Nic. ibid.

IPSIVS D. CORNELII SACRIFICIVM.

TVNC miſerunt ſe (inquit Ado Treuirenſis) milites omnes ad pedes eius, orantes ſe baptizari. Quos vt baptizauit, obtulit pro eis ſacrificium laudis: & participati ſunt omnes corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ado in Martyrol. ad 16. Cal.

QVOD ijſdem verbis repetit Marianus Scotus hiſt. ſuæ lib. 2. Huc pertinet ex eiuſdem Cornelij Epiſtola ad Lupicinum Vienenſem archiepiſcopum locus, quemadmodùm is apud Georgium Fabricium inuenitur, de Miſsis in Cryptis ab eo celebratis.

SCIAS (inquit) frater chariſsime, arcam Domini vento perſecutionis acerrimè commoueri, & edictis Imperatorum Chriſtianos vbiquè tormentis varijs affici. Nam in vrbe Roma Imperator Georg. Fabric. com. in Chriſt. poëtas.

ad hoc constitutus est. Vnde neque publicè, neque in cryptis notioribus, MISSAS agere Christianis licet. Exhortetur itaq; charitas vestra omnes credentes in Christum, nè timeant eos, qui occidunt corpus, sed potiùs eum qui habet corpus & animam perdēdi potestatem. Iam plures fratrum martyrio coronati sunt. ora vt perficiamus cursum nostrum nobis à Domino reuelatū. Vale frater in Domino, & saluta omnes qui nos amant in Christo.

D. CORNELII IN CONCILIO ROMANO CENSVRA, VT EPISCOPI LAPSI, A SACRIFICII OBLATIONE REPELLANTVR.

Cyprian. Epist. 68. QVVM manifestum sit, (inquit D. Cyprianus epistola ad Episcopos Hispanos) eiusmodi homines, nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere: maximè quum iampridèm nobiscum & cum omnibus omninò Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius Collega noster, sacerdos pacificus ac iustus, & martyrio quoquè dignatione Domini honoratus, decreuerit eiusmodi homines ad pœnitentiam quidem agēdam posse admitti: ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi.

Idē Epist. 64. AD quam etiam alludit D. Cyprianus Epistola ad Epictetum: Vndè (inquit) & ipsam venisse perspicimus, & credimus de Dei exploratione censuram, nè apud altare consistere, & contrectare vlteriùs perseuerarent pudorem incesti, fidem perfidi, religionem prophani, diuina terreni, sancta sacrilegi.

Idē Epist. 52. EANDEM censuram ab ipso D. Cornelio adimpletam testatur his verbis D. Cyprianus Epistola ad Antonianum: Tractatu ergò

illic cum collegis plurimis habito, ſuſceptus eſt Trophimus, pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus, & reſtituta multorum ſalus: ſic tamen admiſſus eſt Trophimus, vt laicus communicet, non ſecundùm quod ad te malignorum literæ pertulerũt, quaſi locum ſacerdotij vſurpet.

D. CYPRIANI CARTHAGINIENSIS EPISCOPI, SACRIFICIORVM RITVS.

CYPRIANI INDESINENS IN PERSECVTIONE ET PACE SACRIFICIORVM OBLATIO.

ET nos quidem (inquit ad Moyſen & Maximum epiſtola 1.) veſtri diebus ac noctibus memores, & quãdò in ſacrificijs precem cum pluribus facimus, & cùm in ſeceſſu priuatis precibus oramus, coronis ac laudibus veſtris plenam à Domino fauentiam poſtulamus. Cyprian. Epiſt. 16.

EPISTOLA quoquè ad Florentium Pupianum: Si Deo & Chriſto eius, quibus ſeruio, & quibus puro atque immaculato ore ſacrificia & in perſecutione pariter & in pace indeſinenter offero, pleniſſimè ſatisfeceris, communicationis tuæ poterimus habere rationem. Idẽ Epiſt. 69.

Ac ad Iubaianum: Aut quia Nouatianus altare collocare, & ſacrificia offerre contra fas nititur: ab altari & ſacrificijs ceſſare nos oportet, nè paria & ſimilia cum illo celebrare videamur. Idẽ Epiſt. 73.

CONVENTVS FIDELIVM AD SACRIFICIVM.

Idem lib. de Orat. Dominic.

QVANDO (inquit lib. de Orat. Domin.) in vnũ cum fratribus conuenímus, & ſacrificia diuina cum Dei ſacerdote celebramus, verecundiæ & diſciplinæ memores eſſe debemus: Non paſsìm ventilare preces noſtras inconditis vocibus: nec petitionem commendandam modeſtè Deo, tumultuoſa loquacitate iactare.

ET IS IN DOMINICVM SIVE ECCLESIAM.

Idem l. de oper. & eleem.

CAETERVM (inquit l. de oper. & eleemoſ.) quæ talis es, nec operari in Eccleſia potes: Egentem enim & pauperem non vident oculi tui ſuperfuſi nigroris tenebris, & nocte contecti.

Ac paulopòſt: Quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis.

PRAESERTIM IN OBLATIONIBVS MATVTINIS, NON ITEM VESPERTINIS.

Idẽ Epiſt. 63.

CAETERVM (inquit Epiſtola ad Cęcilium) omnis religionis & veritatis diſciplina ſubuertitur, nisì id quod ſpiritaliter præcipitur, fideliter reſeruetur: nisì ſi in ſacrificijs matutinis hoc quis vererur, nè per ſaporem vini redoleat ſanguinem Chriſti. Sic ergò incipit & à paſsione Chriſti in perſecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus diſcit de ſanguine eius & cruore confundi. Porrò autem Dominus in Euangelio dicit: Qui confuſus me fuerit, confundetur eum filius hominis. Et Apoſtolus quoquè loquitur, dicens: Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Quomodò autem poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere, qui ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere? An illa ſibi aliquis contemplatione blanditur, quòd etſi manè aqua ſola offerri videtur, tamen cùm ad cœnandũ venímus, mixtũ calicem offerimus. Sed cùm cœnamus, ad conuiuiũ noſtrum plebẽ conuocare nõ poſſumꝰ, vt ſacramẽti veritatẽ, fraternitate omni præſente, celebremꝰ.

Marc. 8.

Gal. 1.

MANE

MANE ENIM OB RESVRRECTIONEM DOMINI CELEBRABATVR DOMINICVM, ETSI CHRISTVS POST COENAM HOC FECERIT.

AT enim non manè,(addit ibidèm)ſed poſt cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Nunquid ergò Dominicum poſt cœnam celebrare debemus, vt ſic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Chriſtum offerre oportebat circa veſperam diei, vt hora ipſa ſacrificij oſtenderet occaſum & veſperam mundi, ſicut in Exodo ſcriptum eſt: Et occídent illum omne vulgus Synagogæ filiorum Iſrael ad veſperam. Et iterùm in Pſalmis: Adleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Nos autem reſurrectionem Domini manè celebramus. Ibidèm. Exod. 12. Pſal. 140.

STARE CVR MOS FVERIT AD ORATIONEM.

QVANDO autem ſtamus (inquit de orat. Dominica) ad Orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & ſecularis abſcedat, nec quicquam tunc animus, quàm id ſolum cogitet quod precatur. Idē lib. de Orat. Do.

FIEBAT AVTEM AD ALTARE SACRIFICIVM.

HVC inprimìs pertinent quæ ſuprà allegauimus ex Cypriano de typo Dominici ſacrificij apud Salomonem, vbi etiam Altaris fit mentio, ex epiſtola ad Cæcil. & lib. Teſtim. 2. ad Quirinum. Illud quoquè quod modò ex Epiſtola ad Iubaianum citauimus. Epiſt. 63. lib. Teſt. 3. cap. 2.

ITEM illud Epiſtolę 2. ad Cornelium: In tanto fratrum religioſoq; conuentu, conſidentibus Dei ſacerdotibus, & altari poſito. Idem epiſtola 42.

Idem epiſtola 40. ILLVD etiam de Presbyteris hæreticis: Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium nouum fieri, præter vnum altare & vnum ſacerdotium, non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit.

Idem lib. de Vnit. Eccleſ. ET quod de Nouatiano hęretico alibi adſerit: Arma ille contra Eccleſiam portat, cõtra Dei diſpoſitionem repugnat: hoſtis altaris, aduersùs ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſeruus, filius impius, frater inimicus, cõtemptis Epiſcopis & Dei ſacerdotibus derelictis, conſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicę hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia profanare.

Idẽ epi. 55. HOC deniq; Epiſtolę ad Cornelium 7. Quid ſupereſt, quàm vt Eccleſia Capitolio cedat, & recedentibus ſacerdotibus, ac Domini altare remouentibus, in Cleri noſtri ſacrum venerandumq; conſeſſum, ſimulacra atque idola cum aris ſuis tranſeant?

SVB SPECIE PANIS ET VINI CVR INSTITVTVM HOC MYSTERIVM.

Idẽ ep. 76. DENIQVE (inquit Epiſtola ad Magnum) vnanimitatem Chriſtianam firma ſibi atq; inſeparabili charitate connexã, etiam ipſa Dominica ſacrificia declarant. Nam quandò Dominus corpus ſuum panem vocat de multorum granorum adunatione congeſtum, populum noſtrum quem portabat, indicat adunatum: & quandò ſanguinem ſuum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expreſſum, atquę in vnum coactum: gregem item noſtrum ſignificat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum.

NON ALITER OFFERENDVM, QVAM VINO AQVA MIXTO.

Idẽ ep. 63. ADMONITOS (inquit Epiſtola citata ad Cęciliũ de ſacramento Dominici calicis) nos ſcias, vt in calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis

Dñs

Dominus prior fecerit: Vt calix qui in commemorationem eius Ioan. 15.
offertur, mixtus vino offeratur. Nam quum dicat Christus: Ego sum vitis vera: sanguis Christi non aqua est vtiq;, sed vinum. Nec potest videri sanguis eius, quo redempti & viuificati sumus, esse in calice: quandò vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui scripturarum omnium sacramento ac testimonio prædicetur. Inuenímus enim & in Genesi circa sacramentum Noe hoc Gene. 9.
idem præcurrisse, & figuram Dominicæ pasionis illic extitisse, quod vinum bibit, quòd inebriatus est: quòd in domo sua nudatus est: quòd fuit recubans nudis & patẽtibus femoribus: quòd nuditas illa patris à medio filio denotata est, & foràs nunciata: à duobus verò, maiore & minore, contecta: & cetera quę necesse non est exequi: cùm satis sit hoc solum complecti, quòd Noë typum futuræ veritatis ostendens, non aquam, sed vinum biberit, & sic imaginem Dominicæ pasionis expresserit.

AC pagina sequenti: In benedictione quoquè Iudæ hoc idem significatur, vbi & illic Christi figura exprimitur, quòd à fratribus suis laudari & adorari haberet, quòd inimicorum dorsa, cedẽtium atque fugientium manibus, quibus crucem pertulit & mortem vicit, compressurus fuisset: quodque ipse sit leo de tribu Iuda, & recubet dormiens in Pasione, & surgat, & sit ipse spes gentium, quibus scriptura diuina adiungit, & dicit: Lauabit in vino stolam Gene. 49.
suam, & in sanguine vuæ amictum suum. Quandò autem sanguis vuæ dicitur, quid aliud quàm vinum calicis Dominici, sanguis ostenditur? Necnon & apud Isaiam hoc idem Spiritus sanctus de Isaiæ 63.
Domini pasione testatur, dicens: Quarè rubicunda sunt vestimenta tua, & indumenta tua velut à calcatione torcularis pleni & percalcati? Nunquìd rubicunda vestimenta aqua potest facere? Aut in torculari aqua est, quæ pedibus calcatur, vel prælo exprimitur? Vini vtiquè mentio est, & ideò ponitur, vt DOMINI sanguis vino intelligatur: & quod in calice Domi-

Dominico posteà manifestatum est, prophetis annũciantibus prædiceretur. Torcularis quoq; calcatio & pressura taxatur, quia quo modo ad potandum vinum veniri non potest, nisì botrus calcetur antè, & prematur: sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisì Christus calcatus priùs fuisset & pressus, & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret.

ET posteà: Vndè appáret sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici: nec sacrificium Dominicũ legitima sanctificatione celebrari, nisì oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni.

PAVLO POST item: Quum ergò neque ipse Apostolus, neque angelus de cælo annunciare posit aliter aut docere, præterquàm quod semèl Christ⁹ docuit, & Apostoli eius annunciauerũt: miror satìs, vndè hoc vsurpatum sit, vt contra Euangelicam atque Apostolicam disciplinã, quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico calice, quæ sola Christi sanguinem non posit exprimere.
Psal. 22. Cuius rei sacramentum nec in Psalmis tacet Spiritus sanctus, faciẽs mẽtionem Dominici calicis, & dicens: Calix tuus inebrians quàm peroptimus. Calix autem qui inebriat, vtiquè vino mixtus est. Neque enim aqua inebriare quẽquam potest. Sic autem calix Domi-
Gene. 9. nicus inebriat, vt & Noë in Genesi vinum bibens, inebriatus est. Sed quia ebrietas Dominici calicis & sanguinis non est talis, qualis ebrietas vini secularis, cùm diceret Spiritus sanctus in Psalmo, Calix tuus inebrians: addidit, quàm peroptimus, quòd scilicet calix Dominicus sic bibentes inebriet, vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritalem sapientiam redigat, vt à sapore isto seculari, ad intellectum Dei vnusquisque resipiscat: & quemadmodùm vino isto communi mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur, ità è poto sanguine Domini & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuersationis pristinę secularis, & mœstum pectus ac triste, quod priùs peccatis angentibus premeba-

batur, diuinæ indulgentiæ lætitia resoluatur. quod tunc demùm potest lætificare in Ecclesia Domini bibentem, si quod bibitur, Dominicam teneat veritaté. Quàm verò peruersum est, quamq; Ioan. 2. contrarium, vt quum Dominus in nuptijs de aqua vinum fecerit, nos de vino aquam faciamus: cùm sacramentum quoquè rei illius admonere, & instruere nos debeat, vt in sacrificijs Dominicis vinum potiùs offeramus?

AC iterùm: Quod scilicet perspicimus & in sacramento calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat: videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Quandò autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in qué credidit, copulatur & coniungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini, sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa nó poßit abinuicèm separari. Vndè Ecclesiam, id est, plebem in Ecclesia constitutam, fideliter & firmiter in eo quod credidit, perseuerantem, nulla res separare poterit à Christo, quo minùs hæreat semper & maneat indiuidua dilectio. Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest: nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quandò autem vtrunque miscetur, & adunatione confusa sibi inuicèm copulatur, tunc sacramentum spiritale & cæleste perficitur. Sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisì vtrunque sibi misceatur: quo modo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisì vtrunque adunatum fuerit & copulatum, & panis vnius compage solidatum, Quo & ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus, vt quemadmodùm grana multa in vnum collecta, & commolita, & commixta, panem vnum faciunt: Sic in Christo qui est panis cælestis, vnum sciamus esse corpus, cui coniunctus sit noster

Bb nume-

numerus & adunatus. Non est ergò, frater charissime, quòd aliquis existimet sequendam esse quorundam consuetudinem, si qui in præteritum in calice Dominico aquam solam offerendam putauerint: quærendum est enim, ipsi quem sint secuti. Nam si in sacrificio quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est: vtiquè id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit.

Svb finem deniquè eius Epistolę: Et viderit, frater charissime, si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc obseruauit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit: potest simplicitati eius de indulgentia Domini venia concedi, nobis verò nō poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus, vt calicem Dominicum vino mixtum, secundùm quod Dominus obtulit, offeramus.

ACCESSVS SACERDOTIS AD ALTARE.

Idē Epist. 64.

AVDET sibi adhuc (inquit Epistola ad Epictetum) sacerdotium quod prodidit, vindicare: quasi post aras diaboli, accedere ad altare Dei fas sit.

CONFESSIO PECCATORVM HIERARCHAE, ET LEVATIO MANVVM IN REPRAESENTATIONEM MYSTERII CRVCIS.

Idē lib. de card. oper. Christi.

SED hierarcha pius (inquit de cœna Domini) quē Spiritus sanctus compūgit, excitat, inhabitat, & sanctificat, eleuatione manuum crucis mysterium repræsentans, confidenter orat pro sua & populi ignorantia: recolens pudibundi & contriti animi confessione, quòd aliquandò præualente aduersùm se peccato fuerit derelictus, iuxta illud quod Dauid plorans ait: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Et Dominus per Esaiam: Ad tem-

Psal. 29. Esai. 54.

tempus in modico derelinquam te. Verecundatur fateri, & tamen Psal. 34.
fatetur iuuentutis delicta. Sed accusatrici consciétiæ necessè est coram iudice respōdere: nec potest ibì esse vllum diffugium, vbì ipsa testis est quę accusat, & nihil ei potest esse occultum qui iudicat. Sed vbì cum iudice agit qui iudicatur, & ipse in partem accusatoris transiens, etiam in sua præscriptione sententiam approbat condemnantis, experitur clementiam saluatoris.

LECTIO SCRIPTVRARVM PER LECTORES SVPER PVLPITVM.

FECISSE me (inquit) sciatis Lectorem Saturum, & hypodiaconum Optatum confessorem: quos iam pridèm communi consilio clero proximos feceramus: quādò *aut Saturo die Paschę semèl atq; iterùm lectionem dedimus, &c. Idē Epist. 24.

ET de Aurelio confessore: Merebatur talis clericæ ordinationis vlteriores gradus & incrementa maiora, non de annis suis, sed de meritis æstimandus: sed interìm placuit vt ab officio lectionis incipiat. Idē ep. 33.

AC de Celerino confessore: Hunc ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem, testimonio & miraculo eius ipsius, qui se persecutus fuerat, illustrem: quid aliud quàm super populum, id est, super tribunal Ecclesiæ oportebat imponi, vt loci altioris celsitate subnixus, & plebi vniuersæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat pręcepta & Euāgelium Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur? vox Dominū cōfessa, in his quotidiè, quæ Dominus locutus est, audiatur? Viderit an sit vlterior gradus, ad quem profici in Ecclesia possit. Nihil est in quo magìs cōfessor fratribus prosit, quàm vt dum Euangelica lectio de ore eius auditur, lectoris fidem, quisquis audierit, imitetur. Idē ep. 34.

ORATIONES PRO QVAVIS NECESSITATE.

Idē lib. ad Demetr. PRo arcendis (inquit lib. ad Demetrianum) hoſtibus & imbribus impetrandis, & vel auferendis vel temperandis aduerſis, rogam⁹ ſemper & preces fundimus: & pro pace ac ſalute veſtra propitiantes ac placantes Deum, diebus ac noctibus iugiter atque inſtanter oramus.

OBLATIONES POPVLI AD SACRIFICIVM.

Idem lib. de oper. & eleem. LOCVPLES & diues es, (matronam auaram alloquitur) & Dominicum celebrare te credis, quæ corbanam omninò non reſpicis: quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis: quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis. Intuere in Euangelio viduam præceptorum cæleſtium memorem, inter ipſas preſſuras & anguſtias egeſtatis operantem, in gazophylacium duo, quæ ſola ſibi fuerant, minuta mittentem. Quam cùm animaduerteret Marc. 12. Dominus & videret, non de patrimonio, ſed de animo opus eius examinans, & conſiderans, non quantum, ſed ex quanto dediſſet, reſpondit & dixit: Amen dico vobis, quoniam vidua iſta plus Luc. 21. omnibus miſit in dona Dei. Omnes enim iſti de eo quod abundauit illis, miſerunt in dona Dei: Hæc autem de inopia ſua omnem quemcunque habuit victum miſit. Multũm beata mulier & glorioſa, quæ etiam ante diem iudicij meruit iudicis voce laudari. Pudeat diuites ſterilitatis atque infidelitatis ſuæ: vidua, & inops vidua, in opere larga inuenitur. Quumq́; vniuerſa quę dantur, pupillis & viduis conferantur, dat illa quam oportebat accipere, vt ſciamus quę pœna ſterilem diuitem maneat, quandò hoc documento operari etiam pauperes debeāt. Atq; vt intelligamus hæc opera Deo dari, & eum quiſquis hęc faciat, Dñm promereri, Chriſtus illud Dei dona appellat, & in dona Dei viduam duos quadrātes miſiſſe ſignificat, vt magìs ac magìs poſſit eſſe manifeſtum, quia qui miſeretur pauperis, Deum fœnerat.

EODEM pertinet & illud Epiſtolæ ad Epictetum: Stipes & oblationes & lucra deſiderant, quibus priùs inſatiabiles incubabant. Idẽ Epiſt. 64.

NOMINVM EORVM QVI OBTVLERANT, RECITATIO.

AD communionem (inquit Epiſtola ad Clerum I. de Lapſis) admittuntur,& offertur nomen eorum. Idẽ Epiſt. 10.

EPISTOLA quoquè ad Epiſcopos Numidas de redemptione captiuorum: Vt autem fratres noſtros ac ſorores qui ad hoc opus tam neceſſarium promptè ac libenter operati ſunt, vt ſemper operentur,in mentem habeatis in orationibus veſtris,& eis vicem boni operis in ſacrificijs & precibus repræſentetis, ſubdidi nomina ſingulorum, ſed & collegarum quoquè & cõſacerdotum noſtrorum, qui & ipſi quum præſentes eſſent, & ſuo, & plebis ſuæ nomine,quædam pro viribus contulerunt,nomina addidi. Idẽ Epiſt. 60.

IN PRAEFATIONE ANTE ORATIONEM, SVRSVM CORDA: AC, HABEMVS AD DOMINVM.

IDEO & ſacerdos(inquit l. de Orat. Domin.)ante Orationẽ Præfatione præmiſſa parat fratrum mentes,dicendo:Sursùm corda: vt dum reſpondet plebs, Habemus ad Dominum: admoneatur, nihil aliud ſe,quàm Dominum,cogitare debere. Idem l. de ora. Dom.

GRATIARVM ACTIO SACERDOTIS, ET CAPITIS INCLINATIO.

AD hæc (inquit de cœna Domini) inter ſacra myſteria ad gratiarum actiones conuertitur,& inclinato capite,munditia cordis adepta,ſe intelligens cõſummatum,reſtitutus peccator, ſanctificatam Deo animã quaſi depoſitum cuſtoditũ fideliter reddit. Idem l. de card. oper. Chriſti.

SANCTIFICATIO LEGITIMA SEV CONSECRATIO.

Idē Epist. 63.

QVONIAM quidam (inquit sæpè dicta Epist. ad Cæcil.) vel ignoranter vel simpliciter in calice Dñico sanctificãdo, & plebi ministrãdo, nõ hoc faciunt, quod Iesus Christus, Dominus & Deus noster, sacrificij huius author & doctor fecit & docuit: religiosum pariter ac necessarium duxi, de hoc ad vos literas facere, vt si quis in isto errore adhuc teneatur, veritatis luce perspecta, ad radicem atque originem traditionis Dominicæ reuertatur.

ET paulopòst: Vndè appáret, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici: nec sacrificium Dominicum, legitima sanctificatione celebrari, nisì oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni.

Idem l. de card. oper. Christi. Luc. 22.

ITEM de cœna Domini: Sed ex quo à Domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus: quotiescunquè his verbis & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam salutemq́ue proficit, simul medicamentum & holocaustum, ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates, existens.

PANIS COMMVNIS IN CARNEM ET SANGVINEM DOMINI MVTATIO.

Ibid.

PANIS (inquit ibidèm paulopòst) iste communis, in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: ideoq́ue ex consueto rerum effectu, fidei nostrę adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta est, visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum.

Ac rursùm: Panis iste, quem DOMINVS discipulis porrigebat, nõ effigie, sed natura mutatus, omnipotẽtia verbi fact⁹ est caro.

ADORA-

ADORATIO CVM PVLSATIONE PECTORIS.

ADORANS autem, fratres dilectißimi, (inquit lib. de Orat. dominica) nec illud ignoret, quẽadmodùm in templo cum Pharisæo Publicanus orauerit: non alleuatis in cælum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suum pulsans, & peccata intùs inclusa contestans, diuinæ misericordiæ implorat auxilium. Idem l. de ora. Dom.

PASSIONIS CHRISTI MENTIO.

ET quia paßionis eius mentionem (inquit Epistola ad Cæcil.) in sacrificijs omnibus facimus, nihil aliud quàm quod iste fecit, facere debemus. scriptura enim dicit: Quotiescunquè enim ederitis panem istum, & calicem istum biberitis, mortem Domini annunciabitis, quoadusquè veniat. Quotiescunquè ergò calicem in commemorationẽ Domini & paßionis eius offerimus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus. Idẽ Epist. 63. 1. Cor. 11.

SACRIFICII VERA OBLATIO, IMMO IPSA PASSIO CHRISTI.

SACRIFICIVM (inquit ibidèm) verum & plenũ tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse. Ibid.

Ac paulopòst: Paßio est enim Domini sacrificium quod offerimus.

SACRIFICII COMMVNICATIO.

NEC solos (inqt de cœna Domini) sacerdotes ad panis huius esum dignitatis Leuiticæ p̃rogatiua admittit: vniuersa Ecclesia ad has epulas inuitatur, æqua omnibus portio datur: integer erogatur: distributus, nõ emembratur: incorporatur, nõ iniuriatur: reci- Idem l. de card. oper. Christi.

recipitur, non includitur: cum infirmis habitans, non infirmatur, nec pauperum ministerio indignatur: fides pura, mens syncera hunc habitatorem delectat, neque immensi & omnipotentis Dei magnitudinem, pauperculæ domûs nostræ angustia offendit vel arctat.

Et sub finem: Defæcatis animis carnis eius edulium non est horrori, sed honori, potuque sancti & sanctificantis sanguinis, spiritus delectatur. Hæc quotiès agimus, non dentes ad mordendum acuïmus, sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur: dum quod diuinum, & humanum est, distinguimus & separamus, itemq; simul separata iungentes, vnū Deum & hominē fatemur. Sed nosipsi corpus eius effecti, sacramēto & re sacramenti capiti nostro cōnectimur & vnímur, singuli alter alterius mēbra ministeriū dilectionis pro inuicèm exhibentes, communicamus charitate, participamus solicitudine, eundem cibum manducantes, & eundem potum bibentes, qui de petra spiritali profluit & emánat, qui cibus & potus est Dominus noster Iesus Christus.

PER EOS QVI INTERSVNT AVT ETIAM PARTICIPANT DONIS, COMMEMORANDA CHRISTI PASSIO.

Ibidèm. VIDE (inquit ibidèm paulopriùs) quomodò his qui Christi commemorāt paßionē intrà sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lachrymis nectareis anima delectetur: quantam suauitatem animæ, inquirenti vbì sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant.

Ac rursùm: Verùm hi, qui verbotenùs corde sicci, & mēte aridi sacris intersunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, sed indè nec mel sugunt, nec oleum: qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec spiritûs sancti pinguedine vegetantur, nec se iudi-

iudicant, nec ſacramenta dijudicant: ſed ſicut cibis communibus irreuerentes ſacris vtuntur muneribus,& Dominicę menſæ in veſte lutulenta ſe ingerunt impudenter.

SACRIFICIO A SACERDOTE CELEBRATO, PARTEM QVILIBET ACCIPIEBAT.

ET alius (inquit lib. de lapſis) qui & ipſe maculatus, ſacrificio à ſacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere: ſanctum Domini edere & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus inuénit. Documento vnius oſtenſum eſt, Dominum recedere, cùm negatur: nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, quandò gratia ſalutaris in cinerem, ſanctitate fugiente, mutetur. Idem l. de lapſis.

IN MANVS CORPVS DOMINI TRADEBATVR.

A Diaboli aris (inquit ibidèm ante aliquot paginas) reuertentes, ad ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt:& plùs modò in Dominum manibus atq; ore delinquunt, quàm quum Dominum negauerunt. Ibid.

AC rursùs: Iacens ſtantibus, & integris vulneratus minatur: & quòd non ſtatìm Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur.

EODEM pertinet illud Epiſtolæ ad Thibaritanos: Armemus & dexteram gladio ſpiritali, vt ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiæ memor, quæ DOMINI corpus accepit, ipſum complectatur, poſteà à Domino ſumptura præmium cæleſtium coronarum. Idē Epiſt. 56.

ILLVD quoquè libri de bono patientiæ: Nec poſt geſtatam Euchariſtiam manus gladio & cruore maculatur. Idem l. de bō. patiēt.

DOMVM QVOQVE SECVM ABSPORTARE EVCHARISTIAM LICEBAT.

Idem l. de spect.

QVI festinans (inquit libro de spectaculis) ad spectaculum dimissus, (vbì videtur alludere ad illud vsitatum, Ite Missa est) & adhuc secum gerens, vt assolet, Eucharistiam, inter corpora obscœna meretricum tulit, plùs damnationis meritus de spectaculi voluptate.

Idem l. de Laps.

HVC etiam pertinet illud libri de lapsis: Et quum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentâsset aperire: igne indè surgente deterrita est, nè auderet attingere.

SOLENNIBVS QVOQVE ADIMPLETIS, DIACONVS CALICEM ADMINISTRABAT.

Ibidèm.

IGNORATIONE (inquit ibidèm) obreptum est, vt sacrificantibus nobis, eam secum mater inferret. Sedenim puella mixta cum sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctabunda iactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indicijs conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbì verò solennibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipiẽtibus cæteris locus eius aduénit: faciem suam paruula, instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labijs obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt, de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atq; ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis visceribus erupit: tanta est potestas Domini, tanta maiestas. Secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt, sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc

circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa se crimen necdùm habuit ætatem.

At verò ea quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus constituta, sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena letalia inter fauces & pectus sanguinem admittens, angi & anima exæstuante concludi postmodùm cœpit. Et pressuram non iam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diù nō fuit nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen: quæ fefellerat hominem, Deum sensit vltorem.

PVERI QVOQVE ET PVELLAE COMMVNICABANT.

PERTINERE huc inprimìs illud, quod modò de puella adduximus, patet ex eo quod præmittitur: Sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere priùs potuit, nec arcere. Ibid.

De infantibus quoquè idipsum iam anteà testatur in hæc verba: Nónne illi, quum dies iudicij venerit, dicent: Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini, ad profana contagia spontè properauimus? Ibid.

LAPSI, ANTE EXOMOLOGESIN ET ACTAM POENITENTIAM A COMMVNICATIONE ABSTENTI, ET PRESBYTERI PRO ILLIS OFFERRE PROHIBITI.

QVVM in minoribus peccatis (inquit Epistola 1. ad Clerum de Lapsis) agant peccatores pœnitentiā iusto tempore, & secundùm disciplinæ ordinē ad exomologesim veniāt, & ꝑ manûs impositionem Episcopi & Cleri, ius communicationis accipiāt: nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseuerāte, nondū Idē Epist. 10.

 resti-

restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondùm pœnitentia acta, nondùm exomologesi facta, nondùm manu eius ab Episcopo & Clero im-
1. Cor. 11. posita, Eucharistia illis datur, quum scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Idē Epist. 11. ET epistola 11. Illi contra Euangelij legem, contra vestram quoquè honorificã petitionem ante actam pœnitentiam, ante exomologesin grauissimi atq; extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam, offerre lapsis pacē & Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus profanare au-
1. Cor. 11. deant: cùm scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Ibid. epist. 12. AC epistola 3. Nam quū in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur iusto tempore, & exomologesis fiat, inspecta vita eius qui agit pœnitētiam, nec ad communionem venire quis possit, nisì priùs illi ab Episcopo & clero manus fuerit imposita: quantò magìs in his grauissimis & extremis delictis, cautè omnia & moderatè, secundùm disciplinam Domini, obseruari oportet?

Item. lib. de Laps. ITEM libro de Lapsis: Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & cōtagia funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt: quandò oc-
Leuit. 7. currat scriptura diuina, & clamet & dicat: Omnis mundus manducabit carnem: & anima quæcunque manducauerit ex carne sacrificij salutaris, quod est DOMINI, & immunditia ipsius super
* ipsam * ipsum est, peribit anima illa de populo suo. Apostolus item
1. Cor. 10. testatur, & dicit: Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini communicare,
Ibid. 11. & mensæ dæmoniorū. Idē contumacibus & peruicacibus cōminatur & denunciat, dicēs: Quicunq; ederit panē, aut biberit calicem

Domi-

Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Spretis his omnibus & contemptis, vis infertur corpori eius & ſanguini.

QVI CONTRAVENERINT PRESBYTERI, OFFERRE NON PERMITTANTVR, ET A COMMVNICATIONE ARCEANTVR.

INTERIM (inquit dicta I. ad Clerum de lapſis Epiſtola) temerarij & incauti & tumidi quidam inter vos qui hominem non cogitant, vel Deum timeant: ſcientes quoniam ſi vltrà in ijſdem perſeuerauerint, vtar ea admonitione, qua me vti Dominus iubet, vt interìm prohibeantur offerre, acturi & apud nos & apud confeſſores ipſos, & apud plebem vniuerſam cauſam ſuam, cùm Domino permittente, in ſinum matris Eccleſiæ recolligi cœperimus. Idē ep.10.

EPISTOLA quoquè de Gaio Diddenſi presbytero: Integrè & cum diſciplina feciſtis, fratres chariſs. quòd conſilio collegarum meorum qui præſentes erant, Gaio Diddenſi presbytero, & diacono eius cenſuiſtis non communicandum: qui communicando cum lapſis & offerendo oblationes eorum in prauis erroribus ſuis frequenter depræhenſi, & ſemèl atque iterùm, ſecundùm quod mihi ſcripſiſtis, à collegis meis moniti nè hoc facerent, in pręſumptione & audacia ſua pertinaciter perſtiterunt. Idē ep.28.

AC paulopòſt: Intereà ſi quis immoderatus, & præceps ſiue de noſtris presbyteris vel diaconibus, ſiue de peregrinis auſus fuerit ante ſententiam noſtram communicare cum lapſis, à communicatione noſtra arceatur.

EPISCOPI QVOQVE LAPSI SACRIFICIVM OFFERRE PROHIBITI.

QVOMODO ſe putat poſſe (inquit Epiſtola ad Epictetum) agere pro Dei ſacerdote, qui obtemperauit & ſeruiuit diaboli ſacerdotibus? aut quomodò putat manum ſuam tranſ- Idem epiſtola 64.

ferri posse ad Dei sacrificium & precem Domini, quæ captiua fuerit sacrilegio & crimini? quandò in scripturis diuinis Deus ad sacrificium prohibeat accedere sacerdotes etiam in leuiori crimine

Leuit. 21. constitutos, & in Leuitico dicat: Homo in quo fuerit vitium aut macula, nō accedet offerre dona Deo. Item in Exodo: Et sacerdo-

Exod. 19. tes qui accedunt ad Dominum Deum, sanctificentur, nè fortè derelinquat eos Dominus. & iterùm: Et qui accedunt ministrare ad altare sancti, non adducent in se delictum, nè moriantur. Qui ergò grauia in se delicta adduxerunt, id est, qui idolis sacrificando sacrilega sacrificia fecerunt, sacerdotium DEI sibi vindicare non possunt.

PRESBYTERORVM SINGVLORVM CVM SINGVLIS DIACONIS OBLATIO.

Idē epi. 5. PRESBYTERI quoq; (inquit Epistola ad Clerū de cura pauperum & quiete plebis) qui illic apud confessores offerūt, singuli cum singulis diaconis per vices alternēt: quia & mutatio personarum, & vicissitudo conuenientium minuit inuidiam.

SACRIFICIA IN ANNIVERSARIIS MARTYRVM.

Idem epistola 34. SACRIFICIA (inquit Epistola de Celerino) pro eis semper, vt meministis, offerimus, quotiès martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus.

Idē ep. 37. DENIQVE & dies eorum (inquit epistola ad Clerum de confessoribus in carcere) quibus excedunt, adnotate, vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Quanquàm Tertullus fidelissimus & deuotissimus frater noster, pro cætera solicitudine & cura sua, quam fratribus in omni obsequio operatiōis impertit, (qui nec illic circa curam corporum deest) scripserit & scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere beati

atì fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hîc à nobis oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiſcum, Domino protegente, celebrabimus.

BIRRO, DALMATICA, ET LINEA VTEBATVR D. CYPRIANVS.

ET ità (inquit Author Actûs paſsionis eius) idem Cyprianus in agrum Sexti perductus eſt, & ibì ſe lacerna & birro expoliauit, & genu in terram flexit, & in orationem ſe Domino proſtrauit. Et quum ſe Dalmatica expoliâſſet, & Diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit. Act. Paſs. Cypr.

QVOD ijſdem penè verbis repetit Ado Treuirenſis: Et ità perductus (inquit) glorioſus martyr poſt Prętorium in agrum Sexti, exuit ſe lacerna & birro, & complicans poſuit ad genua ſua: dehinc Dalmaticam tulit, & Diaconibus tradidit, & ſtans in linea, ſuſtinebat ſpiculatorem, cui & XXV. aureos dari pręcepit. Ado in martyrol. ad 18. Calend. Oct.

CONCILII AFRICANI DE LAPSIS I. SENTENTIA DE ADVLTERINA NOVATIANI CATHEDRA ET SACRIFICIIS.

QVVM Nouatianus ipſe (inq̃t Epiſtola ad Stephanum I.) quē ſequitur, olìm abſtētus, & hoſtis Eccleſię iudicatus ſit. Et quū ad nos in Africā legatos miſiſſet, optans ad communicationem noſtram admitti, hinc à Concilio plurimorum ſacerdotum qui præſentes eramus, ſententiam retulerit, ſe foris eſſe cœpiſſe, nec poſſe à quoquam noſtrûm ſibi communicari, qui Epiſcopo Cornelio in Catholica Eccleſia de Dei iudicio & cleri ac plebis ſuffragio ordinato, profanum altare erigere, & adulteram cathedram col- Idē ep. 67.

collocare, & ſacrilega contra verum ſacerdotem ſacrificia offerre tentauerit.

PATRVM AFRICANI CONCILII II. DE LAPSIS DECRETVM, DE COMMVNICATIONE LAPSIS DANDA, AC QVOTIDIANA SACRIFICIA.

Apud Cy. Epiſt. 54.

AT verò nunc (ſcribunt Epiſtola ad Cornelium) non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt: nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed ꝓtectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus: & quum ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſsit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodò docemus aut prouocamus eos in confeſsione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quomodò ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos priùs ad bibendum in Eccleſia poculum Domini iure communicationis admittimus? Et paulò pòſt: Immò Epiſcopatûs noſtri honor grandis & gloria eſt, pacem dediſſe martyribus, vt ſacerdotes qui ſacrificia Dei quotidiè celebramus, hoſtias Deo & victimas præparemus.

D. LV.

D. LVCII PAPAE XXIII. ROMANI CONSTITVTVM DE MINISTRIS ALTARIS.

MINISTRI altaris, (inquit D. Lucius, vt citatur à Gratiano) Presbyteri siue Diaconi, ad Dominica tales eligãtur officia, qui continentiam seruent. Si verò post ordinationem suam ministros contigerit propriæ vxoris inuadere cubile, sacrarij non intrent limina, neque * sacrarij portitores fiant, neque altare contingant, neque ab offerentibus holocausti oblationem suscipiant, neque ad Dominici corporis * portionem accedant, neque * propinquent, neque sine maioris natu authoritate maiora gerant officia: vrceum sanè ad altare vel calicem non suggerant. Grat. dist. 81. ca. Ministri * sacrificij * portationem *propinẽt

CONCILII AFRICANI PATRVM ID TEMPORIS SACRIFICIA.

VICARIAS verò (inquiũt Epistola ad Luciũ Papam) pro nobis ego & collegæ & fraternitas omnis has ad vos literas mittimus, frater charißime, & repræsentantes vobis per Epistolam gaudium nostrum, fida obsequia charitatis expromimus: hic quoquè in sacrificijs atque in orationibus nostris non cessantes Deo patri, & Christo filio eius Domino nostro gratias agere: & orare pariter ac petere, vt qui perfectus est atq; perficiens, custodiat & perficiat in vobis confeßionis vestræ gloriosam coronam. Apud Cy. Epist. 58.

QVI in eadem Epistola alludunt ad D. Lucij sacrificia, dum inquiunt: Vt altari Dei aßistat Antistes.

D. STEPHANI ROMANI PAPAE XXIIII. STATVTVM DE VESTIMENTIS SACRATIS, ET SACRIFICIA.

Steph. papa epist. 1. VESTIMENTA verò Ecclesiastica (inquit D. Stephanus Epistola ad Hilarium Episcopum) quib⁹ Domino ministratur, cultusque diuinus omni honorificentia & honestate, à sacerdotibus reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata debent esse, & honesta. Quibus alijs in vsibus (quum Deo, eiusque seruitio cōsecrata & dedicata sint) nemo debet frui, quàm Ecclesiasticis & Deo dignis officijs. Quæ nec ab alijs debent contingi aut ferri, nisi à sacratis hominibus, nè vltio quæ Balthasar regem percussit, (Dan. 5.) super hæc transgredientes, & talia præsumentes, veniat diuina, & corruere eos faciat diuinæ vltionis iustum flagellum ad ima. Hæc illis partibus quibus moraris, & in omnibus quibus potueris, cūctis nota facito, & obseruare Apostolica mandato authoritate: quia & nostri, nobisque commissi, in sancta Apostolica & vniuersali Ecclesia, omnes hæc obseruare, nunc & futuris temporibus professi sunt.

Dam. Pōtif. l. c. 24. FACIT huius quoquè statuti mentionem Damasus: Hic (inquit) constituit, sacerdotes & Leuitas vestibus sacratis in vsu quotidiano non vti, & nisi in Ecclesia tantùm.

Beda & Ado ad 4. Non. Au. ET ven. Beda ac Ado Treuirensis: Hic constituit, vt sacerdotes & Leuitæ vestes sacras in quotidiano vsu non haberēt, nisi tantùm in Ecclesia.

Alcuin. l. de diuin. offic. ALCVINVS quoquè: Stephanus natione Romanus ex patre Iobio, vt legitur in Gestis Pontificalibus, constituit sacerdotibus Leuitisque, vestes sacras in quotidiano vsu non vti, nisi in Ecclesia.

ITEM Vualafridus Strabus: Stephanus autem 24. constituit, sacerdotes & Leuítas vestibus sacratis in vsu quotidiano nō vti, nisi in Ecclesia tantùm. Vualafr. Strab. de reb. Eccl. cap. 24.

AC Martinus Polonus: Hic constituit, sacerdotes & Leuítas veste sacrata in quotidiano vsu non vti. Mart. Pol. ad annū 257.

EIVSDEM SACRIFICIA.

SACRIFICII porrò ipsius D. Stephani papę in hęc verba meminit ven. Beda: Beatus igitur Stephanus, post multa quę operatus est bona, missis à Valeriano militibus, iussus est decollari, qui venientes, inuenerunt eum sacrificium Deo offerentem, & decollauerunt eum in eodem loco. Beda in Martyr. loco cit.

ET Vsuardus: Qui quum staret intrepidus ante altaris solēnia, & iugiter cœpta perficeret, in eodem loco sic à sua decollatus est sede. Vsuard. in mart.

ADO quoquè Treuirensis: Celebrabat (inquit) Missas atque Concilia per cryptas martyrum. Ado in martyr.

ET paulò pòst: Beatus verò Stephanus perrexit cum omnibus Christianis ad Cœmeterium S. Lucinæ, & multis eos consolatus sermonibus, obtulit pro eis sacrificium Deo omnipotenti. Quę gesta audiens Valerianus, misit plurimos militum, qui B. Stephanum punirent. Qui venientes, inuenerunt sacrificium Deo offerentem, intrepidum atque constantem ante altare, solennia incepta perficientem. Et in eodem loco eum in sua decollauerūt sede.

QVAE verba eadem etiam reperire est apud Marianū Scotum. Mar. Scot. hist. l. 2.

MARTINVS deniquè Polonus: Hunc demùm Missam celebrantem, in sua sede decollauerunt. Mart. Pol. loco cit.

CONCILII AFRICANI HOC TEMPORE STATVTA DE EPISCOPIS LAPSIS.

QVALES OPORTEAT DESERVIRE ALTARI, ET SACRIFICIA CELEBRARE.

Apud Cy. Epist. 68. SED ENIM (inquiunt Epistola ad Hispanos episcopos de Basilide & Martiali) desiderio huic vestro non tam nostra cõsilia, quàm diuina pręcepta respondent, quibus iam pridèm mandatur voce cęlesti, & Dei lege pręscribitur, quos & quales oporteat deseruire altari, & sacrificia diuina celebrare. In Exodo nanque ad
Exod. 19. Moysen Deus loquitur & monet, dicens: Sacerdotes, qui accedunt ad Dominũ Deum, sanctificentur, nè fortè derelinquat illos Dominus. Et iterùm: Et quum accedunt ministrare ad altare sancti,
Leuit. 21. non adducent in se delictum, nè moriantur. Item in Leuitico p̃cipit Dominus, & dicit: Homo in quo fuerit macula & vitium, nõ accedet offerre dona Deo. Quę quum p̃dicta, & manifesta sint nobis, pręceptis diuinis necessè est obsequia nostra deseruiant: nec personã in eiusmodi rebus accipere, aut aliq̃d cuiquã largiri potest humana indulgẽtia, vbì intercedit & legem tribuit diuina p̃scriptio.

NON NISI IMMACVLATOS ANTISTITES ELIGI DEBERE.

IBIDEM paulopòst: Quę ante oculos habentes, & solicitè ac religiosè considerantes, non nisì immaculatos & integros antistites eligere debemus, qui sanctè & dignè sacrificia Deo offerant.

CVR CLERO CONVOCATO ELECTIO CELEBRABATVR.

POSTEA quoquè: Quod vbiq; idcircò tam diligenter & cautè, conuocata plebe tota, gerebatur, nè quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet.

LAICA COMMVNIO.

AC rursùm: Satìs gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret.

SA-

SACRIFICIA OFFERRE EPISCOPI LAPSI NON PERMITTANTVR.

QVAPROPTER quum multa ſint & grauia delicta, quibus Baſilides & Martialis implicati tenētur, fruſtrà tales Epiſcopatum ſibi vſurpare conantur, quum manifeſtum ſit, eiuſmodi homines nec Eccleſiæ Chriſti poſſe præeſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere.

CONCILII AFRICAE DE BAPTIZANDIS HAERETICIS I. SANCTIFICATIONIS EVCHARISTIAE TESTIMONIVM.

PORRO autem (inquiunt Epiſtola ad Ianuarium & cæteros Epiſcopos Numidas) Euchariſtia in altari ſanctificatur. Apud Cypriā. epiſt. 70.

CONCILII AFRICAE ET NVMIDIAE DE BAPTIZANDIS HAERETICIS II. DECRETVM, DE EPISCOPIS, PRESBYTERIS, ET DIACONIS HAERETICIS.

NON RECIPIENDI ILLI, NISI AD COMMVNIONEM LAICAM.

ADDIMVS planè & adiungimus, (inquiunt Epiſtola ad Stephanum Papam) frater chariſsime, cōſenſu & authorita- Apud Cypriā. epiſt. 72.

te communi, vt etiam si qui Presbyteri aut Diaconi, qui vel in Ecclesia catholica priùs ordinati fuerint, & postmodùm perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos à Pseudoepiscopis & Antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, & contra altare vnum atque diuinum sacrificia forìs falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoquè hac conditione suscipi quum reuertuntur, vt communicent laici: & satìs habeant quòd admittuntur ad pacem, qui hostes pacis extiterint, nec debere eos reuertentes, ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint.

OPORTET ENIM QVI ALTARI ET SACRIFICIIS DESERVIVNT, IMMACVLATOS ESSE.

Ibid. OPORTET enim sacerdotes & ministros, qui altari & sacrificijs deseruiunt, integros atque immaculatos esse, quum Dominus Deus in Leuitico loquatur & dicat: Homo in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona Deo. Itē in Exodo hæc eadem præcipiat & dicat: Et sacerdotes qui accedunt ad Dominū Deum, sanctificentur, nè fortè derelinquat illos Dominus. Et iterùm: Et quum accedunt ministrare ad altare sancti, non adducent in se delictum, nè moriantur.

Leuit. 21.

Exod. 19.

CONCILII CARTHAGINIENSIS DE BAPTIZANDIS HAERETICIS TERTII, SIMILES SENTENTIAE.

Apud. Cypriā. Cōc. Carth. Sētent. 1. SACERDOTIVM (inquit Cæcilius à Bilta) administrat profanus, ponit altare sacrilegus. Ad hæc omnia accedit & illud malum, vt antistites diaboli, audeant Eucharistiam facere.

ET

ET ideò (inquit Nouatus à Thamugade) secundùm testimonium scripturarum, & secundùm decretum Collegarum nostrorũ sanctissimæ memoriæ virorum, omnes schismaticos & hæreticos eos qui Ordinati videbantur, inter laicos recipi debere. Ibid. Sent. 4.

ALTERIVS RVRSVM AFRICAE CONCILII STATVTA DE CLERICIS ET EORVM SACRIFICIIS.

CLERICI, TVTORES NON NOMINANDI.

GRAVITER cõmoti sumus ego & Collegæ mei (inquit Cõcilij nomine ad Furnitaneos D. Cyprianus) qui præsentes aderãt, & cõpresbyteri nostri qui nobis assidebãt, fratres charissimi, quũ cognouissemus quòd Geminiꝰ Victor, frater noster, de seculo excedẽs, Geminiũ Faustinum Presbyterũ, tutorem testamento suo nominauerit, quum iam pridèm à Concilio Episcoporũ statutũ sit, nè quis de Clericis & Dei ministris, tutorem vel curatorem testamento suo constituat. Apud Cypriã. epist. 66.

NON ENIM NISI ALTARI ET SACRIFICIIS VACARE DEBENT.

QVANDO singuli diuino sacerdotio honorati, & in clerico ministerio cõstituti, non nisì altari & sacrificijs deseruire, & precibus atq; orationibꝰ vacare debeãt. Scriptũ est em̃: Nemo militans Deo, obligat se molestijs secularibus, vt possit placere ei cui se ꝓbauit. Quod quum de oĩbus dictum sit, quãto magìs molestijs & laqueis secularibus obligari non debent, qui diuinis rebus & spiritalibꝰ occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & seculares actus vacare non possunt? Cuius ordinationis & religionis formã Leuitę priùs in lege tenuerunt, vt quum terram diuiderẽt, & possessiones parti- Ibid. 2. Tim. 2. Iosue 13.

partirentur vndecim tribus, Leuitica tribus, quæ templo,& altari, & miniſterijs diuinis vacabat, nihil de illa diuiſionis portione perciperet: ſed alijs terram colentibus, illa tantùm Deum coleret, & ad victum atque alimentum ſuum,ab vndecim tribubus de fructibus qui naſcebantur,decimas reciperet. Quod totum fiebat de authoritate & diſpoſitione diuina: vt qui operationibus diuinis inſiſtebant,in nulla re auocarentur, nec cogitare aut agere ſecularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur: vt qui in Eccleſia Domini ordinatione clerica promouentur, in nullo ab adminiſtratione diuina auocentur, nec moleſtijs & negocijs ſecularibus alligentur, ſed in honore ſportulantium fratrum, tanquàm decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificijs non recedãt, ſed die ac nocte cæleſtibus rebus & ſpiritalibus ſeruiant.

QVARE, SI QVIS AD TVTELAM CLERICVM NOMINAVERIT, PRO DORMITIONE EIVS NON FIAT OBLATIO.

Ibid. ET ideò Victor quum contra formam nupér in concilio à ſacerdotibus datam,Geminium Fauſtinum presbyterum auſus ſit tutorem conſtituere, non eſt quòd pro dormitione eius apud vos fiat oblatio,aut deprecatio aliqua nomine eius in Eccleſia frequentetur,vt ſacerdotum decretum religiosè & neceſſariè factum, ſeruetur à nobis: ſimul & cæteris fratribus detur exemplũ, nè quis ſacerdotes & miniſtros Dei, altari eius & Eccleſiæ vacantes, ad ſeculares moleſtias deuocet.

APVD ALTARE ENIM DEI NOMINARI NON MERETVR.

Ibid. paulo antè. NEQVE enim apud altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes & miniſtros voluĩt auocare.

D. SIXTI

D. SIXTI II, ROMANI PAPAE XXV, SACRIFICIA.

AD hæc beatus Sixtus (inquit Ado Treuirensis) respondit: Ego semper sacrificaui,& sacrificabo Deo patri omnipotenti,& Domino Iesu Christo filio eius,& Spiritui sancto,hostiam puram & immaculatam. Ado in Martyrol. 8. Idus Aug.

QVOD ipsum repetitur à Mariano Scoto hist.lib.2.

NEMESIANI ET ALIORVM EPISCOPORVM AFRICAE MARTYRVM SACRIFICIA.

SED nec illo (scribit ad illos è suo exilio D. Cyprianus) fratres dilectissimi, aliqua potest aut religionis, aut fidei iactura sentiri,quòd illic nunc sacerdotibus Dei facultas non datur offeréndi & celebrandi sacrificia diuina. Cyprian. Epist.77.

D. LAVRENTII ARCHIDIACONI ROMANI, SACRIFICII MINISTERIVM.

IPSI COMMISSA DOMINICI SANGVINIS DISPENSATIO.

QVVM'QVE duceretur B. Sixtus, cœpit eum his verbis beatus Laurentius (inquit Author vetustiss. vitæ D. Sixti, Laurētij & aliorum) Archidiaconus compellare: Quò progrederis sine filio Vita D. Sixti MS.

pater? Quò sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquàm sine ministro sacrificiũ offerre cõsueueras. Quid in me ergò displicuit tibi pater? Num degenerem probasti? Experire certè, vtrùm idoneũ ministrũ elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem, cui consummandorũ consortium sacramentorũ credidisti, huic sanguinis tui consortium negas?

Ambr. offic. l. 1. c. 41. QVOD ipsum in hæc verba testatur D. Ambrosius: Non prætereamus sanctum Laurentium, qui quum videret Sixtum Episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaq; his verbis appellare cœpit: Quò progrederis sine filio pater? Quò sacerdos sancte sine Diacono properas? Nunquàm sacrificiũ sine ministro offerre consueueras. Quid in me ergò displicuit pater? Num degenerem probâsti? Experire certè, vtrùm idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?

Ado Treuir. in mart. ADO quoquè Treuirensis iisdem penè verbis, quibus suprà.

VASA SACRA QVAEDAM ETIAM AVREA, IVSSV D. SIXTI DIVIDENDA.

Vit. Ms. D. Sixti ac Ado in Mart. ET dixit B. Sixtus ad B. Laurentium: (inquit Author suprà citatus, & Ado Treuirensis) Accipe facultates Ecclesiæ & thesauros, & diuide pauperibus quibus tibi videbitur. Accepta potestate, B. Laurentius cœpit peregrinos studiosè quærere, & vbicunquè S. clerici, vel pauperes essent absconsi, & portans thesauros, prout cuique opùs erat, ministrabat.

Ambr. offic. l. 2. c. 28. CVI consentit & D. Ambrosius: Tale (inquit) aurum sanctus martyr Laurentius Domino reseruauit, à quo quum quærerentur thesauri Ecclesiæ, promisit demonstraturum se, sequenti die pauperes duxit. Interrogatus, vbi essent thesauri quos promiserat, ostẽdit

dit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri Ecclesiæ. Et verè thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. Denique Apostolus ait: Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Quos meliores thesauros habet Christus, quàm eos in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me. Et infrà: Quod enim vni eorum fecistis, mihi fecistis. Quos meliores Iesus habet thesauros, quàm eos, in quibus amat videri? Hos thesauros demonstrauit Laurentius, & vicit, quòd eos nec persecutor potuit auferre. Itaque Ioachim qui aurũ in obsidione seruabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ, & aurum vidit diripi, & se in captiuitatem deduci. Laurentius qui aurum Ecclesiæ mâluit erogare pauperibus, quàm persecutori reseruare: pro singulari interpretationis viuacitate, sacram mysterij accepit coronam. Nunquid dictum est sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ, vasa sacramentorum vendere? Matth. 25.

Ac eadem ætate D. Prudentius,

HIC primus è septem viris,
Qui stant ad arã proximi,
Leuita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior:

Claustris sacrorum præerat,
Cælestis arcanum domûs
Fidis gubernans clauibus,
Votasque dispensans opes.

Versat famem pecuniæ
Præfectus vrbi regiæ,
Minister insani ducis,
Exactor auri & sanguinis.

Laurentium sisti iubet: Prud. peri steph. hym. 2.
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, & fulgidæ
Montes monetæ conditos.

Hunc (inquit) esse vestris orgijs
Moreq́; & artem proditũ est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent vt auro antistites.

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Astare fixos cereos.

Nil asperum Laurentius
Refert ad ista aut turbidum,
Sed vt paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est diues, inquit, non nego:
Habetq; nostra Ecclesia
Opumq; & auri plurimùm:
Nec quisquam in orbe est ditior.
Vnum sed orans flagito,
Induciarum paululùm,
Quo fungar efficaciùs
Promißionis munere.
Pepigêre tempus tridui,
Laudatus indè absoluitur
Laurentius: sponsor suî,
Et sponsor ingentis lucri.
Tribus per vrbem cursitat
Diebus, infirma agmina
Omnesq; qui poscunt stipem,
Cogens in vnũ & congregans.

Serm. de nat. S. Laurent.

ET D. Leo papa: Leuitam (inquit) Laurentium, qui non solùm ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persecutor efferbuit, duplicẽ sibi prædam de vnius viri compræhensione promittens, quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus: auaritia, vt rapiat aurum: impietate, vt auferat Christum. Postulat, sibi ab immaculato sacrarij præsule opes Ecclesiasticas, quibus auidißimus inhiabat, inferri. Cui Leuita castißimus, vbì eas repositas haberet, ostendens, numerosißimos sanctorum pauperum obtulit greges: in quorum victu atque vestitu inamißibiles condiderat facultates: quæ tanto integriùs erant saluæ, quanto sanctiùs probabantur expensæ. Fremit ergò prædo frustratus, & in odium religionis quæ talem diuitiarum vsum instituisset, ardescens, direptionem thesauri potioris aggreditur, vt apud quem nullam denariorum substãtiam reperisset, illud depositum ei quod sacratius erat, diues auferret.

Ado in Mart. ad 4. Id. August.

ADO quoquè Treuirensis in paßion. D. Laurent. Cui B. Sixtus omnes facultates Ecclesiæ & thesauros, pergens ad coronam martyrij, tradidit. Hic veniens in Cælium montem, vbì erat quædam

vidua, in viduitate trigintaduos annos habens, in cuius domo multi Christiani,& presbyteri, & clerici,absconsi manebant, tulit vestes & thesauros Ecclesiæ, & cœpit erogare.

SIMEON deniquè Metaphrastes: Cui(inquit) quum Ecclesiæ vasa omnia commisisset:Sint hęc(inquit)apud te, & diligentissimè custodiantur, ità vt Imperatoris auarissimi cupiditas ea inuenire non possit. Tunc B.Laurentius vasa illa omnia quæ accepit,Christianis quibusdam aurificibus vendidit, & precium quod ex illis percepit,egentibus distribuit. Simeon Metaphr. in Pass. S. Laurent.

D. IVSTINI PRESBYTERI ROMANI SACRIFICIVM.

IPSIVS SACRIFICIVM, ET EIVS PARTICIPATIO.

BEATVS autem Iustinus (inquiũt Author qui suprà,& Ado Treuirẽsis) Presbyter obtulit sacrificium laudis, & participati sunt omnes de corpore & sanguine Domini. Vit. DD. Sixti & Laurẽtij. Ado in Martyro.

PARTIS SACRIFICII DOMVM DEPORTATIO.

REGRESSVS itaque Hippolytus (inquit idem Author vbì de Hippolyto agit) post diem tertium, venit in domum suam,& dedit pacem omnibus seruis & ancillis suis, & communicârunt de sacrificio altaris D.Laurentij martyris. Ibidèm.

DD. FRVCTVOSI EPISCOPI, AVGVRII ET EVLOGII DIACONORVM TARRACONENSIVM, STATIO.

Mar. DD. Fruct. Au. & Eulog. Tō. 2. vit. Surij.

SIQVIDEM in carcere (inq̃t Author paſsionis ipſorum) quarta feria ſtationem ſolenniter celebrârunt.

FELICIS PAPAE XXVII. ET CONCILII ROMANI DECRETVM, DE MISSARVM CELEBRATIONE SVPER MEMORIIS MARTYRVM.

Felix papa epiſt. 2.

TALES autem perturbatores (inquit D. Felix papa & alij Patres Concilij Romani Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos) Eccleſiæ, non ſolùm prædicta agunt mala, ſed & memorias martyrum execrantur. Quapropter in præfata cōſtituimus Synodo, vobiſq; & omnibus Eccleſijs tenendum & agendum mandamus, vt ſuper memorias martyrum Miſſæ celebrentur, nè memoriæ eorum à talibus extingui, aut veneratio poſsit prohiberi.

Dam. Pōtif. l. c. 27.

QVOD repetitur à Damaſo: Hic (inquit) conſtituit, ſupra ſepulcra aut memorias martyrum, Miſſas celebrari.

Beda in Mar. ad 3. Cal. Iunij.

AC ijſdem verbis ven. Beda in Martyrologio.

Vualafr. Strab. de reb. Eccl. cap. 20.

ITEM à Vualafrido Strabo: Legitur enim Felix 27. Papa conſtituiſſe, vt ſuper memorias martyrum Miſſæ celebrarentur.

Mar. Sco. hiſt. l. 2.

QVIBVS conſentit Marianus Scotus: Iſte decreuit Miſſas cebrari ſuper memorias martyrum.

RADVLPHVS etiam Tungrenſis loco citato, & Martinus Polonus ad annum 267.

D. LVCIANI SVCCESSORIS D. CYPRIANI OBLATIO ET ALTARE.

Opt. cōtra Parm. li. 1.

CONFERTA erat (inquit Diuus Optatus) Eccleſia, populis plena erat Cathedra Epiſcopalis, erat altare loco ſuo,

ſuo,in quo pacifici Epiſcopi retrò temporis obtulerant Cyprianus,Lucianus,& cæteri.

DIVI EVTYCHIANI ROMANI PAPAE XXVIII. CANONES CIRCA SACRIFICIVM ALTARIS.

AD ALTARE NON NISI FABAE ET VVAE BENEDICANTVR.

IDCIRCÒ fratres, (inquit Diuus Eutychianus Papa Epiſtola ad Bæticæ Epiſcopos) iſta prætulimus, vt hæ ſpecies,quas nō licet offerri ſuper altare, iuxta conſtitutionem Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, ad domum ſacerdotum deferantur, & à ſacerdotibus benedicantur, & per ſimplicem benedictionem benedicta,demùm à populis ſumantur: Fabæ tantùm & vuæ,& cætera, quæ Apoſtoli conſtituerunt,ſuper altare offerantur. Eutych. papa ep.1. Can.ca.4.

AD quod alludens Damaſus: Hic conſtituit fruges fabę & vuæ ſuper altario benedici. Dam. lib. Pōti.c.28.

ET caſtigatiùs ven.Beda:Hic conſtituit,fruges ſuper altare tantùm fabas & vuas benedici. Beda in mart.ad 6.idem Decemb.

CVI conſentit Marianus Scotus loco citato.

LATIVS quoquè Vualafridus Strabus: Dum ergò quædam prohibentur offerri,oſtenditur,ea à quibuſdam(licèt extraordinariè)oblationibus adhibita.Vndè Eutychianus 28. Sedis Romanæ præſul conſtituit, fruges ſuper altare tantùm fabæ & vuæ benedici. Et hæc idcircò fortaſsè, quia vino, ſanguinis Dominici myſterium celebratur: Faba verò,abſtinentium cibus eſt: Aliâs autem diuerſarū ſpecies rerū,ſtatutū eſt vbilibèt benedici à ſacerdotibus: Vualafr. ſtrab. de reb. Eccl. cap. 18.

vel

vel si ad altare benedicenda quælibet deferantur, speciali benedictione à consecratione Dominicorum sacramentorum omnimodis discernenda: vt sicut pro innumeris legis mandatis, breuiatum Euangelij verbum Dominus fecit super terram, ità pro diuersis sacrificiorum ritibus, simplex oblatio panis & vini fidelibus sufficiat, qui non in multitudine vmbrarum apparituram quærunt veritatem, sed eam in manifestatione factorum tenent perspicuam.

POST CIBVM NEMO SACRIFICIVM ACCIPIAT, NISI PRO VIATICO.

Burchard. decr. l. 5. c. 35. Iuo pa. 2. cap. 45.

QVI acceperit (inquit idem Canon 2. iuxta quod citatur à DD. Burchardo & Iuone) sacrificium post cibum, aut post aliquam paruissimam refectionem, nisi pro viatico, pueri tres dies, maiores septem, clerici viginti dies pœniteant.

MISSA PRO HAERETICIS NON CANTANDA.

Grat. 11 q. 3. c. Si quis Episcop⁹.

SI quis Episcopus aut Abbas (inquit idem, iuxta quod citatur à Gratiano) Presbytero, aut monacho suo iusserit Missas pro hæreticis cantare, non licet. Non enim expedit eis obedire.

CVM DALMATICA VEL COLLOBIO SEPELIANTVR MARTYRES.

Dam. loco cit.

HOC (inquit Damasus) constituit, vt quicunque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica aut collobio purpurato nullatenùs sepeliret, dum tamen huius constitutionis ad illum peruenisset notitia.

Mar. Scot. loc. cit. Mar. Pol. ad annū 270.

Sic & Marianus Scotus: Hic constituit, vt nullus martyrum sine dalmatica aut collobio sepeliretur.

ET ijsdem quoquè verbis cum Damaso, Martinus Polonus.

D. CAII

D. CAII PAPAE XXIX. ROMANI, SACRIFICIVM ET STATVTVM DE ECCLESIASTICIS ORDINIBVS.

VENIT itaque (inquit Author vitæ D. Sebaſtiani) dies Dominica, in qua Caius Pōtifex, agēs quę Dei ſunt, intrà domū Chromatij omnibus congregatis, cunctos alloquitur. Vit. D. Sebaſt. Tō. 1. Vit. Surij.

DE Epiſcoporum verò (inquit D. Caius papa Epiſtola ad Felicem Epiſcopum) & presbyterorum, diaconorumq́ue & ſequentium clericorum ordinationibus, ſanctos Apoſtolos & ſucceſſores eorum, & præcipuè Anacletum, & prætereà alios, ſufficienter ſtatuiſſe cognoſcimus: & idcircò non eſt neceſſe nunc replicari, niſì quod illi non ſtatuerunt. Illud tamen nos ſtatuentes, vobis & omnibus ſeruare mādamus, vt ad ordines Eccleſiaſticos ſic aſſcendant in Eccleſia, qui ordinari merētur, i. ſi quis Epiſcopus eſſe meretur, ſit primò Oſtiarius, deindè lector, poſteà exorciſta, indè ſacretur acolytus, demùm verò ſubdiacon⁹, deindè diaconus, & poſteà presbyter: & exindè, ſi meretur, Epiſcopus ordinetur. Caius papa Epi. 1.

QVOD in hæc verba repetit Damaſus: Hic conſtituit, vt omēs ordines in Eccleſia ſic aſſcenderent: Si quis Epiſcopus fieri mereretur, vt eſſet Oſtiarius, lector, exorciſta, acolytus, ſequēs ſubdiaconus, diaconus, presbyter, & exindè Epiſcopus ordinaretur. Dam. lib. Pōt. c. 29.

VEN. etiam Beda: Hic conſtituit, vt per omnes gradus aſſcenderet, ſi quis Epiſcopus fieri mereretur: vt eſſet Oſtiarius, Lector, exorciſta, acolytus, ſubdiaconus, diaconus, presbyter. Beda in Martyr. 10. Cal. Maij.

SIC & Marianus Scotus: Caius in hac Epiſtola conſtituit, vt per omnes gradus Eccleſiaſticos &c. vt ſuprà. Mar. Scot. lib. cit.

ET prorsùs ijſdem verbis, quibus Beda, Martinus Polonus. Mart. Polon. ad ann. 278.

DD. DIODORI PRESBYTERI, MARTINIANI DIACONI, ET ALIORVM RO-

ROMAE CONVENTVS, AD DIEM NATALIS DD. CHRYSANTHI ET DARIAE MARTYRVM.

Beda & Ado in Martyr. Cal. Decemb.

CONTIGIT (inquiunt Ven. Beda & Ado Treuirensis) vt ad diem natalis eorum, infinita populi multitudo concurreret. Hoc nunciatum est Imperatori Numeriano, qui iussit vt in introitum cryptæ paries leuaretur. Ac sic factum est, vt omnes pariter dum sacramenta Christi perciperent, martyrij gloria celebres fierent. Inter quos erat Diodorus Presbyter, & Diaconus Marianus, & plurimi clericorum.

CHRISTIANORVM FREQVENTISSIMI PER LOCA SINGVLA IN TEMPLIS CONVENTVS ET ECCLESIARVM AEDIFICATIO.

Euseb. hist. Eccl. lib. cap. 1.

QVOMODÒ (inquit Eusebius, de initio scribens Imperij Diocletiani) quisquam, conuentus illos infinita hominum turba frequentatos, multitudines in singulis ciuitatibus coactas, illustres hominum in templis (Græcè προσευκτηρίοις) concursus, poterit oratione explicare? Vndè quum in antiquis illis ædificijs non satìs loci haberent, ampliores Ecclesias in vniuersis vrbibus, fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexerunt.

Niceph. lib. 7. ca. 2.

ET ferè ijsdem verbis Nicephorus: Ostendunt id quoquè plurimorum millium hominum in oratorijs domibus cœtus & conuentus habiti, quæ oratoria, quum propter angustiam, confluentem tantam multitudinem non caperent, cernere erat, ex paruis initijs & fundamentis, in augusta, amplitudine & magnitudine admiranda, in locis omnibus excitari atque construi templa.

SACRI-

QVARTI A CHRISTO INCARNATO SECVLI.

D. MARCELLINI XXX. PAPAE ROMANI DE SACRIFICIO NON SOLVM DEO PATRI, SED ET FILIO IMMOLANDO, RESCRIPTVM.

EPISTOLAE tuæ ſermo (inquit D. Marcellinus ad Salomonem Epiſcopum ſcribens) & commonitorij ſeries, & libelli tui textus eloquitur, quòd quidam errore decepti, dicunt, ideò Patrem maiorem filio eſſe, quia illi ſoli ſacrificium immolatur. Marc. papa Epi. 1.

QVIBVS competens & congruum reddatur reſponſum, quia ſicut patri, ità etiam filio, non ſolùm Chriſtianis temporibus, verumetiam priſcis temporibus à ſacerdotibus, varijs multiſq; modis probamus, ſacrificium fuiſſe oblatum.

SACRIFICIVM itaque, quod à Chriſtianis ſacris altaribus admouetur, non ſolùm Deo patri, ſed etiam filio communi deuotione offertur: quoniam nec patri ſine filio poteſt offerri, neq; filio ſine patre ſacrari.

DIOCLETIANI IMPERATORIS EDICTVM DE ECCLESIIS DESTRVENDIS, ET SCRIPTVRIS SACRIS IGNE COMBVRENDIS.

ANNO (inquit Euſebius Cæſareenſis) decimonono imperij Diocletiani, menſe Dyſtro (qui à Romanis Martius nominatur) quum ſalutaris paſsionis Dominicæ feſtum iam pro foribus eſſet, omnibus in locis per imperatoris literas palàm edictum fuit, vt tum deturbarentur Eccleſiæ, ſoloq; æquarentur, tum ſcripturæ abſumerentur igni. Euſeb. hiſt. eccl. lib. 8. ca. 3.

Niceph. Eccl. hist. lib. 7. ca. 3.

ET Nicephorus: Primùm quidem vbiquè circunferebantur & proponebantur imperialia edicta, vt templa solo æquarentur, diuinæ scripturæ comburerentur.

CONTINVVS MINISTRORVM DEI CVLTVS IN FAMILIA CONSTANTII PATRIS CONSTANTINI APVD GALLIAS.

Euseb. de vita Constantini libr. 1.

OMNEM (inquit Eusebius Cæsareensis) suam familiam regi Deo consecrauit, adeò vt multitudo, quæ intrà regiam ipsam coiuerit, nihil ab ecclesiæ forma distare videretur. In qua erant Dei ministri, qui cótinuos cultus pro Imperatore etiam tum obierunt, cùm piorum hominum genus, & vero Deo inseruientium, alibì apud gentilium multitudinem ne nominari quidem absque periculo poterat.

MARTYRVM EA TEMPESTATE IN DOMIBVS PRIVATIS, ET CARCERIBVS, COLLECTAE, ET SACRAMENTORVM CELEBRATIO.

Aug. Breuic. coll. cũ Donatist. coll. 3. cap. 5. & contra Donatist. post coll. cap. 14.

CATHOLICI (inquit D. Augustinus) respondebant: multo faciliùs duodecim homines in domum conuenire potuisse eo tempore, quo etiam congregationes plebium fieri solebant, quanuis persecutione feruente, sicut ipsis gestis martyrum monstrabatur, qui confitebantur in paßionibus suis, se Collectam & Dominicum egisse.

AC paulò pòst: Nam & domum (inquit) priuatam Christianis congregandis pręstitam constitit tempore persecutionis, sicut in quibusdam gestis martyrum legebatur.

ET rursùm: Commemoratum est, vsq; adeò non esse incredibile, quòd in priuatam domum pauci illi Episcopi (loquitur de Epi-

Epiſcopis Donatiſtis in Concilio Cirthenſi congregatis) perſecutionis tempore conuenerant, vt feruente perſecutione, etiam in carcere doceantur baptizati, (ſic enim lego, pro, baptizari) & illic à Chriſtianis celebrata ſacramenta, vbì Chriſtiani propter eadem ſacramenta tenebantur incluſi.

EODEM TEMPORE CALICVM ET ORNAMENTORVM VSVS IN AFRICA.

DIOCLETIANO (inquit D. Auguſt.) & Maximiano ſeptiès conſulibus, quartodecimo Calendas Iunij, ex Actis(ſic enim haud dubiè legendum, pro eo quod eſt, exacti) ⁎ Simmacij Felicis flaminis, perpetui curatoris Coloniæ Cirthenſis: Quum ventũ eſſet ad domum, in qua Chriſtiani conueniebant, Felix flamen, perpetuus curator, Paulo Epiſcopo dixit: Proferte ſcripturas legis, & ſi quid aliud habetis, vt & præcepto & iuſsioni parére poſsitis. Paulus Epiſcopus dixit: Scripturas Lectores habent, ſed nos quod hîc habemus, damus. &c. Sedente itaq; Paulo Epiſcopo, &c. contraſcribente Victore Aufidij in breue, (ſic nempe ſcriptum eſt) Calices duo aurei, item calices ſex argentei.

Idem cõt. Creſcent. Grãm. l. 3. c. 29.

⁎ Symmachi

EODEM pertinet illud Optati Mileuitani: Erant Eccleſiæ ex auro & argento, quàm plurima ornamenta.

Opt. Mileuit. cõt. Parm. l. 1

Et quod paulò pòſt habet: Breuis auri & argenti, ſedenti Cæciliano traditur.

TVM QVOQVE TVRONENSIS ECCLESIAE DIVINI OFFICII OCCVLTA CELEBRATIO.

QVI Chriſtiani (inquit D. Gregorius Turon.) eo tempore videbantur, occultè & per latebras diuinum officium cele-

Greg. Turon. hiſt. Franc. l. 2. c. vlt.

 brabant.

brabant. Nam si qui à Paganis reperti fuissent Christiani, aut affi-
ciebantur verberibus, aut gladio truncabantur.

ARNOBII AFRI AETATE, SVMMA DIVINORVM OFFICIORVM IN CHRISTIANORVM CONVENTIBVS.

Arnob. adu. gent. l. 1.

RELIGIONES, inquiunt, (scribit Arnobius aduersùs gentes) impias atq; inauditos cultus terrarum in orbe tractatis. Quid, ô participes rationis, audetis homines proloqui? quid effutire? quid promere temerariȩ vocis desperatione tẽtatis? Deũ principem rerum cunctarum quȩcunq; sunt, Dominum summitatem omnium summorum obtinentem adorare, obsequio venerabili inuocare, in rebus festis, totis (vt ità dixerim) sensibus amplexari, amare, suspicere, execrabilis religio est & infausta, impietatis & sacrilegij plena, cæremonias antiquitùs institutas, nouitatis suæ superstitione contaminans.

AC paulopòst: Nihil aliud sum' Christiani, nisì magistro Christo summi regis ac principis veneratores: nihil, si consideres, aliud inuenies in ista religione versari. Hæc totius summa est actionis: hic propositus terminus diuinorum officiorum, hic finis, huic omnes ex more prosternimur, hũc collatis precibus adoramus: ab hoc iusta & honesta, & auditu eius condigna, deposcimus: nõ quò ipse desideret supplices nos esse, aut amet substerni, tot millium venerationem videre: vtilitas hæc nostra est, & commodi nostri rationem spectans. Nam quia proni ad culpas, & ad libidinis varios appetitus vitio sumus infirmitatis ingenitæ, patitur se semper nostris cogitationibus concipi: vt, dum illum oramus, & mereri eius contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, & ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus.

ET rursùm: Ergóne impiæ religionis sumus apud vos rei, &
quòd

quòd caput rerum & columen venerabilibus adimus obſequijs,vt conuicio vtamur veſtro,infauſti & athei nuncupamur?

DENIQVE & poſteà: Sed non (inquiunt,ſic ego lego) idcircò dij vobis infeſti ſunt,quòd omnipotentem colatis Deum: ſed quòd hominem natum,& (quod perſonis infame eſt vilibus) crucis ſupplicio interemptum, & Deum fuiſſe contenditis,& ſupereſſe adhuc creditis,& quotidianis ſupplicationibus adoratis.

ET alibì, (quantùm appáret,alludens ad calumnias ethnicorum, de quibus ſuprà) Argumenta vos nobis & ſuſpicionum argutias proferetis:quibus ipſe ſi Chriſtus(cum pace hoc eius,& cum venia dixerim)populorũ in conuentibus vteretur, quis acquieſceret? quis audiret? quis eum permitteret apertè aliquid iudicare? Idem l. 2.

ALIBI quoquè paulo apertiùs: Nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conuenticula dirui? in quibus ſummus oratur Deus, pax cũctis & venia poſtulatur magiſtratibus,exercitibus,regibus,familiaribus,inimicis, adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione: in quibus aliud auditur nihil,niſì quod humanos faciat,nìsì quod mites,verecũdos, pudicos, caſtos, familiaris communicatores rei (ità enim legendũ cenſeo) cum omnibus,quos ſolidet germanitatis neceſsitudine copulatio. Idem ſub finem l. 4.

D. MARCELLI ROMANI PAPAE XXXI. MISSAE.

POSTHAEC (inquiunt Notarij Romanę Eccleſiæ in vita ipſius) altare conſecrauit, Tunc participati ſunt omnes corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vita D. Marc. Pa. Tom. 1. Vit. Surij.

AC poſteà apertiùs: Lucina autem rogauit ſanctum Marcellũ Epiſcopum, vt domum eius Eccleſiam conſecraret. Quod cum omni deuotione fecit Marcellus Epiſcopus. At vbì frequenter in eadem domo Miſſas celebrâſſet in media ciuitate via Latina, & audiret hoc Maximianus, (ſeu potiùs Maxentius Auguſtus) iratus

iratus præcepit, vt in eadem Ecclesia plancæ sternerentur ad animalia stabulanda, & eundem Marcellum Episcopum ad seruitiũ animalium deputauit cum custodia publica.

Dam.l. Pontif. c. 31.

QVIBVS consentit Damasus: Matrona verò quædam (inquit) nomine Lucina, vidua, quæ vixerat cum viro Marco annis quindecim, & in viduitate sua habebat annos nouendecim, suscepit beatum virum, quæ & domum suam nomine tituli B. Marcelli dedicauit, vbì die noctuque hymnis & orationibus, Domino Iesu Christo confitebantur. His auditis à Maxentio, misit, & tenuit iterùm B. Marcellum, & iussit in eadem Ecclesia iterùm plancas externi, vt ibidèm animalia catabuli congregata starent, & ipsis B. Marcellus deseruiret.

D. VINCENTII DIACONI CAESARAVGVSTANI, ALTARIS MINISTERIVM.

Prudent. Peristeph. hym 5.

EXCLAMAT (inquit Prudentius) hîc Vincentius
Leuita de tribu sacra,
Minister altaris Dei,
Septem è columnis lacteis.

D. EVSEBII PAPAE XXXII. ROMANI, IN CONCILIO STATVTVM CIRCA SACRIFICII CONSECRATIONEM.

Burch. decr. l. 3. c. 99. Iuo part. 2. c. 134. Grat. de cõsec. dist. 1. c. Cõsulto.

HIC inter cætera (inquit Decr. suorum D. Eusebius Papa c. 51. iuxta quod citatur à D. Burchardo, Iuone, & Gratiano) prædicta, consultu omnium constituimus, vt sacrificium altaris nõ in Serico panno aut tincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro lineo (vel linteo) ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino pro-

no procreato atq; cõtexto, ſicut corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſindone linea munda ſepultum fuit.

SACRA LOCA CHRISTIANIS RESTITVTA A' MAXENTIO CAESARE INITIO SVI IMPERII.

LEGEBATVR (inquit D. Auguſtin.) Melciades miſiſſe Diaconos cum literis Maxentij Imperatoris & literis Præfecti prætorij ad Pręfectũ vrbis, vt ea reciperent loca, quę tempore pſecutionis ablata, memoratus Imperator Chriſtianis iuſſerat reddi. Aug. Breuic. coll. contr. Donatiſt. col. 3. & lib. poſt coll. c. 13.

CONVENTVS ITEM CHRISTIANI DENVO PERMISSI A' GALERIO MAXIMIANO, CONSTANTINO, ET LICINIO IMPP.

MENTEM igitur (inquiunt Euſebius & Nicephorus) recolligens Galerius Maximianus, (ità enim rectiùs vertit Rufinus iuxta faſtos Cõſulares, quàm alij, Maximinus) & tanquàm rediens ad ſe, primùm Deo omnium rerũ creatori ſe confitetur: deindè ſuis ad ſe accerſitis, perſecutionem contra Chriſtianos ſine dilatione ſedare & comprimere iubet: lege & decreto imperatorio, ipſos Chriſtianos templa ſua exædificare, rem maturare, conſueta officia in illis facere, preces pro imperij ſtatu fundere. Euſe. hiſt. Eccl. l. 8. c. 19. ſeu 29. Nicep. l. 7. c. 22. & 23.

EDICTI autem ipſius verba ſunt iſta: Nos idcircò, ad manſuetudinem noſtram, & diuturnam clementiæ noſtræ conſuetudinem, qua omnibus hominibus veniam impartire ſolebamus, oculos conuertentes: libentiſſimè iſtud conceſſimus, vt homines denuò ſe líberè Chriſtianos profiteantur, vt ædes in quibus conuenire ſolent, (Græcè συνήγοντο) reſarciant: ſic tamen, vt nihil

contra publicam Romanorum disciplinam moliantur. Per alias item literas iudicibus significabimus, quid ipsos obseruare oporteat. Vndè Christiani hac indulgentia à nobis concessa deuincti, debent Deo suo obnixè supplicare pro nostra, pro Reip. pro sua ipsorum salute, vt quouis modo cùm publicus rerum status integer & incolumis retineatur, tum ipsi in suis familijs absq; cura & solicitudine vitam traducere queant.

Euſ. l. 9. c. 1 Niceph. dict. l. c. 24.

Exequutionem eiusdem his verbis referunt Eusebius & Nicephorus: Istis igitur rebus hoc modo cóstitutis, derepentè in omnibus ciuitatibus, Christianorum conuentus frequentes in vnũ coalescẽtes, & crebros cõgressus, qui inter istos de more in ritibus suis obeundis fieri solent, tanquàm lumen quoddam post tenebras & noctem opacam effulgens, cernere licuit.

MELCIADIS SEV MILTIADIS XXXIII. PAPAE ROMANI DECRETA CIRCA OBLATIONES IN SACRIFICIO.

Ad Altare quid iuxta Apostolorum Canones offerendum.

Burch. decr. l. 5. c. 7. Iuo part. 2. c. 17.

HAE species (inquit D. Melciades Decr. c. 1. apud DD. Burchardum & Iuonem) quas non licet offerre super oblata iuxta cõstitutionem Apostolorum, eorumq; successorum, ad domũ sacerdotum deferantur, & à sacerdotibus benedicantur, & simplici benedictione benedicta, demùm à populis sumantur. Fabę tantùm & vuæ, nouæ spicæ, & oleum, & odoramenta ad incensum, & cætera quæ Apostoli constituerunt, super altare offerantur.

Oblationes mittantur per Ecclesias in signum communionis.

Dam. l. Pontif. c. 33.

MELCIADES fecit, (inquit Damasus) vt oblationes consecratæ, per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur.

Ac

AC Vener. Beda: Et hic conſtituit, vt ex conſecratu Epiſcopi, oblationes ob hæreticos per Eccleſias mitterentur. Beda in Mart. 4. Idus Decemb.

CONSTANTINI ET LICINII IMPP. EDICTVM, QVALE SVPRA, DE CHRISTIANORVM LOCIS.

ITAQVE (inquiunt Impp. Conſtantinus & Licinius apud Nicephorum & Euſeb.) & hoc in perſonam Chriſtianorum decernentes ſtatuimus: vt loca eorum in quibus anteà conuenire ſoliti fuerant, (de quibus, prioribus etiam literis noſtris alio tempore ad deuotionem tuam datis, formam & modum alium conſtitueramus) ſi ea aliqui vel à fiſco noſtro, vel à quopiam alio, emptione interueniente, comparauerint, ipſis Chriſtianis abſque pecunia & abſque repetitione vlla precij dati, citra omnem cunctationem & deliberationem reſtituant. Quòd ſi qui talia loca dono à quopiam acceperint, aut etiam ex liberalitate & munificentia noſtra conſecuti fuerint, ij ad Præfectum, cuiuſque loci iudicis locum obtinētem, adeant, vt ipſorum per benignitatem noſtram ratio habeatur. Atque ea loca omnia, nulla interpoſita mora, corpora Chriſtianorum omninò reddi curabis. Niceph. l. 7. c. 41. Euſ. l. 10. cap. 5.

SIMILE MAXIMINI CAESARIS IN ORIENTE EDICTVM.

LEX autem eius (inquiunt Euſebius & Nicephorus) ſubiectis pro Chriſtianis promulgata, talis fuit: Imperator Cæſar C. Galerius (ſic enim legendum patet ex faſtis Conſularibus, pro eo quod eſt, Valerius) Maximinus &cæt. Vt deincèps omnis cauſa dubitationis & timoris ſublata ſit, hoc edictum diuulgari ſtatuimus, quò omnibus planè conſtet, ex hac noſtra donatione, liberam eſſe poteſtatem illis, qui iſtam ſectam Euſ. lib. 9. c. 9. ſeu 8. Niceph. l. 7. c. 38.

& religionem ſequi voluërint, eam pro arbitratu ſanctè, vt eorum mos fert, & auguſtè excolendi. Quin etiam vt Dominica & ſacras ædes reficiant, à nobis conceſſum eſt.

SACRORVM MINISTRIS IMMVNITAS CONCESSA A CONSTANTINO ET LICINIO IMPERAT.

Niceph. l. 7. c. 42. d. iuxta ſanct. c. de Epiſc. & cler. Euſeb. l. 10. c. 7.

POSTEAQVAM (ſcribunt ad Anylinum Præconſulem Africę apud Nicephorum & Euſeb.) rebus multis conſtat, neglectam, contemptamque religionem, per quam ſumma ſanctiſſimi cæleſtis numinis obſeruantia, & reuerentia conſeruatur, ingentia rebus publicis intuliſſe pericula: eamque ipſam legitimè atque ſanctè receptam, & cultam, maximam Romano nomini felicitatem, plurimaque omnibus hominibus beneficia, diuina benignitate ſuppeditante, conciliâſſe: placitum nobis eſt, viros eos, qui debita ſanctitate. & præcipua talium ſacrorum cura miniſterijs ſuis per egregium ſacræ religionis cultum funguntur, laborum ſuorum digna referre præmia. Quam ob cauſam qui intrà prouinciam tibi creditam in Eccleſia Catholica ſunt, cui Cæcilianus præeſt, functionemque & operam ſuam ſanctiſſimæ religioni præſtant, quos Clericos nominare ſolent, eos ab omnibus prorsùs muneribus immunes conſeruari volumus, vt nè errore aliquo aut lapſu ſacrilego à cultu, qui ſummo numini debetur, abſtrahantur: ſed potiùs citra omnem perturbationem, religioni ſacriſque ſuis inſeruiant: Qui ſanè ſi cultum ſuum, qui longè maximus eſt, DEO ritè exhibeant plurimum rebus publicis videntur adferre commodi & emolumenti.

CONCI-

CONCILII ELIBERINI DECRETVM, DE ENERGVMENIS AD ALTARE NON ADMITTENDIS.

ENERGVMENVM (inquiunt ijdem) qui ab erratico ſpiritu exagitatur, huius nomen neque ad altare cum oblatione eſſe recitandum, neque permittendum, vt ſua manu in Eccleſia miniſtret. Concil. Eliber. can. 29.

CONCILII ARELATENSIS I. IN CAVSA CAECILIANI, DE SACRIFICIO, CANONES.

DE Diaconibus (inquiunt) quos agnouimus, multis in locis offerre, placuit minimè fieri debere. Concil. Arel. 1. ca: 15, & 20.

PEREGRINO (inquiunt ijdem) Epiſcopo, locus ſacrificandi detur.

CONVENTVVM SACRORVM ET SACRIFICIORVM PLENA TANDEM, LICINIO INTERFECTO, PER CONSTANTINVM IMP. CONCESSA LIBERTAS.

VNA (inquit Euſebius) erat ſacri ſpiritûs virtus & potentia, quæ per vniuerſa Eccleſiæ membra permeauit: vna omnium mens & ſententia, vna & eadem fidei propenſio ac ſtudium, vna ex omnium ore & conſentiens diuinitatis laus: perfectus etiam in ſummis Eccleſiæ Præfectis cultus & obſeruantia: accurata ſacrorum myſteriorum adminiſtratio: decori Eccleſiæ ritus, interdùm pſalmorum cantu, & cæteris hymnorum diuinitùs nobis traditorum recitationibus, nonnunquàm diuinis & myſticis myſterijs exequendis celebrati: erant item arcana paſsionis ſeruatoris ſymbola. Euſeb. li. 10. cap. 3. ſeu 9. cap. vlt.

ET paulò pòſt, iuxta Rufini paraphraſin: Simpliciores (inquit)

quique admirabantur & suspiciebant eos, qui per sapientiam verbi populos instruebant. Sapientes verò & eruditi viri præferebāt eos, quibus pura vita & syncera simplicitas offerendi Deo hostias, maiorem fidutiam dabat. Eisque immolandi sacrificij permittebatur officium, quos familiarior vitæ simplicitas in cordis puritate seruabat.

Burch. Decr. l. 3. c 5. Iuo part. 3. cap. 7. Concil. Tom. 1. in pfat. Donat. Constantini.

EODEM pertinet illud incerti Authoris, de munificentia Cōstantini erga Ecclesiam, quod Melchiadi Papæ perperàm adscribitur à DD. Burchardo & Iuone: Vir religiosissimus Constantinus, primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per vniuersum orbem sub suo degentes imperio, nō solùm fieri Christianos, sed etiam fabricari Ecclesias.

ET quod sequitur: Ab illo etenim tempore, & deincèps viri religiosissimi, non solùm possessiones & prædia quæ possederant, sed etiam semetipsos Domino consecrârunt, ædificante basilicas in suis fundis, in honore sanctorum Martyrum per ciuitates, ac monasteria innumera, in quibus cœtus Domino seruientium cōueniret.

Ibidèm & apud Burch. li. 3. ca. 4. ac Iuonem part. 3. c. 6.

ILLVD etiam: Deniquè Reges & Præsides ac magistratus, non solùm hanc licentiam tribuêre, sed etiam ipsi propria largiti sunt per vniuersa regna terrarum, vndè alerentur egentes, qui nihil in mundo possidebant, Ecclesiæq; Dei fabricarentur, atque restaurarentur, Deoque & Ecclesiæ eius ritè famulantibus, seruisq; illius, supplementa (vt absque necessitate essent) tribuerentur, vt hæc accipientes, possent (secundùm monita Apostoli) orationes, postulationes, obsecratiōes, gratiarumq; actiones facere, pro omnibus hominibus, pro regibus, & qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam habeant.

1. Ti. 2.

Damas. Pontif. cap. 34.

EODEM etiam spectant, quæ latè deducit Damasus in vita Diui Syluestri Papæ, de diuersis altaribus, calicibus, & patinis, alijsque donarijs aureis & argenteis, donatis ab eodem Constan-

ſtantino, in vſum Baſilicarum Romanarum, Conſtantinianæ, ſiue Lateranenſis: S. Petri, ſancti Pauli, ſanctæ Crucis in Hieruſalem, ſanctæ Agnetis, ſancti Laurẽtij, & ſanctorum Petri ac Marcellini, ab eo recens erectarum, & à D. Syluestro poſtmodùm cõſecratarum.

ITEM quod de portatili Eccleſia Conſtantini Imper. in hæc verba ſcribit Nicephorus: Et quum in imperiali palatio ſuo templum conſtruxit, tum portatilem Eccleſiam aliam fieri ſibi curauit, quæ, vbicunquè locorum eſſet, & maximè in bello, circunferri poſſet, vt ne in ſolitudine quidem agens, vbi opùs eſſet, Deumq; colere, & diuina myſteria participare deberet, ædibus ſacris careret, ad quam veluti ad tabernaculum ſemper præſtò fuère ſacerdotes & diaconi, ſine intermiſsione myſteria diuina, iuxta ſtatas Eccleſiæ cæremonias, obeuntes. Niceph. l. 7. cap. 46.

D. SYLVESTRI PAPAE ROMANI XXXIIII. DECRETVM DE ALTARIBVS LAPIDEIS, ET OBLATIO INCRVENTA.

SYLVESTER Pontifex (inquit Martinus Polonus) quum ſtatuerit vbiquè in Eccleſijs haberi altaria lapidea, in prædicta tamen Eccleſia (nempe Lateranenſi) non erexit altare lapideum, ſed ligneum antè habitum ſtabiliuit. Martinus Polon. ad ann. 315.

DE eius autem oblatione incruenta ſic habet D. Simeon Metaphraſtes: Peracto, quod præſtitutum erat, ieiunio, Petrus ſummus Apoſtolorum, huic ſanctiſsimo patri apparet in ſomnis, iubens vt ex ſacerdotibus & Diaconis ab eo aſſumerentur ij, quos vocabat nominatìm, & cum illis veniret ad ingreſſum ſpelũcæ, & illic Deo incruentũ offerret cultum: deindè ſic ſubiret per eos, q ſunt in ipſa, gradus. Dicenſq; vt alloqueretur Draconem q dicebatur, & portas ha- Simeon Metaphr. in vita Sylueſtri.

habebat in ore, præcepit vt clauem ferret manibus, & nomine Domini Iesu Christi inuocato, ad se portas traheret, & in adaptatos annulos clauem inijceret: & quum clausisset, diceret: Hæc dicit Apostolus Petrus: Hæ portæ non aperientur vsque ad, vespere carentem & horribilem, diem iudicij. Atque hæc quidem sic noctù mandata fuerant sancto Syluestro ab Apostolo. Is autem, vt iussus fuerat, & cultum peregit, & descendit.

EIVSDEM IN CONCILIO ROMANO DECRETA, CIRCA ALTARIS SACRIFICIVM.

A. Non nisì in lineo panno sacrificium celebrandum.

Act. Côc. Roman. Tom. 1. HIC (habent Acta Concilij Romani) inter cætera prædicta omnium consultu constituit in Synodo, vt sacrificium altaris non in Serico panno aut tincto quisquam celebrare præsumeret, sed in puro lineo ab Episcopo consecrato, è terreno scilicet lino procreato atque contexto, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone munda sepultum fuit.

Dam. Pôtif. ca. 34. QVOD ijsdem penè verbis Damasus repetit.

Beda in Marty. vl. Decemb. VEN. etiam Beda: Constituit vt Ecclesiæ & altaris sacrificium in sindone linea celebraretur.

Hrab. de instit. cleric. lib. 1. cap. 33. HRABANVS Maurus: Corporalis (inquit) pallium ex lino puro textum esse debet, & non ex Serico vel purpura, neque ex panno tincto, sicut à Syluestro Papa institutum inuenimus: quia in Euãgelio legitur, Sindone munda inuolutum esse à Ioseph corpus Saluatoris, & sudarium capitis eius post resurrectionem Domini, non cum linteaminibus positum, sed seorsùm inuolutum inueniri. Iohã. 20.

VVALAFRIDVS deniq; Strabus de rebus Eccl. c. 24. Marianus Scotus, Martinus Polonus in Chronic. & Radulphus Tungrensis de Can. obseru. ca. vlt.

B. Vt

B. Vt dalmaticis Diaconi in Ecclesia vtantur.

IDEM constituit, (inquit Damasus) vt Diaconi dalmaticis in Ecclesia vterentur, & palla linostima lęua eorum tegeretur. Damas. loc. cit.

REPERITVR id decretum Concilij Romani Can. 6. in hæc verba: Diaconi non sint plùs vel ampliùs per Parochiarum examen, nisì duo, & Diaconi Cardinales vrbis Romæ septem: ità tamen, vt dalmaticis vterentur, & palla linostima læuam eorum tegerent. Cõci. Rõ. can. 6.

EIVS meminit & Ven. Beda: Constituit & dalmaticas in Ecclesia, & vt palla linostima (hoc enim ibì adijciendum) eorum lęua tegeretur, scilicet Diaconorum. Beda loco cit.

ET latiùs Alcuinus: Vsus dalmaticarum à B. Syluestro Papa institutus est: nam anteà colobijs vtebantur. Colobium verò est vestis sine manicis. Significat autem in eo quod est, sine manicis, vnumquenque fidelem exercitatum esse debere ad bona opera exercenda. Cùm ergò nuditas brachiorum culparetur, vt diximus, à B. Syluestro dalmaticarum repertus est vsus. Alc. de diuin. offic.

LOCIS deniq; citatis Vualafridus, Marianus Scotus, Martinus Polonus, & Radulphus Tungrensis.

C. Vasa sacrata nullus Ostiarius, aut Lector, contingat, nullus etiam acolytus rem sacratam porrigat alijs.

NVLLVS (inquit in eadem Synodo D. Syluester) Lector vel Ostiarius vasa sacrata contingat, nullus acolytus rem sacratam à Presbytero (sic enim legunt castigatiùs DD. Burchardus & Iuo) alijs porrigat, quia aliud est minister, aliud adsistens: nisì tantùm supportet, quod ei sacerdos imposuerit ore suo benedictum. Cõc. Rõ. c. 9. Burch. Decr. lib. 5. cap. 34. Iuo part. 2. cap. 7.

D. Non nisì in sacratis locis Missæ celebrentur.

HIC etiam (inquiũt Acta eiusdẽ Cõcilij) in memorata Synodo cõstituit oĩm cum consensu, vt nullus presbyter Missas Cõc. Rõ. Act. quæ suprà.

Hh Ce-

celebrare præſumat, niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps decætero voluerit eſſe ſacerdotij.

De cõſecr. diſt. 1. ca. Nullus Presbyter Miſſas.

QVOD ijſdem verbis repetit Gratianus.

ECCLESIAE BRITANNICAE SACRA EO TEMPORE.

Beda hiſt. Angl. lib. 1. cap 8.

VBI (inquit Ven. Beda) turbo perſecutionis quieuit, progreßi in publicum fideles Chriſti, qui ſe tempore diſcriminis, ſyluis ac deſertis abditíſve ſpeluncis occultauerant, renouant Eccleſias ad ſolum vſq; deſtructas, Baſilicas ſanctorum Martyrum fundant, cóſtruunt, perficiunt, ac velutì victricia ſigna paſſìm propalant, dies feſtos celebrant, ſacra mundo corde & ore perficiunt. Manſitq; hęc in Eccleſijs Chriſti, quæ erant in Britannia, pax vſq; ad tempora Arrianæ veſaniæ.

CONCILII ARELATENSIS II. DECRETVM CIRCA CORPORIS DOMINI MYSTERIVM.

Concil. Arelat. 2. can. 15.

IN ſecretario (inquiunt Patres) Diacono inter Presbyteros ſedere non liceat, vel corpus Chriſti, præſente Presbytero, tradere non præſumat. Quod ſi fecerit, ab officio Diaconatûs abſcedat.

D. MARCI PAPAE XXXV. ROMANI DECRETVM DE SYMBOLO NICENO IN MISSA CANTANDO.

Marti. Polõ. Chron. ad ann. 338. Radulph. Tungr. de canon. obſer. cap. vlt.

MARCVS (inquit Martinus Polonus) conſtituit, vt ſymbolum alta voce in Miſſa cantaretur.

ET latiùs Radulphus Tungrenſis: Symbolum (inquit) Nicenum, id eſt, Credo in vnum Deum, ſanctus Marcus natione Romanus, ſucceſſor Sylueſtri, q. cœpit anno Domini CCC. XXXIX. vel XL. ſtatuit, vt poſt Euangelium in Eccleſia alta voce dicatur.

CON-

CONSTANTINI IMPERATORIS EDICTVM ADVERSVS HAERETICOS, NE ALIBI, QVAM IN ECCLESIA CATHOLICA, CONVENTVS FIANT.

CONTRA hæreticos (inquiunt Zozomenus & Nicephorus) legem tulit imperator, mandauitque vt templa ipsis adimerentur, Ecclesijsq; adiungerentur, & neque in ædibus priuatorum, neq; in loco publico conuentus haberent. Quinetiam illis exposuit, quòd præstaret cum Ecclesia Catholica communicare, atque ad eam accedere hortatus est. Hac lege promulgata, istarum sectarum memoria magna ex parte deleta est. Nam dum superiores regnarent imperatores, omnes qui Christum colebant, tametsi opinionibus dissentirent, tamen eodem in numero ac loco habebantur à gentilibus, & pari ratione torquebantur, nec poterant præ communibus calamitatibus curiosè in se ipsi inquirere. Et propterea singuli seorsùm per se facilè in vnum conuenire, conuentus agere, crebrò in mutuum venire colloquium solét: & licèt essent numero pauci, non tamen disiuncti sunt. At hac lege sancita, hæretici propter Episcopos & clericos, qui eos asiduè obseruabant, facultatem minimè habuerunt vel palàm, vel in occulto conuentus peragendi. Qua de causa complures eorum admodùm perterriti, se Ecclesiæ Catholicæ addixerunt. Alij autem, qui in eadem perstabant sententia, quoniam neque in vnum conuenire permissi erant, neque poterant sine metu suæ opinionis fautores docere, idcircò nullis suæ sectæ successoribus post se relictis, è vita exiuerunt. Zozom. l. 2. cap. 30. Niceph. l. 8. cap. 32.

D. FELICIS NOLANI PRESBYTERI MYSTERIORVM CONFECTIO.

APVD Nolam Campaniæ (inquit Ven. Beda) beati Felicis Presbyteri. Hic à Maximo (sic enim legendum haud dubiè, Beda in Marty. 19. Cal. Febr.

pro Maximiano) Nolanæ vrbis Episcopo, presbyterij honore prælatus est. Qui quum multa à perfidis pro nomine Christi pateretur, volentibusque omnibus eiusdem vrbis, vt Episcopus * leuaretur, non consensit, sed alterum eligens ad Pontificatûs honorem, ipse duodecim post annos, cessante persecutione, Dominica die mysterijs confectis, data pace omnibus, se in pauimentum oraturus proiecit: moxque beati viri anima de carnis ergastulo egressa, felicia regna ipse verè Felix conscendit.

* eligeret

Paul. Nol. Nat. Felic. 3.

HINC est & illud D. Paulini Nolani:

Te priùs, alma pio celebrans altaria cultu
Presbyter, instituit, placido & moderamine rexit.

D. IVLII ROMANI PAPAE XXXVI. STATVTVM DE IIS QVAE IN SACRIFICIO OFFERENDA SVNT.

Burch. decr. li. 5. c. 1. Iuo part. 2. c. 2. Gr. de cõsecr. dist. 2. c. 7. Microl. cap. 19.

QVVM omne crimẽ (inquit D. Iulius Papa Epistola ad Episcopos Aegypti, iuxta quod citatꝛ à DD. Burchardo ac Iuone, Gratiano item ac Micrologo) atq; peccatũ, oblatis Deo sacrificijs, deleatur: quid decæterò pro expiatione delictorum Domino dabitur, quandò in ipsa sacrificij oblatione erratur? Audiuimus enim quosdam, schismatica ambitione detentos, contra diuinos ordines & Apostolicas institutiones, lac pro vino in Diuinis sacrificijs dedicare: alios quoquè intinctam Eucharistiam populis, pro complemẽto communionis porrigere: quosdam etiam expressum vinum, in sacramento Dominici calicis offerre: alios verò pannum lineum musto intinctum, per totum annum reseruare, & in tempore sacrificij partem eius aqua lauare, & sic offerre: quod quàm sit Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum, non difficile

ab

ab ipſo fonte veritatis probatur, à quo ordinata ipſa ſacramentorũ myſteria proceſſerunt. Cùm enim magiſter veritatis, verum ſalutis noſtræ ſacrificium ſuis commendaret diſcipulis, non illis lac, ſed panem tantùm & calicem, ſub hoc ſacramento cognoſcimus dediſſe. Legitur enim in Euangelica veritate: Accepit Ieſus panem & calicem, & benedicens, dedit diſcipulis ſuis. Ceſſet ergò lac * ſacrificando offerri, quia manifeſtum & euidens exemplum veritatis Euangelicæ illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non liceat. Illud verò, quod pro complemento communionis, intinctam tradunt Euchariſtiam populis, nec hoc prolatum ex Euãgelio teſtimonium receperunt, vbì Apoſtolis ſuum corpus commendauit & ſanguinem. Seorsùm enim panis, & ſeorsûm calicis cõmendatio memoratur. Nam intinctum panem, alijs Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illo tantùm diſcipulo, quem intincta buccella Magiſtri proditorem oſtenderet, non quæ ſacramẽti huius inſtitutionem ſignaret. Nam quod de expreſſo botro, id eſt, de vuarũ granis populus communicatur, valdè eſt omninò confuſum: ſed ſi neceſsè ſit, botrus in calice comprimatur, & aqua miſceatur: quia calix Dominicus, iuxta Canonum præcepta, vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus populum in aqua intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergò cùm in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentiũ plebs, ei in quem credit, copulatur & iungitur: quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini, ſic miſcetur in calice Domini, vt mixtio illa non poſsit ſeparari. Nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Ergò quandò botrus ſolus offertur, in quo vini * efficacia tantùm deſignatur: ſalutis noſtræ ſacramentum negligitur, quod aquâ ſignificatur. Non enim poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, nisì vtrunque miſceatur. Et ideò, quia iam ex hoc plurima & multiplex Maiorum manauit ſentẽ-

Matt. 26.

* in ſacrificio

* efficientia

tia, omnis deincèps talis error atque præſumptio ceſſare debet, nè peruerſorum & inordinata compago, ſtatum veritatis eneruet. Et ideò nulli deincèps erit licitum, aliud in ſacrificijs diuinis offerre, niſì iuxta antiquorum ſententiam conciliorum, panem tantùm & calicem vino & aqua permixtum. Decæterò aliter, quàm præceptum eſt, faciens, tam diù à ſacrificando ceſſabit, quandiù legitima pœnitentiæ ſatisfactione correctus, ad gradus ſui officij redeat, quod amiſit.

Eiuſdem teſtimonium de Catechumenis, ab Oblatione excludi ſolitis.

D. Athan. Apol. 2. contra Arrianos.

EX iſtis (inquit idem Epiſtola ad Epiſcopos Arrianos Antiochiæ congregatos, inſerta operibus D. Athanaſij) rationibus Athanaſij facilè colligebamus, fieri non potuiſſe, vt qui morbo poſt oſtium decumbebat, in ſacris conſtiterit, & oblationem confecerit: nec oblationem proponi potuiſſe, cùm intùs catechumeni verſarentur, quibus intùs adhuc agentibus, tempus oblationis nondùm eſſe potuit.

ROMAE EO TEMPORE D. ATHANASII EPISCOPI ALEXANDRINI SYNAXES.

Idẽ Apol. 1. ad Cõſt. Imp.

PROFECTVS ſum (inquit idem D. Athanaſius) Alexandria, non ad caſtra fratris tui, aut alium quempiam, ſed Romam duntaxàt, me meaq́ue Eccleſiæ commendaturus. Ea enim mihi vnica cura fuit: quo tempore multus eram in ſynaxibus celebrandis.

Idẽ Apol. 2. ſupradicta.

EODEM pertinet illud eiuſdem de Concilio Romano: Romæ Presbyter Viton, plures Epiſcopos quàm quinquaginta in Concilium adduxit, vbì & noſtra defenſio recepta fuit, nosq́ue digni habiti ſumus communione & agape.

AQVI-

AQVILEIENSIVM SYNAXIS, CVI CONSTANS IMP. INTERFVIT.

QVINIMMO (inquit idē Athanaſius) frater tuus piæ memoriæ, in huiuſmodi templo quum Aquileiæ ſynaxis haberetur, ipſe quoquè eò ſe contulit. Idem A. pol. 1.

S. LIDORII TVRONENSIS EPISCOPI PRIMAE IN EA VRBE BASILICAE ERECTIO.

SECVNDVS (inquit D. Greg. Turonenſis) anno Imperij Cōſtantis I, Lidorius ordinatur Epiſcopus. Hic ædificauit Eccleſiam primā intrà vrbem Turonicā, quum iam multi Chriſtiani eſſent, primaq; ab eo ex domo cuiuſdā Senatoris baſilica facta eſt. Greg. Turon. hiſt. Franc. l. 10. c. 31.

LIBERII XXXVII. PAPAE ROMANI, S. PAVLINI TREVERORVM, AC OSII CORDVBENSIS, EPISCOPORVM SYNAXIS.

PACATA (inquit loco à Theodoreto citato D. Athanaſius) Eccleſia, populoque in ſacris ſynaxibus orante, Liberius Romanus Præſul, & Paulinus Galliarum Metropolitanus, alijque boni & præclari Epiſcopi, veritatis præcones, aguntur, raptantur, & in exilium mittuntur. De magno etiam & grauiſsimæ ætatis viro, eodemque Confeſſore Oſio, qui verè ὅσιος eſt, ſuperfluum arbitror mentionem facere, quum nullus fortaſsè ſit, qui cognitum non habeat, eum ab ipſis quoquè in exilium miſſum. Athan. Apol de fuga ſua. Theodo. l. 2. hiſt. Eccleſ. c. 15.

EODEM pertinet, quòd alibì idem D. Athanaſius, dictos Liberium Papam & Oſium, Italos quoquè, Gallos, Hiſpanos, & Aphricanos Epiſcopos, in exilium à Conſtantio miſſos, ſuos nuncupat ſacrorum comminiſtros. Idem ſub finē Apol. 2. contra Arrian.

HINC

Theodor. l. 2. c. 16. HINC est & illud Liberij Papæ in Dialogo cum Imp. Cōstantio apud Theodoretum: Noli (inquit) Episcoporum manu iniuriam vindicare, quam Deus non ad eiuscemodi facta, sed ad sanctificationem constituit.

D. EVSEBII VERCELLENSIS, ET LVCIFERI CARALITANI EPISCOPORVM SYNAXES.

Athanas. Tom. 12. ad Antioch. VERE nobis (inquit qui suprà D. Athanasius, epistola ad ipsos Antiochiam scripta) sacrorum comministri, vbì soletis conuentus agere, ista iubebitis promulgari. Ibidemque omnes qui pacem amant, inter se concilientur, ac deindè vbì cōciliati fuerint, vbicunquè populis videbitur, præsente quoquè vestra humanitate, synaxis celebretur, & Dn̄s publicè ab omnibus glorificetur.

EORVRDEM, ALIORVM'QVE] EPISCOPORVM CONSTANTIA, IN NON ADMITTENDIS AD SOLENNIA SECVM CELEBRANDA ARRIANIS.

Lucifer Caral. lib. de non cōueniendo cum hęreticis. QVVM pacem (inquit Lucifer lib. 4. ad Imp. Constantium Arrianū) semper habuerit Ecclesia, & vos atq; omniū sectarum hæreticos semper abiecerit, quomodò vobiscum potueramus conuenire ad Deum adorandum?

3. Reg. 13. ET paulopòst: Si homini Dei eunti in Bethel hoc repræsentatum est, cur manducâsset panem, & potum sumpsisset aquæ in loco prophano apud alienigenas, vt à leone interficeretur in via: quid nobis repræsentatum fuisset, si vobiscum Arrianis, precem fudissemus, si deniquè * passos nos fuissemus, omnia quæ celebramus Domini sacerdotes, cum pseudoepiscopis Arrianis tuis celebrare?

*pa∫si

AC rursùm: Quomodò esset vobis & nobis vnius loci conuenticulum,

uenticulum, cùm audias item Dauid dicere in Pſalmo ſexto, Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem?

POSTEA deniquè apertiùs: Si cibum vobiſcum iubemur non ſumere, credideras potuiſſe catholicos conuenire cum hæreticis, ad ſolennia cuncta celebranda vobiſcum erraticis: vobiſcum, per diaboli venenum ad omnem deductis ebrietatem, eſſe potueramus Dei cultores?

EA DE CAVSA IN D. DIONYSIVM MEDIOLANENSEM EPISCOPVM AD ALTARE IN SANCTIS SANCTORVM, AC TOLOSAE IN IPSVM CHRISTVM MISSAE MANVS.

MEDIOLANENSEM (inquit D. Hilarius l. ad eundem Conſtantium 3. qui perperàm primo loco ponitur) pijſsimam plebé, quam tu furore terroris tui turbâſti, tribuni tui adiêrunt ſancta ſanctorum, & viam ſibi omni per populum crudelitate pandentes, protraxerunt de altario ſacerdotes. Leuiùs te putas, ſceleſte, Iudæorum impietate peccâſſe? Effuderunt quidem illi Zachariæ ſanguinem, ſed quantùm in te eſt, concorporatos Chriſto, à Chriſto diſcidiſti. Hilar. Pictau. l. 3. ad Conſtant.

A c paulopòſt: Quos tu deindè in Eccleſiam Toloſanam exercuiſti furores? clerici fuſtibus cæſi, diacones * plumbo eliſi, & vt ſanctiſsimi mecum intelligunt, in ipſum Chriſtum manus miſſæ. * plumbatis

EANDEM OB CAVSAM A CONSTANTIO IMP. ARRIANO, CATHOLICORVM CONVENTVS PROHIBITI, ET ECCLESIAE EREPTAE.

CONSTANTIVS (inquit D. Athanaſius epiſtola ad monachos de perſecutione Arrianorũ) in gratiam hęreſeos, Athan. Epiſt. ad ſolitarios.

Episcopos in exilium eijcit: populos verò, dum prohibet conuentus celebrari, à meditatione pietatis precibusq; ad Deum summouet ac depellit: Rursùs, vt Saul Nobam ciuitatem sacerdotũ euertit, ità & iste eius sceleris magnitudinem superans, Ecclesias Domini hæreticis tradit.

1. Reg. 22.

SIC & Lucifer l. 3. ad Constantium: Manasses (inquit) omnibus idolis seruiendum esse mandauit, recedendum verò à Deo. Non ergò erit mirandum, si tibi vindicâsti ædes, in quas colligere sumus soliti Dei populum.

Lucif. de Regib. Apostat. 4. Reg. 21. 2. Pa. 33.

EODEM pertinet illud Rufini: Ea tempestate facies Ecclesiæ fœda & admodùm turpis erat. Ara nusquàm, nec immolatio, nec libamina.

Rufin. Eccles. hist. l. 1. c. 21.

ARIMINENSIS CONCILII PATRVM CATHOLICORVM, AD CONSTANTIVM LEGATIO, VT EPISCOPIS REDITVS ET DIVINI OFFICII PERMITTATVR CELEBRATIO.

NE deincèps (inquiunt Epistola ad Constantium apud D. Athanasium, Theodoretum & Nicephorũ) nos itineris labore affligi, atq; alienos longeq; dissitos à parœcijs nostris esse permittas: sed vt Episcopi potiùs cũ populo suo in pace sacris epulis & rebus diuinis vacare possint, pro tua salute, imperio & pace, orãtes.

Athan. de Act. Syn. Arim. Theod. l. 2. c. 19. Niceph. l. 9. c. 39.

D. HILARII PICTAVORVM EPISCOPI SACRA MYSTERIA.

A. Eius hymnorum & mysteriorum libri.

EST eius (inquit D. Hieronymus) & liber hymnorum, & mysteriorum alius.

Hier. catal. scrip.

DE quo & Hrabanus Maurus: Hilarius (inqt) Gallus Episcop⁹, Pictauis genitus, eloquẽtia conspicuus, hymnorũ carmine primus floruit.

Hrab. de instit. cler. l. 2. c. 49.

ITEM

ITEM Concil. Tolet. 4. A nõnullis (inquit) hymni magno studio, in laudem Dei atque Apostolorum & Martyrum triumphos, compositi esse noscuntur, sicut sunt hi, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt. Cõc. Tol. 4. c. 12.

QVAE ipsa verba citat Vualafridus Strabus, de reb. Eccl. c. 25.

B. Hymnus, Gloria in excelsis, ab eodem auctus.

INCIPIT deindè sacerdos, (inquit D. Alcuin9) Gloria in excelsis Deo, Hymnum in natiuitate Saluatoris ab angelis decantatum: sed à B. Hilario Pictauiẽsi posteà auctum & consummatũ. Alcuin. de diuin. off.

C. Mysteria per eum ad altaria celebrata.

HILARIVS (inquit D. Fortunatus) olìm mysterijs deputatus, aliquandò sacris altaribus sacerdos electus est. Fort. vitæ Hilar. l. 1.

D. Conuentus in Ecclesiam ad secretam Sacramentorum religionem.

CONVENTVS Ecclesiarũ (inquit ipse D. Hilarius) siue templi, quos ad secretam sacramentorum religionem ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra vel domum Dei solita est nuncupare, vel templum: scriptura quoquè vel prophetica, vel Apostolica, ad demonstrationem locorum, his est vsa nominibus. Hilar. in Psal. 127.

EODEM pertinet illud eiusdem ad Constantium Imperat. lib. 1. qui perperàm secundo loco ponitur: Verentes igitur illi (loquitur de Valente & alijs Arrianis Episcopis in Synodo Mediolanensi) populi iudicium, è Dominico ad palatium transeunt. Idem. li. 1. ad Const.

E. Diuinorum mysteriorum concelebratio, & pro Imperatoribus preces.

PERMITTAT (inquit ad Constantium ibidèm) lenitas tua populis, vt quos voluërint, quos * putauerint, quos elegerint, audiant docentes, & diuina mysteriorum solennia concelebrent, & pro incolumitate & beatitudine tua offerant preces. Ibidèm. * deputauerint.

F. Inter Diuinorum ſacramentorum officia, Cantus & Reſponſa.

Idem in Pſal. 65. AVDIAT (inquit idem alibì) orantis populi, conſiſtens quis extra Eccleſiam, vocem, ſpectet celebres hymnorũ ſonitus, & inter diuinorum quoquè ſacramentorum officia, reſponſionem deuotæ confeſsionis accipiat. Neceſsè eſt terreri omnem aduerſitatem, & bellari aduersùs diabolum, vinciq; reſurrectionis fide mortẽ, tali exultantis vocis noſtrę (vt dictum eſt) iubilo. Sciat hoc Deo placitum eſſe, hoc ſpei noſtræ teſtimonium publicas victricesque exultationis noſtræ voces perſonare: Quarum Propheta non negligens eſt, loco alio memorans: Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis. Et nè inanem iubilationis huius doctrinam atque obſeruantiam crederemus, alibì proteſtatur: Beatus populus qui ſcit iubilationem.

Pſal. 26.

Pſal. 88.

G. Statio & eleuatio manuum.

Idem in Pſal. 133. STANDVM eſt ergò (inquit alio loco) in domo Domini, quia benedictio ſtãtium placeat, & ſtãtium in domo illa ſancta & cæleſti Hieruſalem, & angelorum * frequentium, ad quam, per hanc Eccleſiæ & conuentûs noſtri domum, ſcanditur.

* frequentia,

ET paulopòſt: Eleuandæ manus ſunt in ſancta, non ad * prædicandum & orandum tantùm, ſed etiam ad operandum.

* precandum

H. Sacerdotum ſanctificatio myſterij.

Idem in Pſal. 67. AD Eccleſiæ (inquit idem) decus detracta ab diabolo gẽtium ſpolia diuiduntur, atq; etiam ex his ſpolijs domûs pulchritudo perficitur, cùm in ſacerdotes Dei ad myſterij ſanctificationem, ab aris templisq; dæmonum abſtrahuntur.

I. Oſculum & ſacerdotum benedictio.

Idem li 3. ad Conſt. OSCVLO (inquit li. 3. ad Conſtantiũ) ſacerdotes excipis, quo & Chriſtus eſt proditus: caput benedictioni ſubmittis, vt fidẽ calces.

Idem in Pſal. 132. EODEM pertinere videtur illud eiuſdem: Benedictiones enim ſola largitur Eccleſia.

Com-

L. Communio populo per presbyteros.

EPISCOPVS (inquit idem l.2. ad Constantium, qui non rectè 3. loco collocatur) ego sum, in omnium Gallicarũ Ecclesiarum atque Episcoporum communione, licèt in exilio permanens, & Ecclesiæ adhuc per Presbyteros meos communionem distribuens. Idē l. 2. ad Constant.

IVLIANI APOSTATAE IMPERATORIS CONATVS, AD TOLLENDAS CHRISTIANORVM SYNAXES.

QVAECVNQVE Ecclesiæ (inquit Nicephorus) suppetebant vasa sacra & donaria, ea abstulit, & in idolorum delubris reposuit. Niceph. li.10.ca.5.

CONSILIVMQVE eius fuit,(eodem teste) vt statas solitasq; multitudinis synaxes, ducibus eorum sublatis, tolleret. Ità enim fore arbitratus est, vt neque conuentus agere, neque docere, nobis, multo verò minùs de rebus diuinis participare, mysticaque & arcana sacra peragere, facile esset: & vt diuturniore tempore, in obliuionem etiam religionis nostræ prorsùs perueniremus. Ibid.c.20.

OMNEM etiam mouit (vtì idem scribit) funem, vt Græcorum mores ad nostra instituta accommodaret. Itaque in idolorum templis fieri curauit subsellia & primarios suggestus: instituit lectiones & doctrinas, quæ tamen Græcis dogmatibus innitentur: prætereà sacerdotes & lectores more nostro, item certas certarum horarum & dierum preces. Ibid.c. 21.

QVOD in hæc verba repetit Zozomenus: At verò quum existimaret religionem Christianam, maximam ex vita & moribus eorum, qui eam sequebantur, commendationem consecutam, instituit animo delubra gentilium tum apparatu, tum ordine religionis Christianæ adornare: subsellijs prætereà & primarijs sedibus, doctoribus lectoribusq; gentilis doctrinæ & exhortationum, Zozom. lib.5.ca.15.

quinetiam precibus in certas horas diesq; præſcriptis, monaſterijs item virorum & mulierum, qui ſapientiæ ſtudio ſe dicauerant, collegijs etiam peregrinorum & pauperum, reliqua deniq; in egẽtes benignitate, religionem Gentilem nobilitare.

EO TEMPORE DONATISTARVM FVROR IN CATHOLICORVM CONVENTVS, ET ALTARIVM AC CALICVM CONFRACTIO.

Opt. Mileuit. lib. 2. contra Parmen. BASILICAS (inquit ad illos D. Optatus Mileuitanus) inuaſiſtis, & quum altare defenderent Diaconi Catholici, tegulis plurimi cruentati ſunt, duo occiſi ſunt.

AC paulò pòſt: Vt omnia ſacroſancta ſuprà memorati veſtri Epiſcopi violarent, iuſſerunt Euchariſtiam canibus fundi, non ſine ſigno diuini iudicij. Nam ijdem canes accenſi rabie, ipſos Dominos ſuos, quaſi latrones, ſancti corporis reos, dente vindice, tãquàm ignotos & inimicos laniauerunt.

POSTEA quoquè: Exorcizâſtis & lauiſtis ſine cauſa parietes.

ET iterùm: Quid (inquit) iniquius, quàm exorcizare Spiritum ſanctum, altaria frangere, Euchariſtiam animalibus proijcere?

Ibid. li. 6. RVRSVM alibì: Quid eſt em̃ (inquit) tam ſacrilegum, quàm altaria Dei (in quibus & vos aliquandò obtuliſtis) frangere, radere, remouere? In quibus vota populi, & membra Chriſti portata ſunt: Quo Deus omnipotens inuocatus ſit. Quò poſtulatus deſcendit ſpiritus ſanctus: vndè à multis pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſurrectionis accepta eſt. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iuſſit Saluator poni, niſì quæ Matt. 5. eſſent de pace condita. Depone (inquit) munus tuum ante altare, & priùs concorda cum fratre tuo, vt poſſit pro te ſacerdos offerre.

offerre. Quid est enim altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut remouit. Quid perditorum conductam multitudinem, & vinum in mercedem sceleris datum? Quod vt immundo ore sacrilegis haustibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est. Si liuoris iudicio nos (sic enim lego, pro, non) vobis sordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui * illuc inuocari consueuerat? Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus & sanguis habitabat? Quid vos offendistis etiam vosipsi, vt illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia, sancta (vt arbitrabamini) obtulistis? Dum impiè persequimini manus nostras, illic vbi corpus Christi habitabat, ferîstis & vestras. Hoc modo Iudæos estis imitati. Illi iniecerunt manus Christo in cruce: à vobis percussus est in altari. Si Catholicos illic insectari voluistis, vel vestris illic antiquis oblationibus parceretis. Illic modò superbus inuentus es, vbi iamdudùm humilis offerebas. Ibì libenter peccas, vbì pro multorum peccatis orare consueueras. Hoc faciendo, in numerum sacrilegorum sacerdotum libenter intrâstis, sociati sceleribus prophanorum, de quibus apud Dominum Helias propheta querelam deponit. His enim locutus est verbis, quibus & vos inter alios ab ipso accusari meruistis: Domine, inquit, altaria tua confregerunt. Dum dicit, Tua: indicat, 3. Reg. 19. Rom. 11. quia res est Dei, vbì Deo aliquid à quocunque oblatum est. Sufficeret insaniæ vestræ, quòd membra laniâstis Ecclesiæ, quòd DEI populos iamdudùm in vnitate positos, vestris seductionibus diuisistis. Inter hæc omnia vel altaribus parceretis. Cur vota & desideria hominum cum ipsis altaribus euertistis?

Et posteà: Hoc (inquit) immane facinus geminatum est, Ibidèm. dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores. Quorum species reuocâstis in massas, mercem nefarijs nundinis procuran-

curantes, ad quam nec emptores eligere voluîstis sacrilegi, dum înconsideratè vendidistis. Passi estis etiam comburi manus vestras, quibus ante nos eosdem calices tractabatis. Eam rem tamen passìm vendi iussistis. Emerunt forsitan in vsus suos sordidæ mulieres. Emerunt pagani, facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis. O scelus nefarium: ô facinus inauditum: auferre Deo quod idolis præstes. Subducere Christo, quod proficiat sacrilegio.

Ibidèm. IAM illud (repetit iterùm posteà) quale est, quòd in multis locis etiam parietes lauare voluîstis, & inclusa spatia salsa aqua adspergi (sic enim lego, pro, & spargi) præcepistis. Dicite, quid vobis fecerat locus, quid ipsi parietes, vt ista paterentur? An quia illic rogatus est Deus? An quia illic laudatus est Christus? An quia illic inuocatus est spiritus sanctus?

Ibid. sub finem. AD hoc (deniquè inquit) basilicas inuadere voluîstis, vt vobis solis cœmeteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora Catholica.

DONATI HAERETICI OBLATIONVM CATHOLICARVM CONTEMPTVS.

Idem lib. 3. contra Parmem. DE aliorum (inquit idem D. Optatus de Donato Carthaginiensi) oblationibus nunquàm est dignatus accipere: vt solus secretò nescio quid ageret, & posteà cæteris perfunctoriè misceretur.

IOVINIANI IMPERATORIS CONVENTVVM ECCLESIASTICORVM RESTITVTIO.

Zozom. lib. 6. c. 3. Niceph. l. 10. cap. 39. IMPERATOR (inquiunt Zozomenus & Nicephorus) Iouinianus, experientia edoctus, diuina vindicta Iulianum grauibus malis afflictum esse, ad omnes vbiquè Præfectos scripsit, vt cunctos liberè rem diuinam facere, cōuentus cogere, & Deum ex animo

mo colere, paterentur, & vt vna in imperio Romano obseruaretur fides & religio, Christianorum videlicet. Iuraque pristina Ecclesijs reddidit. Et quæcunque clero, viduis & virginibus dudùm à Constantino & filijs eius, diuini cultûs augendi gratia, concessa, legibusque firmata: à Iuliano autem, propter summum eius in fidem nostram odium, pessimo consilio adempta & accisa fuerant, priuilegia & beneficia restituit.

D. DONATI EPISCOPI ARETINI MISSAE.

APVD Tusciam (inquiunt Ven. Beda, & Isuardus) ciuitate Aretio, natalis B. Donati Episcopi & martyris, qui tentus est tempore Iuliani Imperatoris. Cuius meminit beatus Gregori⁹, quòd fractum calicem orando restaurârit. Beda, & Isuard. in Martyr.

ET latiùs Ado: Quumque die quadam Missam celebrâsset populo, & de corpore Christi ac sanguine ipsius populus venerabiliter recrearetur, Diaconus quidam nomine Antimus, tradebat sacrum sanguinem Christi, qui subitò paganorum impulsu cecidit, & sacrum calicem comminuit. Vndè valdè tristis tam ipse, quàm populus Christi efficitur. Cuius tristitiam Dominus per beatum Donatum ilicò releuauit. Nam collecta sunt fragmenta Dominici calicis, & beato viro allata. Quæ flens ille suscipiens, oratione facta, vas in pristinam formam restaurauit. Ado ibid. ad 7. Idus August.

ANTE hos quoque D. Gregorius Papa: Virtutem Donati imitatus est, qui fractum calicem pristinæ incolumitati restituit. Greg. Dial. lib. 1. cap. 7.

ROMAE ID TEMPORIS AD MEMORIAS SANCTORVM OBLATIO.

APOSTOLVS ait, (inquit D. Optatus Mileuitanus de Macrobio Donatista) Memorijs sanctorum communicantes. Opt. Mileuit. li. 2. contra Parmen.

Eccè præsentes sunt Romę duorum memoriæ Apostolorum. Dicite, si ad has ingredi potuit, vt obtulerit illic, vbì sanctorum memorias esse constat.

D. DAMASI PAPAE ROMANI XXXVIII. CIRCA MISSAE CELEBRATIONEM STATVTA.

A. Altaris & Ecclesiæ dedicatio.

Damas. Epist. Decret. 4.

CHOREPISCOPIS (inquit D. Damasus) nec altare erigere liceat, nec vngere, aut sacrare, nec ecclesias dedicare.

B. Psalmorum cantus ante sacrificium.

Lib. Pontif. de vita Damasi.

HIC constituit (inquit liber Pontificalis) vt Psalmi die noctuq; canerētur per omnes Ecclesias, qui hoc præcepit presbyteris, Episcopis, ac monasterijs.

Vualafr. Strab. de eccl. offic. cap. 25.

QVOD ijsdem penè verbis Vualafridus Strabus: Damasus (inquit) constituit, vt psalmi die noctuque canerentur per omnes Ecclesias vel monasteria, & præcepit hoc Episcopis & Presbyteris.

Marian. Scot. hist. libr. 2.

ITEM Marianus Scotus: Damasus Papa 38. post Petrum, constituit, vt die noctuque canerentur Psalmi per omnes Ecclesias.

Beda, Ado, Vsuard. in Martyr. 3. idus Dec.

ET Beda, Ado, & Vsuardus: Hic constituit vt Psalmi die noctuque canerentur per omnes Ecclesias.

Sigebert. in Chron. ad ann. Dñi 382.

SIGEBERTVS deniquè: Instituit etiam in Ecclesia Psalmos die noctuq; cantari.

QVI omēs haud dubiè alludunt ad verba D. Hieronymi, quæ subsequuntur.

C. Psalmis additum, Gloria Patrì &c.

Hier. epi. ad Dam. Tom. 1. Concil.

PRECATVR (inquit Diuus Hieronymus) cliens tuus, vt vox ista psallentium in sede tua Romana, die noctuque canatur, & in fine psalmi cuiuslibet, siue matutinis vel vespertinis horis, coniungi præcipiat Apostolatûs tui ordo: Gloria patri, & filio,

filio, & ſpiritui ſancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. Iſtud carmen laudis, omni Pſalmo coniungi præcipias, vt fides 318. Epiſcoporum Niceni Concilij, in veſtro ore pari conſortio declaretur.

QVOD confirmat Albinus Flaccus: Gloria (inquit) Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Quæ verba ad diuiſionem Pſalmorum, qui priùs indifferenter canebantur, B. Hieronymus, Damaſo Papa petente, compoſuit. Sed quum nequaquàm id ſufficeret, prædicto Apoſtolico iterùm ſuggerente, addidit adhuc: Sicut erat in principio. Alb. Flac. de diuin. offic.

ET rursùm Sigebertus: Damaſus (inquit) Papa inſtituit rogatu Hieronymi dicere in Eccleſia in fine Pſalmorum: Gloria Patri, &c. Sicut erat in princip. Sigeb. vbi ſuprà.

ITEM Radulphus Tungrenſis: Gloria Patri, Nicena Synodus compoſuit: ſed Damaſus Papa ad Pſalmos cantari cenſuit. Radulph. de canon. obſeru. cap. vlt.

ET ijſdem penè verbis Martinus Polonus ad annum 370.

D. Epiſtolæ & Euangelij lectio.

PETO (inquit idem Diuus Damaſus ad Hieronymum) tuam charitatem, vt ſicut à rectore tuo Alexandro Epiſcopo noſtro didiciſti, Græcorum pſallentiam ad nos dirigere tua fraternitas delectetur: quia tantæ apud nos ſimplicitatis indago eſt, vt tantùm in die Dominica, Apoſtoli epiſtola vna recitetur, & Euangelij capitulum vnum dicatur: & nec pſallentium mos tenetur, nec hymni decus in ore noſtro cognoſcitur. Damaſ. epiſtol. 2. Decr.

QVOD rectiùs explicat Vualafridus Strabus: Videtur (inquit) non alias lectiones ante Euangelium fuiſſe tunc poſitas, niſi tantùm Apoſtoli Pauli, quas ſolùm nominauit, qui geſta Pontificum ſcripſit, cùm Antiphonarum mentionem ſubiunxit: Quod antè non fiebat, niſi tantùm Epiſtola beati Pauli Apoſtoli legebatur, & ſanctum Euangelium. Quod etiam ſanctus Damaſus Papa ad Hieronymum ſcribens, penè ijſdem verbis oſtendit. Et fortaſis Vualafr. de reb. eccle. ca. 22.

tasis inprimis solius Pauli lectiones eo loco legebantur: Posteà autem omnibus latiùs augmentatis, aliæ lectiones, non tantùm de nouo, verùm etiam de veteri (prout festorum ratio poscebat) intermixtæ sunt testamento.

Radulph. loco cit. ET rursùm Radulphus Tungrensis: Beatus (inquit) Hieronymus presbyter Cardinalis Epistolas & Euangelia, vt hodiè habet Ecclesia, collegit & ordinauit, vt in libro qui Comes dicitur, habetur, & ipse ait scribens ad Constantium Episcopum. Et Damasus Papa, vt nunc moris est, legi censuit.

E. Alleluia.

Hieron. vbi suprà. VBI (inquit ad D. Damasum D. Hieronymus) Deus & homo honorabili voce prædicatur, Alleluia semper cum omnibus Psalmis affigatur, vt in omni loco communiter respondeatur nocturnis temporibus. In Ecclesia autem, à sancta resurrectione vsque ad * sanctum Pentecosten finiatur: inter dierum verò spatia quinquagesimæ, propter nouitatem sancti Paschæ, vt vox ista laudis canatur.

Greg. 1. ad Ioan. Syracus. Amal. de offic. eccl. lib 4. c. 33. EVNDEM locum citat D. Gregorius Papa 1. epist. citata ab Amalario: Vt Alleluia hîc diceretur, (inquit) de Hierosolymorum Ecclesia, ex B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ, traditur tractum.

F. Symboli Constantinopolitani recitatio.

Sigeb. ad ann. Domini 688. Rupert. de diuin. offic. cap. 21. lib. 2. DAMASVS Papa (inquiunt Sigebertus & Rupertus) instituit, Credo in vnum Deum, solennibus diebus cantari, ex decreto sanctæ secundæ vniuersalis Synodi, à 150. Episcopis Constantinopoli celebratæ.

QVOD latiùs repetit Radulphus Tungrensis: Deindè (inquit) eiusdem symboli forma, quam Græcorum & Latinorum confessio prædicat, & quam post Nicenum Concilium sancti Patres tradiderunt in sancta & vniuersali Synodo secũda, apud Cõstantino-

polim

polim celebrata tempore B. Damasi Papæ, circa annum Domini 387. idem sanctus Papa in solennibus diebus ad Missam cantari instituit.

G. Populi salutatio & exhortatio.

NEC liceat (inquit idem D. Damasus) Chorepiscopis, Episcopo coràm posito, populum docere, aut salutare, aut exhortari. Damas. Epist. Decr. 4.

H. Pœnitentium reconciliatio.

NEC publicè quidem (inquit de ijsdem ibidèm) in Missa pœnitentem reconciliare. Ibid.

I. Corporis & sanguinis Domini confectio.

NEC etiam (inquit de ijsdem) præsente Episcopo, nisì eo iubente, sacramentum corporis & sanguinis Domini conficere illis liceat. Ibid.

EODEM pertinet illud eiusdem: Sacerdotum, qui proximiores Deo sunt, & proprio ore corpus Domini conficiunt. Dam. Epistol. Decr. 3.

EIVSDEM IN CONCILIO ROMANO DECRETVM DE OBLATIONIBVS.

HANC consuetudinem, (inquiunt apud Gratianum) quæ contra sanctam Ecclesiam Catholicam agere videtur, omninò interdicimus, vt nullo modo, vllo vnquàm tempore, oblationes quæ intrà sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio laicorũ detineantur, sed tantummodò sacerdotibus, qui quotidiè Domino seruire videntur, illis solis liceat comedere & bibere: quia in veteri Testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filijs Israel, nisì tantummodò Aaron & filijs eius, qui longè erant ab istis panibus, qui nunc in sancta Ecclesia offerũtur, quia illi sub vmbra legis erant: Qui verò modò sub gratia sunt Spiritûs sancti, toti mundo, Euangelio coruscante, lucidiores esse videntur. Gratian. 10. 4. 1. c. Hanc.

D. OPTATI EPISCOPI MILEVITANI, SACRIFICII RITVS.

A Altarium ſolennis aptatio.

Opt. cont. Parmen. lib. 3. DICEBATVR (inquit D. Optatus) illo tempore venturos eſſe Paulum & Macarium, qui intereſſent ſacrificio, vt quum altaria ſolennia aptarentur, proferrent illi imaginem (Cæſaris nempe ſtatuam, vtì rectè interpretatur Fr. Balduinus) quam primò in altari ponerent, & ſic offerretur ſacrificium.

B. Altare linteamine coopertum.

Ibid. l. 6. QVIS fidelium (inquit idem alibì) neſcit, in peragendis myſterijs ipſa ligna linteamine cooperiri? Inter ipſa ſacramenta velamen potuit tangi, non lignum.

Ibid. EODEM pertinet quod paulopòſt: Exterſiſtis (inquit) cum codicibus pallas. Nisì fallor, has purificare properâſtis, lauiſtis proculdubiò pallas.

C. Vini vſus in ſacrificio.

Ibid. l. 3. NAM & vinum (inquit alio loco) à peccatoribus operarijs & calcatur, & premitur, & ſic indè Deo ſacrificiũ offertur.

D. Populi ſtatio.

Ibid l. 4. POPVLVS (inquit idem) in Eccleſia ſedendi non habet poteſtatem.

E. Communis Oratio.

Ibid l. 3. CONTRA (inquit idem) ſub Macario cõmouebantur oẽs, vt Deus vnus pariter in Eccleſia ab omnibus rogaretur.

F. Oratio ad Patrem per filium.

Ibid. PAGANVM (inquit ibidèm) vocas eum, qui Deum patrẽ per filium eius ante aram rogauerit?

G. Lectionum recitatio.

Ibid. l. 6. POLLVTOS (inquit idem) vocas, quia furtiuas vobiſcum non legimus lectiones, aut negate vos alienas lectiones legere, ſi poteſtis: vt quid audetis Epiſtolas, ad Corinthios ſcriptas, legere,

gere, qui Corinthijs communicare noluiſtis? Vt quid ad Galatas, ad Theſſalonicenſes ſcriptas recitatis, in quorum communione non eſtis?

ET poſteà: An quia vobis abſentibus, illic Prophetæ & Euangelia ſancta recitata ſunt?

Ac alibì: Per loca ſingula diuinum ſonat vbiquè præconium. Non ſilent ora Lectorum. Manus omnium, codicibus plenæ ſunt.

H. Ritus ſacrificiorum ſolennis.

VISA eſt (inquit idem) puritas, & ritu ſolito ſolennis conſuetudo perfecta eſt. Cùm viderent diuinis ſacrificijs, nec mutatum quicquam, nec additum, nec ablatum. Ibid. l. 3.

I. Oblatio pro Eccleſia vna.

IAM & mendacium veſtrum (inquit contra eoſdem) hoc loco iuſtè damnari poteſt, quo quotidiè à vobis ſacrificia condiuntur. Nam quis dubitet, vos illud legitimum in Sacramentorũ myſterio præterire non poſſe? Offerre vos Deo dicitis pro Eccleſia, quæ vna eſt: hoc ipſum mendacij pars eſt, vnam te vocare, de qua feceris duas. Et offerre vos dicitis pro vna Eccleſia, quæ ſit in toto terrarum orbe diffuſa. Quid ſi vnicuique veſtrûm dicat Deus: Quid offeres pro tota, qui non es in tota? Ibid. l. 2.

K. Oratio pro Imperatoribus.

IAM tunc (inquit de Donato Carthaginienſi) meditabatur cõtra præcepta Apoſtoli Pauli, Poteſtatibus & Regibus iniuriam facere, pro quibus, ſi Apoſtolum audiret, quotidiè rogare debuerat. Sic enim docet B. Apoſtolus Paulus: Rogate pro Regibus & Poteſtatibus, vt quietam & tranquillam vitam cum ipſis agamus. Ibid. l. 3. 1. Tim. 2.

L. Corporis & ſanguinis Domini in altari præſentia.

QVID enim eſt altare, (inquit loco ſuprà citato) niſì ſedes corporis & ſanguinis Domini? Ibid. l. 6.

ET

ET paulopòst: Quid vos offenderat Christus, cuius illic per
* habebat? certa momenta corpus & sanguis * habitabat?

M. Orationis Dominicæ recitatio.

Ibid. l. 2. ETENIM (inquit alibì) inter vicina momenta, dum manus imponitis, & delicta donatis, mox ad altare conuersi, Dominicam orationem prætermittere non potestis. Et vtiquè dicitis: Pater noster, qui es in cælis, dimitte nobis debita & peccata nostra.

Ibid. l. 3. ET rursùm: Nobis (inquit) & vobis vna est conuersatio, & si litigant hominum mentes, non litigant sacramenta. Vnum Deum rogamus, Dominica Oratio apud vos & nos vna est.

N. Pax vobiscum, in sacrificio recitatum.

Ibid. ET non potuistis (inquit ad eosdem) prætermittere, quod legitimum est. Vtiquè dixistis, Pax vobiscum: Cùm Deus contrà, pax, & vbì pax? Hoc est dicere, Quid salutas, de quo non habes? Quid nominas, quod exterminâsti? salutas de pace, qui non amas.

D. MARTINI TVRONENSIS EPISCOPI MISSARVM SOLENNIA.

Seuer. Sulpit. Dial. 2. de vita S. Mart. MARTINVM (inquit Seuerus Sulpitius) vsque in eam horam, qua solennia populo agi consuetudo deposceret, in Secretario sua solitudo cohibebat. Ergò hoc secretum beati viri pauper ille captans, cùm ei Archidiaconus dare tunicam distulisset, irrupit, dissimulatum se à clerico querens, ac algere deplorans. Nec mora: sanctus, paupere non vidente, intrà amphibalum sibi tunicam latenter educit, pauperemque contectum discedere iubet. Dein paulopòst Archidiaconus ingressus admonet, pro consuetudine expectare in Ecclesia populum, illum ad agenda Missarum solennia debere procedere. Cui ille respondens, ait: Pauperem priùs (de se autem dicebat) oportere vestiri, se ad Ecclesiam non posse

posse procedere, nisi vestem pauper acciperet. Diaconus verò nihil intelligens, quia extrinsecùs indutum amphibalo, veste nudum interiùs non videbat, postremò pauperem non comparére causatur. Mihi (inquit) vestis quæ parata est, deferatur: pauper non deerit vestiendus. Arctatus demùm clericus, & necessitate compulsus, iamque felle commotus, è proximis tabernis nigerrimam vestem, breuem atque hispidam, quinque comparatam argenteis rapit, atq; ante Martini pedes iratus exponit. En (inquit) vestem, sed pauper hîc non est. Ille nihil motus, iubet eum paulùm stare pro foribus, secretum vtiquè procurans, dum sibi vestem nudus imponeret, totis viribus elaborans, vt posset occultum esse, quod fecerat. Sed quandò in sanctis viris latent ista quærentibus? Velint, nolint, cuncta produntur. Cum hac igitur, oblaturus sacrificium Deo, veste procedit. Quo quidé die (mira dicturus sum) cùm iam altarium, sicut est solenne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicare, ità vt in sublime contendés, longiùs collum, crinemq; flamma produceret.

QVOD ipsum occasione similis miraculi repetitur à D. Gregorio Turonensi, in hæc verba: Pro instructione credentium, narrare aliqua nó pigebit, qua scilicet se virtus B. Martini reuelatione reuelauit, ità vt apparéret multis ignitus globus ille terribilis, qui quondàm eo solennia celebrante, emerserat paucis visibilis, à capitis arce prorumpens. Greg. Turon. de Glor. Cóf. c. 20.

Ac paulopòst: Ingredientibus autem nobis, subitò repleuit cellulam illam fulgor terribilis. ità vt præ timore & splendore nimio, adstantium oculi clauderentur. Discurrebat autem per totam cellulam, tanquàm fulgur, non paruum nobis ingerens metum. Nec quisquam scire poterat quid hoc esset, nisi quòd omnes pauore prostati, solo iacebant. Tunc ego: Nolite, inquam, timere. virtus est enim sanctorum, quam cernitis. Præsertim autem rememoramini librum vitæ beati Martini, & recolite, qualiter verba

ſacrata promenti, de capite globus ignis egreſſus, vſque ad cælos viſus eſt conſcendiſſe. Ideò nè terreamini, ſed ipſum nos cum ſanctis reliquijs credite viſitâſſe.

Seuer. Sulpit. Dial. 3. ET rursùm (narrante eodem Seuero Sulpitio) teſtatur Arborius ex præfecto, vidiſſe ſe Martini manum ſacrificium offerentis, veſtitam quodammodò nobiliſsimis gemmis, luce micare purpurea, & ad motum dexteræ, colliſarum inter ſe fragorem audîſſe gemmarum.

D. AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI MISSA, ET EODEM SPECTANTIA.

A. Templorum dedicatio ad ſacrificium.

Ambr. ſub finem exhort ad Virg. TE nunc precor (inquit D. Ambroſius, oratione de dedicatione Eccleſiæ SS. Vitalis & Agricolæ) vt ſupra hanc domũ tuam, ſupra hæc altaria, quę hodiè dedicantur, ſupra hos lapides ſpirituales, quibus ſenſibile tibi in ſingulis templum ſacratur, quotidianus præſul intendas: orationesq́; ſeruorum tuorum, qui in hoc loco fundũtur, diuina tua ſuſcipias miſericordia. Fiat tibi in odorem ſanctificationis omne ſacrificium, quod in hoc templo fide integra, pia ſedulitate defertur. Et cùm ad illam reſpicis, hoſtiam ſalutarem, per quam peccatũ mundi huius aboletur, reſpicias etiã ad has piæ hoſtias caſtitatis.

B. Idq́ue cum reliquijs Martyrum.

Idẽ epiſt. 85. QVVM baſilicam (inquit alibì) dedicâſſem, multi tanquàm vno ore interpellare cœperant, dicentes: Sic in Romana baſilica dedices? Reſpondi, faciam, ſi Martyrum reliquias inuenero.

C. Eorundem ornatus.

Idẽ offic. l. 2. c. 21. MAXIME (inquit idem) ſacerdoti conuenit, ornare Dei templum decore congruo, vt etiam hoc cultu aula Domini reſplendeat.

D. Sacerdotium conſecratio per Manûsimpoſitionem.

MANVS verò (inquit) impoſitiones, verba ſunt myſtica, q. bus cõfirmatur ad hoc opus electus, accipiens authoritatem teſte cõſcientia ſua, vt audeat vice Domini ſacrificiũ Deo offerre. Idem in 1. Tim. c. 4.

E. Eorum, aliorumq; ſacrificij miniſtrorum continentia.

INOFFENSVM (inquit) exhibendum & immaculatum miniſterium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo cõſortio coniugali, ſacri miniſterij gratiam recepiſtis. Quod eò non prӕterij, quia in pleriſq; abditioribus locis cùm miniſterium gererẽt, vel etiam ſacerdotiũ, filios ſuſceperũt, & id tanquàm vſu veteri defendũt, quandò per interualla dierũ ſacrificium deferebatur: & tamen caſtificabatur etiam populus per biduum aut triduum, vt ad ſacrificium purus accederet, vt in veteri teſtamento legimus: Et lauabat veſtimenta ſua. Si in figura tanta obſeruantia, quanta in veritate? Diſce ſacerdos atque Leuita, quid ſit lauare veſtimenta tua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas ſacramentis. Si populus ſine ablutione veſtimentorum ſuorum prohibebatur accedere ad hoſtiam ſuam, tu illotus mente pariter & corpore, audes pro alijs ſupplicare? audes pro alijs miniſtrare? Idẽ Offic. l. 1. c. 50. Exod. 19.

F. Vaſa aurea ad ſacrificium initiata.

QVVM eſſet propoſitum, (inquit) vt Eccleſiӕ vaſa iam traderemus, hoc reſponſi reddidi: Me, ſi de meis aliquid poſceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum: id quod mei iuris eſſet, libenter offerre: templo Dei nil poſſe decerpere, nec tradere illud, quod cuſtodiendum, non tradendum, acceperim. Deindè conſulere me etiam imperatoris ſaluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Idẽ Orat. in Auxentium.

ET alibì: Nos (inquit) aliquandò in inuidiam incidimus, qui confregerimus vaſa myſtica, vt captiuos redimeremus. Idem l. 2. c. 28. offic.

Ac paulopòſt: Aurum habet Eccleſia, non vt ſeruet, ſed

vt eroget, & ſubueniat in neceſsitatibus.

Et rursùm: Sanè ſi quis deriuet emolumenta, crimen eſt: Sin verò pauperibus erogat, captiuum redimit, miſericordia eſt. Nemo enim poteſt dicere, cur pauper viuit? Nemo poteſt queri, quia captiui redempti ſunt: nemo poteſt accuſare, quia templum Dei ædificatum eſt: nemo poteſt indignari, quia humandis fidelium reliquijs ſpatia laxata ſunt: nemo poteſt dolere, quia in ſepulturis Chriſtianorum requies defunctorum eſt: In his tribus generibus vaſa Eccleſiæ etiam initiata, confringere, conflare, vendere licet. Opùs eſt vt de Eccleſia myſtici poculi forma non exeat, nè ad vſus nefarios, ſacri calicis miniſterium transferatur. Ideò intrà Eccleſiam primùm quæſita ſunt vaſa, quæ initiata non eſſent, deindè comminuta, poſtremò conflata, per minutas erogationes diſpenſata egentibus, captiuorum quoquè precijs profecerunt. Quòd ſi deſunt noua, & quę nequaquàm initiata videantur: in huiuſmodi vſus, quos ſuprà diximus, arbitror omnia piè poſſe conuerti.

G. Eccleſiæ conuentus ad ſacrificium.

Idē Apol. Dauid c. 17. Cant. 8.

MVRI (inquit) Hieruſalem, Eccleſiarum conuentus ſunt, toto orbe fundati. Eccleſia enim dicit: Ego murus, & vbera mea turris. Et benè muri Heruſalem, Eccleſiarum conuenticula ſunt: quoniam quiſquis bona fide atque opere ingreditur Eccleſiam, fit ſupernæ illius ciuis & incola ciuitatis; quæ deſcendit de cælo. Hos muros, lapidum ædificat ſtructura viuorum. Videns igi-

Pſal. 50.

tur Hieruſalem veram & Sion, dixit: Cùm direxeris in voluntate tua Hieruſalem & Sion, tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ: hoc eſt, ſacrificium corporis Chriſti.

Idē offic. l. 1. cap. 33.

Et alibì: Augetur beneuolentia cœtu Eccleſiæ, fidei conſortio, initiandi ſocietate, percipiendæ gratiæ neceſſitudine, myſteriorum communione.

H. In ijs ſilentium & reuerentia.

AN quicquam indignius eſt, (inquit) quàm oracula diuina circunſtrepi, nè audiantur, nè credantur, nè reuelentur? circunſonari ſacramenta confuſis vocibus, vt impediatur oratio, pro ſalute deprompta omnium, cùm gentiles idolis ſuis reuerentiam tacendo deferunt? Vndè illud exemplum proditur: Alexandro ſacrificante Macedonum rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio, atque aduſto corpore, manſiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu, nec tacito pœnam indicâſſe fletu. Tanta in puero barbaro fuit diſciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret: atque ille non deos, qui nulli erant, ſed regem timebat. Quid enim timeret eos, quos ſi idem ignis contigiſſet, arſiſſent? Quid, quòd quidam in conuiuio patris adoleſcens iubetur, nè meretricios amores indicijs inſolentibus prodat? Et tu in miniſterio DEI virgo, gemitus, excreatus, tuſſes, riſus abſtine. Quod ille in conuiuio poteſt, tu in miniſterio Dei non potes? Vocis virginitas prima ſignetur, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, inſtituat conſuetudo naturam. Virginem mihi priùs grauitas ſua nunciet, pudore obuio, gradu ſobrio, vultu modeſto, & prænuncia integritatis anteeant ſigna virtutis. Non ſatìs probabilis virgo eſt quæ requiritur cùm videtur. Frequens ſermo eſt, cùm plurima ranarum murmura religioſæ aurib9 plebis obſtreperent, ſacerdotem Dei pcepiſſe, vt conticeſcerent, ac reuerentiam ſacræ deferrent orationi: tunc ſubitò circunfuſos ſtrepitus quieuiſſe. Silent igitur paludes, homines non ſilebunt? Et irrationale animal per reuerentiam recognoſcit, quod per naturam ignorat: hominum tantam eſſe immodeſtiam, vt plerique deferre neſciant mentium religioni, ſed deferunt aurium voluptati? Idem li.3. de Virg.

1. Inclinatio quoquè & proſtratio.

VENIT quis (inquit) in Eccleſiam, dum honorem affectat ſub Imperatoribus Chriſtianis: ſimulato metu orationem ſe fingit deferre, inclinatur, & ſolo ſternitur, qui genu mentis non Idem in Pſal. 118. ſerm. 20.

flexerit: Videt illum homo, & Christianum putat: videt homo orantem suppliciter, & credit: sed Deus audit negantem.

K. Infideles ab oblatione excludendi.

Idem lib. 7. in Luc. cap. 9.

QVAE lector (inquit) agnoscis, infidelis intelligere non debet: non quô cibus imperetur aut potus, sed sacræ oblationis veneranda communio reueletur. Non ergò interdictum est muneris, sed religionis mysterium, communionem nobis cum gentibus mortuis non futuram.

L. Intrà cancellos sacrificij celebratio.

Theodor. li. 5. ca. 17.

THEODOSIVS Imperator (inquit Theodoretus) quum dona, vtì solebat, obtulisset, intùs propè cancellos mansit. At rursùs magnus ille Ambrosius non conticuit quidem, sed locorum differentiam eum docuit. Ac primùm sciscitatur, ecqua re egeret: Et cùm respōdisset Imperator, se expectare diuinorum mysteriorum perceptionem, significauit illi per primarium Diaconū, qui ei ministrabat, ad loca interiora solis sacerdotibus aditum patére, eademq; alijs omnibus inaccessa esse, nec debere tāgi. Iubet igitur vt exeat, & cum reliquis laicis consistat. Nam purpura, (inquit) imperatores, non sacerdotes, efficit. Quam admonitionem itidèm excepit lubens Imperator fidelissimus: respondítque se non animi cōfidētia inductum, māsisse intrà cancellos, sed hāc cōsuetudinem Cōstantinopoli didicisse. Quarè habeo (inquit) etiam pro hac medicina gratiam.

Zozom. hist. eccl. l. 7. ca. 24.

ET post eum Zozomenus: Moris (inquit) erat, vt Imperatores dum sacris interessent, in sacrario sederent, Maiestatis ergô à populi consortio separati. Ambrosius autem considerans eam consuetudinem vel ex assentatione, vel ex ordinis inscitia esse natam, Imperatori in Ecclesia locum assignauit ante sacrarij cancellos, ità vt populum Imperator, Imperatorem sacerdotes ordine sedis antecederent. Hanc autem optimam constitutionem Theodosius Imperator approbauit, & successores eius corroborauerunt, ac nos

eam

eam ex eo vſque tempore conſeruatam cernimus.

NICEPHORVS quoq;: Dono (inquit) ex conſuetudine oblato, intrà ſacros cancellos permanſit, in ſanctiore ſacerdotum loco, vbì antiquitùs Imperatores conſiſtere mos erat, propter dignitatis ſublimitatem, à plebe ſegregatos. Quam rem quòd Ambroſius adulationis magìs, quàm ordinis recti, eſſe putabat, Imperialis quoq; ſtationis locum, ità vt par erat, in ordinem ſuum redegit, pro tabulatis ſeu cancellis ſacrarij ſede illi deſignata: vt Imperator honoratiorem quidem præ populo ſtationem haberet: præ illo autem, ſacer ordo locum ſublimiorem obtineret. Eum ordinem vt optimum Theodoſius tum laudauit, poſteri quoq; confirmârunt: qui indè ad hęc vſq; tempora ſeruatur. Niceph. eccl. hiſt. li. 12. c. 41.

AC paulò pòſt: Poſtquàm in ſacrarium ingreſſus eſt Theodoſius, blandè eum, ſi quid vellet, Ambroſius interrogauit. Ille verò ſe ibì diuinorum myſteriorum perceptionem expectaturum eſſe reſpondit. Antiſtes, primario diacono internuncio vſus, ei ſignificauit, ſacrarium interius à ſolis adiri ſacerdotibus: reliquos autem omnes ſe aditu eius abſtinere. Exeũdum igitur ſibi eſſe, & in communi cum alijs loco ſtandum eſſe: Purpuram Imperatores, non ſacerdotes, facere dicens. Imperator diuinus, illi rursùm renunciari iuſsit, non temeritate ſe adductum, ſed conſuetudinem quę Conſtantinopoli ſeruaretur, ſequutum, intrà ſacrarij cancellos veniſſe. Magnas verò eo etiã nomine de tali inſtitutiõe ſe illi gratias agere. Ibidem.

M. Ad altare ſacrificij oblatio.

NEC priùs (inquit Paulinus Mediolanenſis presbyter) ad altare accedere voluit, niſì fide ſua Imperator illum agere debere teſtaretur. Cui Epiſcopus: Ergò ago fide tua. Reſpondit Imperator: Age fide mea. Qua ſponſione iterata, iam ſecurus peregit, ſacerdos diuina myſteria. Paulinus in vita Ambr.

EODEM pertinet illud D. Ambroſij. Miniſterium altaribus Chriſti, non obſequium hominibus, deferendum recepimus. Ambr. li. Offic. 1. cap. 26.

Idē l.4.de sacr.ca.12. ET quod alibì dicit: Forma Corporis Christi, altare est, & corpus Christi est in altari.

Idē l.5.ca. 2. de sacr. AC posteà in eodem opere: Quid est enim altarè, nisi forma corporis Christi?

Idem Epist. 85. MVLTO etiam apertiùs idipsum inculcat, dum de martyribus agit, sub altari sepultis: Succedant (inquit) triumphales victimæ in locum vbi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt sanguine. Hunc ego locum prædestinaueram mihi. Dignum est enim, vt ibì requiescat sacerdos, vbi offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem: locus iste martyribus debebatur. Condamus ergò reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus inuehamus, totumq; diem fida deuotione celebremus.

N. Altaris compositio.

Idē de ijs qui myst. initiātur, cap. 8. VENIT igitur (inquit idem) plebs, & videns sacrosanctum altare compositum, exclamans ait: Parâsti in conspectu meo mensam.

Idem lib. de sacr. 4. cap. 3. ET alibì: Venisti ad altare, vidisti sacramenta posita super altare.

O. Vsitatum iam tum illud, Introibo ad altare Dei.

Idem de ijs myst. init. c. cit. HIS abluta (inquit) plebs, diues insignibus, ad Christi contendit altaria, dicens: Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Depositis enim inueterati erroris exuuijs, renouata in aquilæ iuuentutem, cæleste illud festinat adire conuiuium.

Idem l. 4. de sac. c. 2. ET alio loco: Veniebas ergò desiderans, vtpotè qui tantam gratiam videras: veniebas desiderans ad altare, quo acciperes sacramentum. Dicet anima tua: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratiæ iuuentutem. Hoc præstiterunt tibi sacramēta cælestia.

P. Suffi-

P. Suffitus altarium.

VTINAM nobis quoquè (inquit) adolentibus altaria, ſacrificium deferentibus, adſiſtat angelus, immò præbeat ſe videndum. Idem in Luc. ca. 1.

Q. Carminum & hymnorum diuinorum concentus.

CONSIDERATE, (inquit) cuius Maria ſoror Moyſi, ſpeciem tunc gerebat. Nónne Eccleſię, quę religioſos populi cœtus, qui carmina diuina concinerent, immolato virgo ſpiritu copulauit? Idem li. 1. de Virg.

ET alibì: Aures tuas (inquit) non penetrabat hymnorum ſpiritualium cantus. Idem ad virg. lapſ.

AC rursùm: Nihil incantatores valent aduersùs Eccleſiam, vbì quotidiè Chriſti canticum decantatur. Idem li. 4. Exã. ca. 8.

APERTIVS quoq;: Hęc eſt enim ſymphonia, quãdò concinit in Eccleſia diuerſarum ætatum atque virtutum velut variarum chordarum indiſcreta concordia. Pſalmus reſpondetur: Amen dicitur. Hęc eſt ſymphonia, quam ſciuit & Paul⁹, & ideò ait: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Idẽ li. 7. in Luc. c. 15. 1. Cor. 14.

ATQVE hoc eſt, quod de ſacrificij cæremonijs loquens, dicit: Laus Deo defertur. Idẽ. l. 4. de ſacr. ca. 4.

EODEM pertinet illud D. Auguſtini: Quantùm (inquit) fleui in hymnis & canticis tuis, ſuaue ſonãtis Eccleſię tuę vocibus commotus acriter: Voces illę influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat indè affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat cum eis. Non longè cœperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis & exhortationis celebrare, magno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirùm annus erat, aut non multo ampliùs, cùm Iuſtina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſeruo Aug. Cõf. lib. 9. cap. 6. & 7.

tuo. Tunc hymni & pſalmi vt canerentur ſecundùm morem Orientalium partium, nè populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt: & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus.

Ambr. Orat. ad popul. de Auxẽtio.

ITEM quod de hymnis ſuis ipſe D. Ambroſius commemorat: Hymnorum meorum carminibus populum deceptum volunt. Planè nec hoc abnuo. Grande carmen iſtud eſt, & quo nihil potentius. Quid enim potẽtius, quàm confeſsio Trinitatis, quę quotidiè totius populi ore celebratur? Certatìm omnes ſtudẽt fidem fateri, patrem & filium & ſpiritũ ſanctum nôrũt verſibus pdicare.

QVORVM etiam mentionem faciũt D. Benedictus in Regula, Hrabanus Maurus de inſtitut. cler. li. 2. c. 49. Vualafridus Strabus de reb. Eccl. c. 25. Berno de Miſſa c. 2. ac Decanus Tungrenſis frequenter, quorum verba compendij gratia prætermitto.

R. Antiphonarum Vſus.

Paulinus in vit. D. Ambr.

HOc in tempore (inquit Paulinus Mediolanenſis) primùm Antiphonæ hymni ac vigilię in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperũt. Cuius celebritatis deuotio vſq; in hodiernum diem non ſolùm in eadem Eccleſia, verùm per oẽs penè Occidentis prouincias manet.

Vual. Str. locis cit.

QVI locus citatur ad verbum à Vualafrido Strabo.

Iſid. de eccleſ. offic. lib. 1. ca. 7. Hrab. de inſt. cler. li. 2. ca. 50. Iſaiæ 6.

IDIPSVM adfirmãt D. Iſidorus & Hrabanus: Antiphonas (inquiũt) Gręci primùm compoſuerũt, duobus choris alternatìm cõcinẽtibus, quaſi duo Seraphim, duo quoq; Teſtamẽta inuicèm ſibi conclamãtia. Apud Latinos aũt primus idem beatiſsimus Ambroſius antiphonas cõſtituit, Gręcorum exemplum imitatus. Exhinc in cunctis occiduis regionibus earum vſus increbuit.

Sigeb. ad ann. 388.

ITEM Sigebertus in Chronicis: Ambroſius ritum canendi Antiphonas in Eccleſia primus apud Latinos trãſtulit à Græcis, apud quos hic ritus iam inoleuerat ex inſtituto Ignatij Antiocheni Epiſcopi & Apoſtolorum diſcipuli, qui per viſiõem in cælum raptus,

vidit

vidit & audiuit, quomodò angeli per Antiphonarum reciprocationem, hymnos sanctę Trinitati canebant.

QVOD paucis etiam repetit à Martino Polono in Chronicis.

LATISSIME verò omnium Radulphus Tungrẽsis: Antiphona (inquit) ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet choris alternatìm psallẽtibus, ordine commutato, siue de vno ad vnum. Quod genus psallendi, Gręci inuenisse traduntur. Tamen ex hoc vniuersaliter in Ecclesiam Dei cantus nõ fuit introductus: sed postmodùm tempore Theodosij iunioris, sicut in vita B. Ambrosij legitur, in Ecclesia Mediolanensi, Cantus & hymni cœperũt frequentari. Et tempore successiuo à B. Ambrosio apud Latinos, & ad Missam, & ad alias Horas diuinas cantus publicus cum hymnis metricis est introductus. Vndè in Chronicis legitur, quòd Ambrosius ritum Antiphonarum in Ecclesia canendarum primus à Græcis transtulit ad Latinos. Radulph. de can. ob ser. ca. 12.

S. Episcopi ad populum salutatio.

Pronũciat (inqt) Episcop⁹ huiusmodi ad populũ, dicẽs: Pax vobis. Ambr. de dign. sacerd. ca. 5.

T. Populi ad obsecrandum exhortatio.

SACRIFICIA quoq; ipsa (inquit) Deo probata esse nõ possunt, nisì confeßio vocis adspiret, quæ sacerdotali oblatione, ad obsecrãdam Dei gratiam populos excitare consueuit. Idem de fid. resurr.

V. Orationes quatuor.

OBSECRO ergò (inquit Apostolus, teste eodem D. Ambrosio) primùm fieri obsecrationes, gratiarum actiones. Prima ergò Oratio laudem debet habere Dei, Secunda supplicationem, Tertia postulationem, Quarta gratiarum actionem. Idem de sacr. lib. 6. cap. 5. 1. Tim. 2.

X. Lectionum sacrarum lectio.

QVANTVM (inquit) laboratur in Ecclesia, vt fiat silentium cùm lectiones legũtur? Si vnus loquatur, obstrepit vniuersis. Cùm Psalmus legitur, ipse sibi est effector silentij. Omnes loquuntur, & nullus obstrepit. Idẽ Præf. in Psal.

Offic. lib. 1.cap.11. ET alibì: Reuerētia exhibetur, quum scripturę diuinę legũtur.

Ibi. c.44. AC rursùm: Alius distinguendæ lectioni aptior, alius psalmo gratior: alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu, solicitior: alius sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet sacerdos: & quid cuique congruat, id officij deputet. Quò etenim vnumquenque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id maiore implet gratia.

Idem exhort. virg. EODEM pertinet & illud: Inuenit S. Iuliana in Ecclesia quod suum dicat, filium sacrarum lectionum oracula personantem.

Idem ad virg. laps. ILLVD quoquè: Mentem tuam non ventilabat lectionum cælestium virtus?

Y. Prophetica & Apostolica lectio.

Seuer. Sulp. de vita S. Marti. l. 3. EO tempore (inquit Seuerus Sulpitius) Ambrosius, cuius hodiè flores eloquij per totam Ecclesiam redolent, Mediolanē-si ciuitati præerat Episcopus: cui celebranti festa Dominicæ diei ista erat consuetudo, vt veniens lector cum libro, non anteà legere præsumeret, quàm nutu sanctiss. præcepisset. Factum est autem, vt illa die Dominica, prophetica lectione iam lecta, ante altare stante, qui lectionem B. Pauli proferret, beatissimus Antistes Ambrosius super altare obdormiret. Quod vidētes multi, cùm nullus eum excitare prçsumeret, transactis ferè duarum aut trium horarum spatijs, excitauerũt eum, dicētes: Iam hora prçterijt, iubeat Dñs Episcopus lectori lectiōem legere: expectat enim populus valdè iam lassus. Respondēs autem B. Ambrosius: Nolite (inquit) turbari, multùm mihi valet sic obdormîsse, qa miraculum magnum Dominus mihi ostēdere dignatus est. Nam noueritis fratrem meum Martinum sacerdotē, de corpore egressum fuisse, me aũt eius funeri obsequium prçbuisse. Peractoque ex more seruitio, capitellam tantùm vobis excitātibus, nō expleui. Tũc illi stupefacti pariter & admirātes, diē & tēpus notāt. Qui solicitè requirētes, ipsam diē, tēpusq; reperiũt, quo beatus confessor dixerat se eius obsequijs deseruîsse.

Z. Euan-

z. Euangelica lectio.

PVLCHRE (inquit) dum legeretur hodiè Euangelium. Ambr.offic.l.1.c.8.

ET alio loco: Certè sic docuit hodierna, quæ decursa est, lectio, secundùm librum Euangelij Matthæi. Idem l.3. de Virg.

ALIBI quoquè: Considerate quid lectum sit hodiè de Domino Iesu. Idem ad Grat. l.4. de fid.

RVRSVM: Audistis quid hodiè lectum sit: Pullum sibi asinę Saluator per Apostolos iussit adduci. Quod posteà denuò repetit, ipsum illud Euangelium explicans. Idē cōtra Auxēt. de basil. non trad.

AC iterùm: Audîsti frater lectionem Euangelij, in qua decursum est, quòd præteriens Dominus Iesus, vidit à generatione cæcum. Idē epist. 75. ad Bellic.

ALIO deniquè loco: Audîstis hodiè in lectione decursa, quid Legio dixerit: Quid mihi & tibi est Iesu fili Dauid? Idem de Hel. & ieiun. c. 20.

ALIOS locos eiuscemodi complures in sermonibus siue tractatibus ad populum, prolixitatis vitandæ gratia omittimus.

A a. Earundem Lectionum tractatus ad populum.

SEQVENTI die, (inquit, ad Marcellinam sororem suam scribens) erat autem Dominica, post Lectiones atque tractatum. Idē Epist. 33.

EODEM pertinet illud D. Augustini de D. Ambrosio: Et eum quidem in populo, verbum Dei rectè tractantem, omni die Dominico audiebam. Aug. Confess. l. 6. c. 3.

B b. Oblationum mos.

HVC inprimìs pertinent verba illa suprà de Theodosio Imperatore citata, & illud Nicephori de eodem: Postquàm verò tempus aduenit, quum eum more recepto, munus ad sacram mensam offerre oporteret, lachrymans surrexit, & diuinum sacrarium ingressus est. Niceph. eccl. hist. l. 12. c. 41.

Paulin. in vit. Amb. DEINDE & illud Paulini Mediolanenſis: Munera Imperatoris (Eugenij nempe) qui ſe ſacrilegio commiſcuerat, ab Eccleſia reſpuebantur, nec orandi illi cum Eccleſia ſocietas tribuebatur.

Ambr. epiſt. 30. ILLVD item D. Ambroſij ad Valentinianum Imperatorem: Certè ſi aliud ſtatuitur, Epiſcopi hoc ęquo animo pati & diſsimulare non poſsumus. Licebit tibi ad Eccleſiam conuenire, ſed illic non inuenies ſacerdotem, aut inuenies reſiſtentem. Quid reſpondebis ſacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quærit Eccleſia, quia templa Gentilium muneribus adornâſti? Ara Chriſti dona tua reſpuit, quoniam aram ſimulacris feciſti.

Poſsid. in vit. Aug. Ac quod narrat D. Poſsidius, Beatiſsimum Ambroſium, præſente D. Auguſtino, in Eccleſia aliquandò tractâſſe de neglecto à fidelibus gazophylacio ac ſacrario.

cc. Symboli recitatio.

Ambr. in epiſt. 1. ad Corinth. c. 11. ORARE, dicit deprecari: prophetare autem, aduentum fore Domini, voce ſymboli poſt orationem effari.

dd. Catechumenorum dimiſsio.

Idē Epiſt. 33. DIMISSIS (inquit) catechumenis ſymbolum aliquibus competentibus in baptiſterijs tradebam baſilicæ.

ee. Pœnitentium item excluſio.

Niceph. l. 12. c. 41. HVC pertinet inprimìs, quod de Theodoſio Imperatore ſcribunt locis citatis Theodoretus, Zozomenus, & Nicephorus: Quũ (inquiunt) poſt Maximum deuictum Theodoſius Mediolanum veniſſet, & in Eccleſiam, ſicutì mos eſt, precatum iret, & iam ad fores eius adeſſet: occurrens ei Ambroſius, & purpura eius appræhenſa, in multitudine media, nè ſacrarum ædium veſtibulũ tangeret, prohibet. Reſiſte, inquit, virum enim impurum, & manus ſanguine innocenti ferè adhuc periniquè ſtillantes circunferentem, fas non eſt, ante legitimam debitamq; pœnitentiam, ſacrã ingredi ædem, aut diuinorum myſteriorũ participem fieri.

Paulin. in vit. Amb. ET quod de eodẽ facto narrat Paulinus Mediolanenſis: Quod

factum vbi comperisset sacerdos, copiam Imperatori ingrediendi (sic enim lego, pro eo quod corruptè legitur, egrediendi) Ecclesiã denegauit, nec priùs dignum iudicauit cœtui Ecclesię, vel sacramẽtorum communioni, quàm publicam ageret pœnitentiam.

ITEM quod ad ipsum Theodosium scribit B. Ambrosius: Offerre non audeo sacrificium, si volueris assistere. An quod in vnius innocentis sanguine non licet, in multorum licet? Non puto. Postremò scribo manu mea quod solus legas. Ità me Dominus ab omnibus tribulationibus liberet, quia non ab homine, neque per hominem, sed apertè mihi interdictum aduerti. Cùm enim essem solicitus, ipsa nocte qua proficisci parabam, venisse quidem visus es ad Ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit. Ambros. epist. 28.

EODEM spectat illud eiusdem: Occiditur & vitulus saginatus, vt carnem Domini, spiritali opimam virtute, per gratiam sacramẽti, mysteriorum consortio restitutus, epuletur. Idem lib. 7. in Luc. c. 15.

F f. Neque enim omnibus conspicua alta mysteriorum.

NON (inquit) omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur à Leuitis, nè videant qui videre non debent: & sumant, qui seruare non possunt. Idẽ Offic. l. 1. c. 50.

G g. Aquæ & vini commixtio.

IN calicem (inquit) mittitur vinum. Et quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodò ergò Melchisedech panem & vinum obtulit? Quid sibi vult admixtio aquæ? Rationem accipe. Primò omnium, figura quæ antè præcessit tempore Moysi, quid habet? Quia quum sitiret populus Iudæorum, & murmuraret, quòd aquam inuenire non posset, iussit Deus Moysi vt tangeret petram de virga. Tetigit petram, & petra vndam maximam fudit, sicut Apostolus ait: Bibebant autem de consequenti petra, petra autem erat CHRISTVS. Non immobilis petra, quæ populum seque- Idem sacr. l. 5. c. 1. 1. Cor. 10.

ſequebatur. Et tu bibe, vt te Chriſtus ſequatur. Vide myſterium. Moyſes, hoc eſt, propheta: Virga, hoc eſt, verbum Dei. Sacerdos verbo Dei tangit petram, & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ergò ſacerdos calicem, redundat aqua in calice, ſalit in vitã æternam, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam conſecutus eſt. Didiciſti ergò hoc. Accipe & aliud. In tempore Dominicæ paſsionis, cùm ſabbatum magnum inſtaret, quia viuebat Dominus noſter
Ioan. 19. Ieſus Chriſtus, vel latrones: miſsi ſunt qui percuterent eum. venientes, inuenerunt defunctum Dominum IESVM Chriſtum. tunc vnus de militibus lãcea tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit & ſanguis. Quarè aqua? quarè ſanguis? Aqua, vt emundaret: ſanguis, vt redimeret. Quarè de latere? Quia vndè culpa, indè gratia. Culpa per fœminam, gratia per Dominum Ieſum Chriſtum.

H h. Miſſa, & oblationis initium.

Idē Epiſt. 33. ILLIC nunciatum eſt, (inquit epiſt. ad Marcellinam) mihi, comperto, quòd ad Patianam baſilicam de palatio decanos miſiſſent, & vela ſuſpenderent, populi partem eò pergere. Ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi.

I i. Præfationes Ambroſianæ.

Radulph. Tungr. de cã. obſeru. c. vlt. PRAEFATIONES (inquit Radulphus Tungrenſis) vt dicit Gemma animæ, Dionyſius Areopagita putatur compoſuiſſe. Ambroſius librum præfationum ordinauit, ex quo in Lombardica multæ præfationes allegantur. In qualibet autẽ Miſſa Ambroſiani officij, propria decantatur præfatio.

Alg. l. 1. c. 15. QVOD authenticum eſſe teſtimonium, vel illud comprobat, quòd D. Algerus prȩfationem D. Ambroſij citet de Dominica V. poſt Paſcha.

K k. Oratio pro Imperatoribus.

Amb. cõt. relat. Symmachi. NOS (inquit) ipſis imperatoribus à Chriſto pacem rogamus.

Idē Ep. 29 EODEM pertinet illud eiuſdem ad Imperatorem Theodoſiũ: Si

Si indignus sum qui à te audiar, indignus sum qui pro te offeram, cui tua vota, cui tuas committas preces. Ipse ergò non audies eum, quem pro te audiri velis?

LL. Oratio pro populo & Regibus.

ORATIO (inquit) præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Idem l. 4. de sacr. c. 4.

Et alibì latiùs: Hæc regula Ecclesiastica est tradita à magistro gentium, qua vtuntur sacerdotes nostri, vt pro omnibus supplicēt: deprecantes pro regibus huius seculi, vt subiectas habeant Gentes, vt in pace positi, in tranquillitate mentis & quiete Deo nostro seruire possimus. Orantes etiam pro ijs, quibus sublimis potestas est credita, vt in iustitia & veritate gubernent rempublicam, suppeditante rerum abundantia, vt amota perturbatione seditionis, succedat lætitia. Idem in c. 2. epist. 1. ad Timot.

MM. Oblatio.

DVM offero (inquit Epist. sæpè citata ad Marcellinam) raptum cognoui à populo Castulum quendam, quem Presbyterum dicerent Arriani. Hunc aūt in platea offenderant transeuntes. Amarissimè flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, vt subueniret, nè cui⁹ sanguis in causa Ecclesię fieret, certè vt me⁹ sanguis pro salute, non solùm populi, sed etiam pro ipsis impijs effunderetur. Idē Epist. 33.

NN. Confectio sacramentorum.

VBI venitur (inquit) vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergò sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cælum. Iussit Dominus, & facta est terra. Iussit Dn̄s, & facta sunt maria. Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergò quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergò tāta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quę non erant: quanto Idē de sacr. l. 4. c. 4.

magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur?

O o. Verba ipsa Consecrationis.

Idem de sacram. l. 4. c. 5.

VIS scire (inquit) quia verbis cælestibus consecratur? Accipe quæ sunt verba. Dicit sacerdos: Fac nobis (inquit) hanc oblationem asscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Qui pridiè quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in cælum, ad te sancte pater omnipotens æterne Deus, gratias agens: benedixit, fregit, fractumque Apostolis suis & discipulis suis tradidit, dicens: Accipite, & edite ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur. Similiter & calicem postquàm cœnatum est, pridiè quàm pateretur accepit, respexit ad cælum, ad te sancte pater omnipotens æterne Deus, gratias agens: benedixit, Apostolis & discipulis suis tradidit, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes: Hic est enim sanguis meus. Vide singula. Qui pridiè, inquit, quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequàm consecretur, panis est: vbì autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Deniquè audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes, hoc est corpus meum. Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus. Vbì verba Christi operata fuerint, ibì sanguis efficitur, qui plebem redemit.

P p. Per hæc verba Christi, benedictio, consecratio, & transsubstantiatio.

Idem de sacr. l. 4. c. 4.

TV fortè dicis: (inquit eodem loco) Meus panis est vsitatus. Sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum: vbì accesserit cõsecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodò potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu.

Ibidèm.

Ac paulopòst: Ergò tibi vt respondeam, nõ erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quòd

iam

iam corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mandauit, & creatum est. Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: posteà quàm consecratus es, noua creatura esse cœpisti. Vis scire quàm noua creatura? Omnis, inquis, in Christo noua creatura. Accipe ergò quemadmodùm sermo Christi creaturam omnem mutare cõsueuerit, & mutat, quandò vult, instituta naturæ. Quomodò, requiris? Accipe, & primò omnium de generatione eius sumamus exemplum. Consuetudo est, vt non generetur homo, nisì ex viro & muliere, & consuetudine coniugali. Sed quia voluit Dominus, qui hoc elegit sacramentum, & de spiritu sancto & Virgine natus est Christus, hoc est, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Vides ergò, quia contra instituta & ordinem homo est natus ex virgine? Accipe aliud. Vrgebatur populus Iudæorum ab Aegyptijs, Exod. 14. interclusus erat mari. diuino imperio virga Moyses tetigit aquas, & se vnda diuisit: nõ vtiquè secundùm suæ naturæ consuetudinẽ, sed secundũ gratiã cælestis imperij. Accipe aliud: Sitiebat populus, venit Ibid. 15. ad fontẽ: amarus erat fons. misit lignũ sanctus Moyses in fontẽ, & factus est dulcis fons qui amarus erat. hoc est, mutauit consuetudinem naturæ suæ, accepit dulcedinem gratiæ. Accipe & quartum exemplum. Ceciderat ferrum securis in aquas. quasi ferrum, sua 4. Reg. 6. consuetudine demersum est. misit lignum Helisæus, statim ferrũ eleuatum est, & aquis supernatauit, vtiquè contra consuetudinem ferri. Est enim materies grauior, quàm aquarum est elementum. Ex his igitur omnibus non intelligis, quantùm operetur sermo cælestis. Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo cælestis in alijs rebus, non operatur in cælestibus sacramentis? Ergò didicisti quòd ex pane corpus fiat Christi, & quòd vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis. Sed fortè dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ità etiam similitudinem preciosi sanguinis bibis, vt nullus

horror cruoris ſit, & precium tamen operetur redemptionis. Didiciſti ergò, quia quod accipis, corpus eſt Chriſti.

Idem de ijs qui myſter. initiant. c. 19.

ET alibì latiùs: Fortè dicas: Aliud video, quomodò tu mihi aſſeris, quòd Chriſti corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc ſupereſt, vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremque vim eſſe benedictionis, quàm naturę, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur? Virgam tenebat Moyſes, proiecit eam, & facta eſt ſerpens. Rursùs appręhendit caudam ſerpētis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam eſſe naturam & ſerpentis, & virgæ? Currebant Aegypti flumina puro aquarū meatu: ſubitò de fontium venis ſanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluuijs. Rursùs ad Prophetæ preces cruor ceſſauit fluminum, aquarum natura remeauit. Circunclusūs vndiquè erat populus Hebræorum, hinc Aegyptijs vallatus, indè marì clauſus: virgam leuauit Moyſes, ſeparauit ſe aqua, & in murorum ſpeciem congelauit, atque inter vndas via pedeſtris apparuit. Iordanis retrorsùm conuerſus, contra naturam, in ſui fontis reuertitur exordium. Nónne claret, naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluuialis cursûs, eſſe mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moyſes petram, & aqua de petra fluxit. Nunquìd non præter naturam operata eſt gratia, vt aquam

Exod. 15.

vomeret petra, quam non habebat natura? Marath fluuius amariſsimus erat, vt ſitiens populus bibere non poſſet. Miſit Moyſes lignum in aquam, & amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit, quam infuſa ſubitò gratia temperauit. Sub Heliſæo pro-

4. Reg. 6.

pheta vni ex filijs prophetarum excuſſum eſt ferrum de ſecuri, & ſtatìm merſum eſt. Rogauit Heliſæum, qui amiſerat ferrum. Miſit etiam Heliſæus lignum in aquam, & ferrum natauit: vtiquè & hoc pręter naturam factū eſſe cognoſcimus. Grauior eſt enim ferri ſpecies, quàm aquarū liquor. Aduertimus igitur maio-

ris

ris esse virtutis gratiam, quàm naturam,& adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quòd si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret : quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbì verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantùm valuit sermo Heliæ, vt ignem de cælo deponeret: non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit,& facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergò Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat : non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est, nouas rebus dare, quàm mutare naturas. Sed quid argumentis vtimur? suis vtamur exemplis, incarnationisque exemplo adstruamus mysterij veritatem. Nunquid naturæ vsus præcessit, cùm Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consueuit. Liquet igitur quòd præter naturæ ordinem Virgo generauit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, quum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Vera vtiquè caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: verè ergò carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cælestium, alia species nominatur : post consecrationem, corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur.

Psal. 148.

Matt. 26.

Eodem pertinet illud: Nos quotiescunque sumimus sacramenta, quæ per sacræ orationis mysterium, in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem Domini annunciamus.

Idem ad Grat. de fid. lib. 4. cap. 5.

Hoc etiam: Et offeras transfigurandum corpus Christi altaribus.

Idem de incarn. Dō. sacr. cap. 4.

Q.q. Christi oblatio.

Idẽ Offic. li.1.ca.48.

ANTE (inquit) agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Hîc in imagine, ibì in veritate, vbì apud patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit.

Rr. In Christi immolatione angelorum assistentia.

Idẽ li.1.in Luc. ca.1.

NON enim dubites (inquit) assistere Angelum: Christus assistit, quandò Christus immolatur. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.

Ibid. li.8. in cap. 18.

ITEM posteà: Est etiam corpus, de quo dictum est: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Circa hoc corpus veræ aquilæ sunt, quæ alis circunuolant spiritalibus.

Idẽ li.1.de sacr. ca.2.

ET alio loco: Si hîc est corpus Christi, hîc & angeli constituti sunt. Vbì corpus, ibì & aquilæ, legisti in Euangelio. Vbì Corpus Christi, ibì & aquilæ volare consuêrunt.

Ss. Adoratio Christi.

Idẽ li.3.de spir. sanct. cap.12.

VIDEAMVS tamen, (inquit tractãs illud psalmi: Adorate scabellum pedum eius) terram'ne illam dicat adorandam Propheta, quam Dñs Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaq; per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodieq́; in mysterijs adoram⁹, & quã Apostoli in Dño Iesu adorârũt.

EODEM spectat & illud: Nunquid quum & diuinitatem eius adoramus & carnem, Christum diuidimus?

Idẽ de incarn. Dõ. sacr. ca.7.

Tt. Verba sacerdotis post Consecrationem.

Idẽ l.4.de sacr. ca.6.

DEINDE (inquit) quantum sit sacramentum, cognosce. Vide quid dicat: Quotiescunq; hoc feceritis, totiès commemorationem meî facitis, donèc iterùm adueniam. Et sacerdos dicit: Ergò memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cælum asscensionis, offerimus tibi hãc immaculatam hostiam, ratiõabilem hostiam, incruẽtam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitę æternæ: & petimus & precamur, vt hãc obla-

tio-

tionem suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorũ, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium patriarchę nostri Abrahę,& quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech.

VV. In ijs passionis Domini commemoratio.

ERGO ò tu audis(inquit) quod quotiescunq; offertur sacrificium, mors Dñi, resurrectio Dñi, eleuatio Dñi significetur,& remissio peccatorum: & panẽ istum vitę,nõ quotidianũ,assumis? Qui vulnus habet,medicinã requirit. Vulnus est,quia sub peccato sumus. Medicina est,cęleste & venerabile sacramentum. Ibid. lib. 5. cap. 4.

EODEM pertinet illud: Mortem Christi orãtes annunciamus. Idẽ lib. de fid. ref.

XX. Defunctorum memoria.

OMNIBVS(inquit ad Gratianum & Valentinianum Impp. iam defunctos) vos oblationibus frequentabo. Idẽ de obitu Valẽt.

YY. Orationis Dominicæ recitatio.

MEMINI(inquit)sermonis mei,cùm de sacramẽtis tractarẽ. Dixi vobis, quòd ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint,iam non panis dicĩ, sed corpus appellatur. Quarè ergò in Oratione Dñica,quæ posteà sequitur,ait:Panem nostrum?Panem q̃dem dixit,sed ἐπιούσιον dixit,hoc est,supersubstantialem. Non iste panis est qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ,qui animæ nostræ substantiam fulcit. Ideò Græcè ἐπιούσιον dicitur. Idẽ l. 5. de sacr. ca. 4.

ZZ. Eiusdem appendix.

QVID sequitur?(inquit) Audi quid dicat sacerdos. Per Dñm nostrũ Iesum Christum, in quo tibi est, cũ quo tibi est honor, laus,gloria,magnificẽtia, potestas cum spiritu sancto à seculis,& nunc & semper,& in omnia secula seculorum. Amen. Ibidèm l. 6. cap. 5.

AAA. Ad altare sacramentorum perceptio.

LEVITAM (inquit) vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrantem. Ergò chirographum tuum tene- Ibidèm l. 1. cap. 2.

tenetur non in terra, ſed in cælo. Conſidera vbi capias ſacramenta cæleſtia.

Ibid. lib. 5. cap. 3. ET poſteà: Ergò veniſti ad altare, accepiſti corpus Chriſti.

AC paulopòſt: Veniſti ergò ad altare, accepiſti gratiam Chriſti, ſacramenta es cæleſtia conſecutus.

Paul. in vit. Amb. HVC pertinet etiam illud Paulini: Per idem tempus Nicentius quidam ex tribuno & notario, quodam pedum dolore tenebatur, vt rarò in publico videretur: cùm ad altare acceſsiſſet, vt ſacramenta perciperet, calcatusq́ue caſu à ſacerdote, exclamaret, audiuimus: Vade, & amodò ſaluus eris. Nec ampliùs doluiſſe pedes, tempore quo ſanctus ſacerdos de hac luce migrauit, lachrymis teſtabatur.

bbb. Manuum ad ſuſceptionem Corporis Domini extenſio.

Theodor. & Nicep. locis cit. QVIBVS (inquit D. Ambroſius, apud Theodoretum & Nicephorum ad Theodoſium Imperatorem) diuinum intueberis oculis templum? Quibus pedibus ſanctum illud calcabis ſolum? Quomodò manus extolles, quæ cæde iniqua diffluunt? Quomodò etiam diuinum Domini corpus eis accipies? Quomodò ſanguinem precioſum ad os afferes, per quod ira tranſuersìm actus, tantum effudiſti ſanguinis?

ccc. Reſponſio Communicantium, Amen.

Ambr. li. 4. de ſacr. cap. 5. ERGÒ (inquit) non ocioſè tu dicis: Amen, iam in ſpiritu confitens quòd accipias corpus Chriſti. Dicit tibi ſacerdos, corpus Chriſti. Et tu dicis, Amen. hoc eſt, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.

Idē de ijs q̃ init. myſter. lib. 1. cap. 9. ET alibì: Et tu dicis, Amen: hoc eſt, verum eſt. Quod os loquitur, mens interna fateatur, quod ſermo ſonat, affectus ſentiat.

ddd. Sacrificia pro defunctis.

Idē de obit. Valēt. DATE (inquit) manibus ſancta myſteria, pio requiem ei poſcamus affectu. Date ſacramenta cæleſtia, animam piam noſtris

ſtris oblationibus proſequamur. Extollite populi mecum manus in ſancta, vt in eo ſaltem munere vicem eius meritis rependamus. Nō ego floribus tumulum eius adſpergam, ſed ſpiritum eius Christi odore perfundam. Spargant alij plenis lilia calathis, nobis lilium eſt Chriſtus. Hoc reliquias eius ſacrabo, hoc eius gratiā cōmēdabo.

ET alibì in cōſolatoria ad Fauſtinum: Itaq; nō tam deplorādam q̃ proſequēdam orationib⁹ reor: Nec mœſtificādam lachrymis tuis, ſed magìs oblatiōibus, animā eius Dn̄o commēdādam arbitror. Idē Epi. 8.

Eee. Idq́; in ſepultura.

LVCESCENTE (inquit Paulinus) die Dominico, cùm corpus illius, peractis ſacramētis diuinis, de Eccleſia leuaretur, portādum ad baſilicā Ambroſianam, in qua poſitus eſt, ità ibì dæmonū turba clamabat, ſe ab illo torqueri, vt eiulat⁹ eorum ferri nō poſſet. Paul. in vit. Amb.

Fff. In die II. VII. XXX. & XL.

EIVS principis (inquit, de Theodoſio agens) & maximè cōclamauimus obitum, & nūc quadrageſimum celebramus, aſsiſtēte ſacris altaribus Honorio principe: qui ſicut ſanctus Ioſeph patri ſuo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ità & hic Theodoſio patri iuſta perſoluit. Et quia alij tertium diem & trigeſimum, alij ſeptimum & quadrageſimum obſeruare conſueuerunt, quid doceat lectio, conſideremus. Ambroſ. de obit. Theod. Gen. 50.

DEFVNCTO (inquit) Iacob, p̄cepit Ioſeph pueris ſepultoribus, vt ſepelirent eum. Et ſepilierūt ſepultores Iſrael, & repleti ſunt ei quadraginta dies. ſic em̄ dinumerantur dies ſepulturę. Et luxit eum Aegyptus ſeptuaginta diebus. Hęc ergò ſequēda ſolennitas, quam pręſcribit lectio. Sed & in Deuteronomio ſcriptum eſt: Quia planxerunt filij Iſrael Moyſen diebus triginta, & conſummati ſunt dies luctûs. Ibidèm. Deut. 34.

Ggg. Et in anniuerſario.

NOS quoq; ipſi (inquit) natales dies defunctorū obliuiſcimur, & eum, quo obiērūt, diem celebri ſolennitate renouamus. Idem de obit. frat. orat. 2.

Hhh. Sacrificium in velatione & consecratione Virginum.

Idē li 1. de virg. sub finem. MEMORIAE (inquit) nostrę puella, dudùm nobilis in seculo, nunc nobilior Deo, cùm vrgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctum altare cōfugit. Quò enim meliùs virgo recurreret, quàm vbi sacrificium virginitatis offertur? Ne is quidem finis audaciæ. Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis: nunc capiti dexteram sacerdotis imponēs, precem poscens, nūc iustæ impatiens moræ, summum altari subiectās verticem. Num meliùs (inqt) mater tu me, quàm altare, velabis, quod sanctificat ipsa velamina? Plùs talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidiè consecratur.

Idē instit. virg. ca. 8. EODEM pertinet illud eiusdem in Oratione super virgine velanda: Hæc quoquè famula tua ad huiuscemodi virtutis gratiam lacessita, tuis assistit altaribus, non rutilanti cęsarie flauum deferens crinem, flammeo nuptiali dicatum: sed illum crinem, quo Euangelica illa mulier sancta Maria, pedes Christi sedula pietate deter-sit, & domum totam effuso impleuit vnguento, sacro offerens velamine consecrandum. Luc. 7. Ioan. 12.

Iii. Sacrificium & cæremoniæ festi Paschæ.

Idem de Hel. & ieiun. ca. 10. QVADRAGESIMA (inquit) totis pręter Sabbatum & Dominicam ieiunatur diebus. Hoc ieiuniū Dñi Pascha cōcludit. Venit iam dies resurrectionis, baptizātur electi, veniunt ad altare, accipiunt sacramēta, sitientes totis hauriūt venis. Meritò dicūt singuli, refecti spiritali cibo & spiritali potu: Parâsti in cōspectu meo mēsam, & poculum tuum inebrians quàm pręclarum est? Psal. 22.

Idē Ep. 83. ET alio loco: Non mediocris (inquit) esse sapientiæ, diem celebritatis definire paschalis, & scriptura diuina nos instruit, & traditio Maiorum: qui conuenientes ad Synodum Nicenam, inter illa fidei vt vera, ità admirāda decreta, etiam super celebritate memorata, cōgregatis peritissimis calculādi, decem & nouem annorū colligêre rationem, & quasi quędam cōstituêre circulū, ex quo exem-

plum

plum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneadecaterida nuncupauerũt, sequẽtes illud, ꝙ non debeamus vana quadam opinione super celebritate huiusmodi fluctuare, sed vera ratione comperta, ità omnium cõcurrat affectio, vt vna nocte vbiq; sacrificium pro resurrectione Dñi deferatur.

APERTIVS deniq;: Hęc illa est cęlestium mysteriorum gratia, hoc Paschæ donum, hæc optabilis anni festiuitas, hæc exordia gignentium rerum. Hinc vitalis lauacri sacræ Ecclesiæ editi puerperio infantes, paruulorum simplicitate renati, * baratro innocẽtis perstrepunt conscientiæ. Hinc casti patres, pudicæ etiam matres, nouellam per fidem stirpem prosequuntur innumeram. Hinc sub fidei arbore ab vtero fontis innocui cereorum splendet ornatus. Hinc cælestis meriti sanctificantur munere, & sacramenti spiritalis celebri mysterio saginantur. Hinc vnius plebis gremio beatæ ecclesiæ nutrita fraternitas, vnicæ diuinitatis substantiam, ac virtutis trinum nomen adorãtes, Psalmum annuæ festiuitatis cum Propheta concelebrant: Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo.

Idem de Pasch. c. 5.

* barbyto

Psal. 117.

KKK. Festorum dierum oblatio.

PLERIQVE (inquit) eiusmodi dies, vt statìm meridianis horis adueniẽdum sit in Ecclesiã, canẽdi hymni, celebrãda oblatio. Tũc vtiq; paratus assiste, vt accipias tibi munimentũ, vt corpus edas Dñi Iesu, in quo remissio peccatorũ est, postulatio diuinæ recõciliationis, & ꝓtectionis æternę. Suscipe antè Dominum Iesum tuæ mentis hospitio: vbì corpus eius, ibì Christus est.

Idem in Psal. 118. serm. 8.

LLL. Sacrificium priuatum.

PER idem tempus (inquit de D. Ambrosio Paulinus) quum Romæ trans Tiberim apud quandam clarissimam inuitatur, vt sacrificium in domo offerret: quædam balneatrix, quæ paralytica in lecto iacebat, cùm cognouisset ibidèm esse Domini sacerdotem, in sellula se ad eandẽ domũ, ad quã ille inuitatus venerat,

Paul. in vit. D. Ambr.

portari fecit, atq; orãti & imponenti manus vestiméta attigit. Quæ quum exosculareť, statim sanitate recepta ambulare cœpit: vt impleretur illud Dominicum dictum ad Apostolos: Etiam maiora his facietis, credentes in nomine meo. Quod tamẽ signum sanitatis vt mirabile fuit, ità etiam nec occultum. Nam ego hoc post annos plurimos, sanctis viris referẽtibus, positus in vrbe cognoui.

Ioan. 14.

MMM m. Omni saltem hebdomada offerendum.

Ambr. in 1. ad Tim. cap. 3.

NVNC autem (inquit) septem diaconos esse oportet, & aliquantos presbyteros, vt bini sint per Ecclesias: & vnus in ciuitate Episcopus, ac per hoc oẽs à conuentu fœminę abstinere debere, quia necesse est eos quotidiè præstò esse in Ecclesia, nec habere dilationem, vt post conuentum legitimè purificentur sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiamsi non quotidiè peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada: & si nõ desint, qui propè quotidiè baptizentur, ægri. Nam veteribus ideò concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur, sed erant priuati. Si em̃ plebeijs hominibus orationis causa ad tempus abstinere se pręcipit, vt vacent orationi: quãto magis Leuitis aut Sacerdotibus, quos die noctuq; pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergò esse debent cæteris, quia actores Dei sunt.

NNn. Dominicis diebus assistendum diuinis mysterijs.

Idẽ serm. 2. de S. Laurẽtio.

QVVM videmus (inquit) plures è fratribus pigriùs ad Ecclesiam conuenire, & Dominicis præcipuè diebus minimè cælestibus interesse mysterijs, prædicamus inuiti: nõ quò nos pigeat loqui, sed quia negligentiores prædicatio nostra grauet potiùs, non emendet.

Ibidèm.

QVISQVIS enim frater Dominicis non interest sacramentis, necessariò apud Deum castrorum desertor est diuinorum. Nam quomodò se excusare potest, qui sacramentorum die prandium sibi domi præparans, prandium cęleste contemnit, & ventris curam faciens, animæ suæ negligit medicinam?

AMBROSIANAE MISSAE RITVS ET ORDO.

De Natiu. Dñi videre est Ser. Ambr. 12. 13. & 16.

IN NATIVITATE DOMINI.

A. Oratio secreta, antequàm accedat altare.

ROGO te altissime Deus Sabbaoth, pater sancte, vt me tunica castitatis digneris accingere, & lumbos meos balteo tui amoris & timoris ambire, & renes cordis mei igne tuî charitatis vrere, vt pro peccatis meis possim intercedere, & adstantibus veniam peccatorum promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare.

E Missal. Mediolan. pleraque desumpta sunt, quibus correspõdent quę de Missa Ambrosiana scribit Radulph. Tũgr. Decanus de can. obseru. prop. 12. & 23. vtì suis locis hac nota, R. T. adnotauimus.

B. Dum accedit altare.

ME quoquè audacter ad tuum sanctũ altare accedentem non sinas perire, sed dignare lauare, ornare, & clementer suscipere, Per Christum Dominum nostrum.

C. Ingressa.

PVER natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, & vocabitur nomen eius, magni consilij angelus. R. T.

D. Salutatio populi absque versione. R. T.

DOMINVS vobiscum.

Responsio.

ET cum spiritu tuo.

E. Oratio super populum. R. T.

DEVS qui es mundi creator & rector, da nobis in hac die incarnationis verbi & partûs sacræ Mariæ virginis pium celebrare consortium: vt qui per tuam gratiam sunt redempti, tua

ſint protectione ſecuri. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum

R. T. Chriſtum, qui tecum viuit & regnat ✶ Deus, in vnitate ſpiritusſancti, per omnia ſecula ſeculorum.

Reſponſio.

AMEN.

F. Rursùm ſalutatio populi & Reſponſio.

DOMINVS vobiſcum.

Reſp.

ET cum ſpiritu tuo.

R. T. G. Hymnus angelicus.

GLORIA in excelſis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te: gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, rex cæleſtis, Deus pater omnipotens. Domine fili vnigenite Ieſu Chriſte, Domine Deus, agnus Dei, filius patris. Qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram. Qui ſedes ad dexteram patris, miſerere nobis. Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſsimus Ieſu Chriſte, cum ſancto ſpiritu, in gloria Dei patris, Amen.

H. Deindè.

R. T. KYRIE eleyſon. Kyrie eleyſon. Kyrie eleyſon.

I. Iterùm.

DOMINVS vobiſcum.

Reſp.

ET cum ſpiritu tuo.

K. Lectionis Propheticæ titulus.

LECTIO Iſaiæ Prophetæ.

L. Benedictio.

PROPHETICA doctrina repleas nos gratia diuina: In nomine † patris, & filij, & ſpiritusſancti. Amen.

Præter Radulphum, Lect. Proph. & Apoſtolicę meminit etiã Seuerus Sulpit. loco ſuprà citato.

M. Ipſa

M. Ipſa lectio. R. T.

PRIMO tempore alleuiata eſt terra Zabulon & terra Neptha- Eſaiæ 9.
lim,& nouiſsimò aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilęæ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris,vidit lucem magnã: Habitantibus in regione vmbræ mortis,lux orta eſt eis. Multiplicâſti gentem,non magnificâſti lætitiam. Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quandò diuidũt ſpolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperâſti ſicut in die Madian: Quia omnis violenta prædatio cum tumultu,& veſtimentum mixtum ſanguine, erit in combuſtione & cibus ignis. Paruulus enim natus eſt nobis,& filius datus eſt nobis,& factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus,fortis,pater futuri ſeculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium,& pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia amodò & vſque in ſempiternum, dicit Dominus omnipotens.

N. Pſalmolus. R. T.

TECVM principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.
V. Dixit Dominus Domino meo,ſede à dextris meis, donèc ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

O. Denuò.

DOMINVS vobiſcum.

Reſp.

ET cum ſpiritu tuo. R. T.

P. Titulus Lectionis Apoſtolicæ.

LECTIO B.Pauli Apoſtoli ad Hebræos.

Q. Benedictio.

APOSTOLICA lectio ſit noſtræ ſalutis inſtructio.In nomi-

ne † patris, & filij, & ſpiritusſancti. Amen.

R. T. R. Ipſa lectio.

Ad Heb. 1. MVLTIFARIAM multisque modis olìm Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt & nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Qui quum ſit ſplendor &c.

R. T. S. Alleluia cum verſu.

ALLELVIA. Hodiè in Bethleem puer natus eſt, & nomen eius ſanctum & terribile.

R. T. T. Antiphona ante Euangelium.

GLORIA in excelſis Deo, & in terra pax, alleluia, alleluia.

V. Rursùm.

DOMINVS vobiſcum.

Reſp.

ET cum ſpiritu tuo.

X. Titulus Lectionis Euangelicæ.

LECTIO S. Euangelij ſecundùm Lucam.

Y. Benedictio.

PER Euangelica dicta deleantur noſtra delicta. In nomine † patris, & filij, & ſpiritusſancti. Amen.

R. T. Z. Ipſa lectio.

Luc. 2. EXIIT edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino. Et ibant &c.

A a. Iterùm.

DOMINVS vobiſcum.

Reſp.

ET cum ſpiritu tuo.

B b. Item.

R. T. KYRIE eleyſon. Kyrie eleyſon. Kyrie eleyſon.

c c. Denuò.

DOMINVS vobiſcum.

Reſp.

ET cum ſpiritu tuo.

D d. Antiphona poſt Euangelium. R. T.

ECCE annuncio vobis gaudium magnum, quod erit in vniuerſa terra: hodiè natus eſt vobis ſaluator mundi in ciuitate Dauid: regnabit,& regni eius non erit finis.

E e. Verſus.

PACEM habete.

Reſp.

AD te Domine.

F f. Rursùm.

DOMINVS vobiſcum.

Reſp.

ET cum ſpiritu tuo.

G g. Oratio ſuper ſindonem. R. T.

DEVS qui humanæ ſubſtantiæ,dignitatis tuæ gratiam contuliſti, da nobis Ieſu Chriſti filij tui diuinitatis eſſe conſortes, qui fragilitatis noſtræ dignatus eſt fieri particeps. Qui tecum viuit.

H h. Oblatio panis azymi cum patena.

SVSCIPE clementiſsime pater hunc panem ſanctum, vt fiat vnigeniti tui corpus,in nomine † patris, & † filij, & ſpiritus † ſancti. Amen.

I i. Oblatio vini aqua mixti in calice.

SVSCIPE clementiſsime pater hunc calicem, vinum aqua miſtum,vt fiat vnigeniti tui ſanguis, in nomine † patris, & † filij, & ſpiritûs † ſancti. Amen.

K k. Orationes ſecretæ ad munus oblatum.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus,placabilis, & acceptabilis ſit tibi hæc oblatio,quam ego indignus pro me miſero peccatore,

& pro delictis meis innumerabilibus tuæ pietati offero, vt veniam & remiſsioné omnium peccatorum meorum mihi cócedas, & iniquitates meas nè reſpexeris, ſed ſola tua miſericordia mihi proſit indigno: Per Chriſtum Dominum.

ET ſuſcipe ſancta Trinitas hanc oblationé, quam tibi offerimus pro regimine & cuſtodia, atque vnitate catholicæ fidei, & pro veneratione quoquè beatæ Dei genitricis Mariæ, omniumque ſimul ſanctorum tuorum, & pro ſalute & incolumitate famulorum famularumque tuorum N. & omnium, pro quibus clementiam tuam implorare polliciti ſumus, & quorum quarumq; eleemoſynas ſuſcepimus, & omnium fidelium Chriſtianorum tam viuorũ quàm defunctorum, vt te miſerante remiſsionem peccatorum, & æternę beatitudinis præmia in tuis laudibus fideliter perſeuerando percipere mereantur, ad gloriam & honorem nominis tui Deus, miſericordiſsime rerum conditor: Per Chriſtum Dominum.

ET ſuſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem pro emendatione mea, vt mundes & purges me ab vniuerſis peccatorum maculis, quatenùs tibi dignè miniſtrare merear Deus & clemétiſsime Domine. Benedictio Dei patris † omnipotentis, & † filij, & ſpiritûs † ſancti copioſa de cælis deſcendat ſuper hanc noſtram oblationem, & accepta tibi ſit hæc oblatio Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, miſericordiſsime rerum conditor. Amen.

R. T. E l. Offerenda.

ECCE apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij, & Hieruſalem noua deſcendit de cælo, in qua eſt ſedes Dei & agni: & ſerui eius offerunt ei munera, dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. V. Et eccè ſedet in medio eius ſuper thronũ maieſtatis ſuæ agnus, & vox ſonat ante eum, dicens: Vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid, & quatuor animalia requiem non habent, dicétia ſedenti ſuper thronum: Sanctus.

Mm. De-

M m. Denuò.

DOMINVS vobiſcum.

Reſp. ET cum ſpiritu tuo.

N n. Symbolum.

CREDO in vnum Deum, patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium: & in vnum Dominũ Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas. Aſſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram patris. Et iterùm venturus eſt cum gloria, iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in ſpiritum ſanctum Dñm, & viuificantem: qui ex patre filioq; procedit, qui cum patre & filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per prophetas. Et vnam ſanctam catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſsionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſeculi. Amen. R. T.

O o. Rurſùm.

DOMINVS vobiſcum. Reſp.

ET cum ſpiritu tuo.

P p. Oratio ſuper oblatam alta voce dicenda. R. T.

Grata tibi ſit, quæſumus Domine, hodiernę natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti hæc oblatio. Vt tua gratia largiente, per hæc ſacroſancta commercia, in ipſius inueniamur forma, in quo & noſtram credendo ſperamus eſſe ſubſtantiam. Qui tecum &c. Per omnia ſecula ſeculorum. R. Amen.

Q q. Prȩfatio in canonem. R. T.

DOMINVS vobiſcum.

Reſp.

ET cum ſpiritu tuo.

SVRSVM corda.

Reſp.

HABEMVS ad Dominum.

GRATIAS agamus Deo noſtro.

Reſp.

DIGNVM & iuſtum eſt.

R r. Præfatio.

MS. VERE. Quia dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

QVEM beata Maria ſine detrimento virginitatis & ſine virili actione mater & virgo concepit intacta, & non eſt eius conceptio ſine virginitatis inuenta pudore. Vt quod audiuit ab angelo, crederet: & quod crediderat, indubitanter acciperet. Nec in ea honor exterminatus eſt integritatis, vt mater ſempiternæ diceretur caſtitatis. O beatum & ſacroſanctum Mariæ virginis vterum, * quæ ſola meruit inter mulieres ſuis viſceribus mundi portare Dominum: ad noſtram quoquè ſalutem æternam edidit Chriſtũ. Gaudeat itaq; vniuerſus orbis, quia ex mẽbris virginalibus egreſſus eſt Deus. Cõgratuletur innumerabilis multitudo angelorũ exercitûs, cum quibus innumerabilem gloriam tuam canimus, ſine fine dicentes: Sanctus.

* qui meruit mũdi portare Dominũ.

R. T. S s. Hymnus triſhagios.

SANCTVS, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus ſa[b]baoth. Pleni ſunt cæli & terra gloria tua, [h]oſanna in excelſis.

Benedictus qui venit in nomine Domini, [h]oſanna in excelſis.

T t. Oratio pro populo, Regibus, & cæteris viuis.

Meminit huius ipſe Ambr. l. 4. de ſacr. c. 4. & in cap. 2. epiſt. 1. ad Timoth. verbis ſuprà citatis.

TE igitur clementiſsime pater, per Dominum noſtrũ Ieſum

IESVM Christum filium tuum, supplices rogamus & petimus, vti accepta habeas, & benedicas † hæc dona, † hæc munera, † hæc sancta sacrificia illibata: Inprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, vnà cum [famulo & sacerdote tuo Papa nostro N. & Pontifice nostro N. &] famulo tuo N. Imperatore, sed & regibus & cæteris orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.

MEMENTO Domine famulorum famularumque tuorum, & omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ, tibiq; reddũt vota sua, æterno Deo, viuo & vero.

VII. Infra actionem.

COMMVNICANTES & memoriam venerantes, inprimis gloriosæ semperque virginis Mariæ genitricis Dei ac Domini nostri Iesu Christi, sed & beatissimorum Apostolorum & martyrum tuorum Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomęi, Matthæi, Simonis & Thaddęi, Xysti, Laurentij, Hippolyti, Vincentij, Cornelij, Cypriani, Clementis, Chrysogoni, Ioannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, Apollinaris, Vitalis, Nazarij & Celsi, Protasij & Geruasij, Victoris, Naboris, Felicis, Calimeri, Materni, Eustorgij, Dionysij. Et omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Christum Dominum nostrum.

Nihil obstat quòd Diuus Syricius Papa hoc Missæ adiecisse scribatur, quia sub illo vixit aliquãdiù D. Ambros. qui SS. Apollinarem & cæteros Mediolanenses infrà scriptos addidit.

XX. Inuocatio sacerdotis.

FAC nobis Deus hanc oblationem asscriptam, rationabilem, acceptabilem, quæ nobis corpus & sanguis fiat di-

Hoc etiã ex ipso Ambrosio descriptum est lib. 4. de sacr. cap. 5.

lectiſsimi Filij tui, DEI & Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Yy. Ablutio digitorum.

LAVABO inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuerſa mirabilia tua.

Etiã hæc Ambroſiana ſunt loc.cit.

Zz. Conſecratio panis per verba Chriſti.

QVI pridiè quàm pateretur, in ſanctis manibus ſuis accepit panem, reſpexit in cælum, ad te ſancte pater, omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque Apoſtolis ſuis [& diſcipulis ſuis] tradidit, dicẽs: Accipite & edite ex hoc omnes. HOC EST ENIM CORPVS MEVM, quod pro multis confringetur.

Itẽ & hęc. Aaa. Conſecratio calicis per verba Chriſti.

SIMILITER etiam calicem poſtq̃ cœnatum eſt, pridiè quàm pateretur, accepit: reſpexit ad cælum, ad te ſancte pater, omnipotens æterne Deus, gratias agẽs, benedixit, Apoſtolis [& diſcipulis] ſuis tradidit, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes. HIC EST ENIM SANGVIS MEVS.

Ex eodem Ambroſ. lib. cap. 6. * hæc

MANDANS quoquè & dicens ad eos: Quotieſcunquè * hoc feceritis, totiès commemorationem meĩ facietis, [mortem meam prędicabitis, reſurrectionem meam annunciabitis, aduentum meum ſperabitis] donèc iterùm adueniam.

Bbb. Commemoratio, paſsionis, reſurrectionis, & Aſſcenſionis Domini.

Ibidèm.

ERGÒ memores glorioſiſsimæ eius paſsionis, & ab inferis reſurrectionis, & in cęlum aſſcenſionis, offerimus tibi hanc immaculatam hoſtiam, rationabilem hoſtiam, incruentam hoſtiam, hunc panem ſanctum, & calicem vitæ æternæ.

ET petimus & precamur, vt hanc oblationem ſuſcipias, in ſublimi altari tuo per manus angelorum tuorum, ſicut ſuſcipere digna-

dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech.

ccc. Oratio pro defunctis.

MEMENTO etiam Domine famulorum famularumq́ue tuorum N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt somno pacis: ipsis & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, ac pacis vt indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum.

Alludit ad hæc etiam Amb. de obitu Valentiniani.

ddd. Oratio sacerdotis pro seipso.

NOBIS quoquè minimis & peccatoribus famulis tuis, de multitudine misericordiæ tuæ sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis & martyribus, cum Ioanne & Ioanne, Stephano, Andrea, Petro, Marcellino, Agnete, Cæcilia, Felicitate, Perpetua, Anastasia, Agatha, Euphemia, Lucia, Apollonia, Iustina, Sauina, Tecla, Pelagia atque Catharina. Et cum omnibus sanctis tuis: intrà quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed venię, quęsumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

PER quem hęc omnia Domine semper bona creas, † sanctificas, † viuificas, † benedicis, & nobis famulis tuis largiter præstas, ad augmentum fidei, & remisionem omnium peccatorum nostrorum. Et est tibi DEO patri omnipotenti, ex ipso †, & per ipsum †, & in ipso †, omnis honor, virtus, laus & gloria, imperium †, perpetuitas †, & potestas † in vnitate spiritûs sancti: Per infinita secula seculorum. Amen.

eee. Confractio hostiæ, & commixtio in calice.

CORPVS tuum frangitur Christe, calix benedicitur: sanguis tuus sit nobis semper ad vitam & ad saluandas animas, Deus noster.

COM-

COMMIXTIO consecrati corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, nobis edentibus & sumentibus proficiat ad vitam & gaudium sempiternum.

R. T. fff. Confractorium siue Antiphona ad confractionem.

MAGNVM & salutare mysterium Dei nostri: quæ peperit, & mater & virgo est: quem peperit, Deus & homo est: ipse est creator omnium, filius virginis, Dominus genitricis.

ggg. Oratio Dominica.

Hui⁹ quoq; meminit Amb. lib. 5. de sacr. c. 4.

DIVINO magisterio edocti, & salutaribus monitis instituti, audemus dicere: Pater noster qui es in cælis &c.

Eiusdem appendix.

Amb. ibi. lib. 6. ca. 5.

PER Dominum nostrum Iesum Christum, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas cum spiritu sancto à seculis, & nunc & semper & in omnia secula seculorum. Amen.

hhh. Pacis nunciatio.

V. Pax & communicatio Domini nostri Iesu Christi sit semper vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Offerte vobis pacem.

R. Deo gratias.

V. Pax in cælo, pax in terra, pax in omni populo, pax sacerdotibus Ecclesiarum DEI. Pax Christi & Ecclesiæ maneat semper nobiscum.

iii. Oratio ante Communionem corporis Domini.

DOMINE sancte, pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc corpus Iesu Christi filij tui Domini mei ità sumere, vt non sit mihi ad iudicium, sed ad remissionē omnium peccatorū meorum. Qui tecum.

kkk. Item ante Communionem sanguinis Domini.

PRAE-

PRAESTA, quæso Domine, vt perceptio corporis & sanguinis Dñi nostri Iesu Christi, quem pro nobis dignatus es effundere, ab omni nos peccati macula purget, & ad vitam perducat æternam. Amen.

LLL. Orationes post sumptionem vtriusque.

DEO gratias, Deo gratias. Accepta Christi munera sumamus Dei gratia, non ad iudicium, sed ad saluandas animas Deus noster.

CONFIRMA hoc DEVS quod operatus es in nobis, & dona Ecclesiæ perpetuam tranquillitatem & pacem. Per Dominum nostrum.

ASSCENDAT Domine oratio nostra ad thronum Maiestatis tuæ, & nè vacua reuertatur ad nos postulatio nostra, Domine exaudi orationem nostram. Et clamor noster ad te perueniat. Et nè vacua reuertatur &c.

MMM. Communio adstantium.

V. Corpus Christi. Hoc quoq; desumptum est, ex Ambr. li. de sacr. 4. cap. 5.

R. Amen.

NNN. Transitorium.

GAVDE & lætare exultatio angelorum. Gaude Domini virgo, Prophetarum gaudium. Gaudeas benedicta, Dominus tecum est. Gaude quę per angelum gaudium mũdi suscepisti. Gaude quę genuisti factorem & Dominum. Gaudeas, quia digna es esse mater Christi.

OOO. Salutatio populi.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

PPP. Oratio post Communionem. R. T.

REPLE, quæsumus, Domine famulos tuos tua sacra benedictione: vt qui te factorem & conditorem ad eos renouandos Dominum nostrum Iesum Christum aduenisse confidunt, te au-

thore iugiter operante ſaluentur. Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuis & regnas.

qqq. Iterùm.

DOMINVS vobiſcum.
R. Et cum ſpiritu tuo.

rrr. Rursùm.

R. T. Kyrie eleyſon, Kyrie eleyſon, Kyrie eleyſon.

ſſſ. Benedictio.

R. T. V. Benedicat & exaudiat nos Deus.
R. Amen.

ttt. Dimiſsio populi.

PROCEDAMVS in pace.
R. In nomine Chriſti.

AMBROSIANAE MISSAE ORATIONES ET PRAEFATIONES PER RELIQVVM ANNI CIRCVLVM.

IN NAT. B. STEPHANI.

Sequentia ex Miſſal. Mediolā. deſumpta ſunt. Inter quæ præfationes etiam quędam cum codice MS. Guilielmitarū Brugeñ collatę ſunt. Quibus notulam MS. adiecimus.

Oratio ſuper populum.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui primitias martyrum in ſancti Leuitæ Stephani ſanguine dedicâſti: tribue, quæſumus, vt pro nobis interceſſor exiſtat, qui pro ſuis etiam perſecutoribus ſupplicauit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Qui tecum.

Oratio ſuper ſindonem.

DA, quæſumus, omnipotens Deus, vt beati protomartyris

tyris tui Stephani poſt natiuitatem Dñi noſtri Ieſu Chriſti ſolennia recenſentes, & meritis ipſius protegamur, & precibus adiuuemur. Per eundem Dominum.

Oratio ſuper oblatam.

HOC munus populi tui Domine, Leuitæ & protomartyris tui Stephani deprecatione ſit gratum, vt eccleſia tua eius ſemper interceſsionibus adiuuetur, cuius ſine ceſſatione inſtruitur diſciplinis. Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui Leuitarum præconem vocâſti Stephanum: Hic tibi primus dedicauit martyrij nomen: Hic tibi inchoauit primus effundere ſanguinem: Hic meruit videre cælos apertos, & filium ſtantem ad dexteram patris. In terris hominem adorabat, & in cælo filium patris eſſe clamabat. Hic magiſtri verba referebat, quia quod Chriſtus dixit in cruce, hoc Stephanus docuit in ſanguinis ſui morte. Chriſtus in cruce indulgentiam ſeminabat, & Stephanus pro ſuis lapidatoribus Dominum ſupplicabat. Propterea cum angelis & archang. M. S.

Oratio poſt Communionem.

GRATIAS tibi agimus Domine, multiplicatis circa nos miſerationibus tuis, qui & filij tui natiuitate nos ſaluas, & B. protomartyris tui Stephani deprecatione ſuſtentas. Per eundem Dominum.

B. IN NAT. B. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE.

Oratio ſuper populum.

DEVS, qui per os beati Apoſtoli tui Ioannis Euangeliſtæ, verbi tui nobis arcana reſerâſti: præſta, quæſumus, vt quod ille noſtris auribus excellenter infudit, intelligentiæ competentis eruditione capiamus. Per eundem Dominum.

Oratio ſuper ſind.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt verbum caro factum, quod B. Ioannes Euangeliſta prædicauit, per hoc ſuĩ myſterium habitet ſemper in nobis. Qui tecum.

Oratio ſuper obl.

SVPPLICATIONIBVS Apoſtolicis B. Ioannis Euangeliſtę, quęſumus Domine, Eccleſię tuę commendetur oblatio, cuius magnificis prędicationibus eruditur. Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

M. S. AETERNE Deus. Beati Ioannis Euangeliſtę merita recolentes, quem Dominus Ieſus Chriſtus non ſolùm peculiari ſemper decore ornauit, ſed & in cruce poſitus, tanquàm hæreditario munere proſecutus, vicarium pro ſe matri filium clementer adtribuit. Quem intantùm benignitas indulta pręfecit, vt & factus ex piſcatore diſcipulus, & humanę diſpenſationis modum excedens, ipſam verbi tui ſine initio Deitatem, prę cęteris & mente conſpiceret, & voce proferret. Propterea cum angelis & archang.

Oratio poſt Communionem.

APOSTOLICA B. Ioannis Euangeliſtę, quęſumus Domine, interceſſione nos adiuua, pro cuius ſolennitate percepimus tua ſancta lętantes. Per Dominum noſtrum.

c. IN NAT. BEATORVM INNOCENTVM.

Oratio ſuper populum.

LAETETVR, quæſumus, Domine Eccleſia tua de tuorum celebritate infantum, & miſericordiæ tuæ iugiter experiatur effectum: quô & fragilitas humana ſubſiſtat, & diuina ſupplicantibus redemptio non negetur. Per Dominum noſtrum.

Oratio ſuper ſind.

TRE-

TRIBVE, quęsumus, omnipotens Deus, vt Innocentum sinceritarem posimus imitari, quorum tibi dicatam veneramur infantiam. Per Dominum.

Oratio super obl.

PRAESTA, quęsumus, omnipotens Deus, vt & hi martyres tui pro nobis interueniant, quorum clara prior est confesio, quàm loquela. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

AEQVVM & salutare. Nos in preciosa morte paruulorum te, Ms. sancte pater omnipotens, gloriosiùs collaudare, quos propter filij tui Domini nostri Saluatoris infantiam, bestiali sæuitia Herodes funestus occídit. Immensa clementiæ tuæ * dona cognoscimus. *benefi-cia Fulget nanque sola magìs gratia, quàm voluntas: & clara est priùs confesio, quàm loquela. Antè pasio, quàm membra pasionis existerent. Testes Christi, qui eius nondùm fuerant agnitores. O infinita benignitas omnipotentis, cùm pro suo nomine trucidatis, etiam nescientibus, æternæ meritum gloriæ perire non patitur, sed proprio cruore perfusis, & salus regenerationis expletur, & imputatur corona martyrij. Per eundem.

Or. post Com.

HODIERNAE solennitatis effectu sumpsimus Domine gaudia magna de paruis, suppliciter exorantes, vt hanc abundantiam in nostra quoquè saluatione defendas. Per Dominum nostrum Iesum Christum,

D. IN ORDINATIONE B. IACOBI ALPHAEI APOSTOLI XXX. DEC.

Or. super populum.

DEVS, qui huius diei venerandam sanctamque lætitiam beati Apostoli tui Iacobi festiuitate tribuisti, da Ecclesiæ

tuæ & amare quod credidit, & prędicare quod docuit. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Or. super sind.

TRIBVE, quæsumus, omnipotens Deus, vt cuius doctrina populus tuus ad confessionem Deitatis tuæ est institutus, eius suffragantibus meritis, diuinæ seruiat vnitati. Per Dominum nostrum.

Or. super oblata.

Supplicationibus, vt suprà in Nat. D. Ioannis.

Præfatio.

AETERNE Deus. Maiestatem tuam suppliciter deprecantes, vt digneris nos beati Iacobi Apostoli dignis precibus confouere, vt cuius victorijs sine cessatione gaudemus, protectione perpetua muniamur. Per Christum Dominum.

Or. post Com.

PIGNVS vitæ æternę capientes, humiliter te Domine imploramus, vt Apostolicis fulti patrocinijs, quod in imagine contigimus sacramenti, manifesta perceptione sumamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum.

E. DOMINICA I. POST NATIVITATEM DOMINI.

Or. super populum.

RESPICE, quęsumus, Domine populum supplicantem misericordiã tuam, ac dispone præsidijs, vt te in omnibus rectore gratuletur, quia non habet nisì in tua tantùm pietate fiduciam. Per Dominum.

Super sind.

PATEANT aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium: & vt petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita, postulare. Per Dominum.

Super

Super obl.

RESPICE Domine, quęsumus, nostram propitius seruitutem: vt quod offerimus, sit tibi munus acceptum, sit nostræ fragilitati subsidium. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Suppliciter implorantes, vt filius tuus Iesus Christus, qui se vsque in finem seculi suis promisit fidelibus affuturum, & præsentiæ corporalis mysterijs non deserat, quos redemit, & maiestatis suæ beneficijs non relinquat. Quem laudant.

Post Com.

REPLETI sumus Domine muneribus tuis: tribue, quęsumus, vt eorum emundemur effectu, & muniamur auxilio. Per Dominum nostrum.

F. INFRA OCT. NAT. DOMINI.

DEVS, qui restaurationem conditionis humanę mirabiliter operaris: tribue, quęsumus, vt simul perficiatur in nobis, quod verbi tui creauit dignatio, & quod eius hominis facti gloriosa natiuitas reformauit. Per eundem.

Super sindonem.

DEVS, qui humanum genus principaliter sauciatum, Christi tui natiuitate saluare dignatus es: præsta, quęsumus, vt non inhęreamus perditionis authori, sed ad redemptoris nostri consortia transferamur. Per eundem Dominum.

Super obl.

OBLATIO tibi sit Domine, quęsumus, hodiernę festiuitatis accepta, quia & nostræ reconciliationis processit perfecta placatio, & diuini cultûs nobis est indita plenitudo. Per Dominum nostrum.

Pręfatio.

AETERNE

AETERNE Deus. Tuæ laudi hostiam iugiter immolantes cuius figuram Abel iustus instituit, agnus quoquè legalis ostendit, celebrauit Abraham, Melchisedech sacerdos exhibuit: sed verus agnus & æternus Pontifex hodiè natus Christus impleuit. Et ideò cum angelis.

Post Com.

HIS Domine sacramentis tuus nos semper natalis instauret, cuius nouitas singularis, humanam repulit vetustatem. Qui cum patre.

De Calēd. Ianuar. habet Serm. Ambr. 17.

G. IN OCTAVA DOMINI.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui tuæ mensæ participes, à diabolico iubes abstinere conuiuio: da, quęsumus, plebi tuę, vt gustu mortiferæ prophanitatis abiecto, puris mentibus ad epulas æternæ salutis accedat. Per Dominum nostrum.

Super sind.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in vnigenito tuo nouam creaturam nos tibi esse fecisti, custodi opera misericordiæ tuę, & ab omnibus nos maculis vetustatis emunda: vt per auxilium gratiæ tuę, in illius inueniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Qui tecum.

Super obl.

Muneribus nostris, quęsumus Domine, precibusque susceptis, & cęlestibus nos munda mysterijs, & clementer exaudi. Per Dominum.

MS.

Præfatio.

* purificationem

PER Christum Dominum nostrum. Qui vt nos à graui seruitute legis redimeret, circuncisionis legalis * purgationem accepit: In qua & obseruationis antiquæ probator existeret, & humanam in se naturam vetustate expolians innouaret. Pręteriti sacramentorum consummator mysterij, idem legislator & custos, præcipiens

cipiens & obediens, diues in ſuo, pauper in noſtro. Par turturum vel duos pullos columbarum: ſacrificio vix ſufficit cęli terręque poſſeſſor. Grandęui Simeonis inualidis geſtatur manibus, à quo mundi rector & Dominus prædicatur. Accedit etiam teſtificantis oraculum viduę, quoniam decebat vt ab vtroque annunciaretur ſexu vtriuſque ſaluator. Quem laudant.

Super Com.

FAC nos, quæſumus Domine, multiplicatis ſolennitatibus iterare, quod nobis cauſam perpetuæ ſaluationis operatur. Per Dominum noſtrum.

H. IN VIGILIA EPIPHANIAE DOMINI.

De Epiphania Ser. 18. 20. 21. & 22.

Orat. poſt Lect. 1.

ANNVE, quęſumus, omnipotens Deus, vt ſicut ſcrutantibus Magis hodiè latenter eſt cognitus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & adoratus à cunctis gentibus, ità & noſtris ſenſibus manifeſtatus adueniat, & omni homini innoteſcat. Qui tecum viuit & regnat.

Or. poſt Lect. 2.

PRAESTA, quęſumus, omnipotens Deus, vt ſaluatoris mundi, ſtella duce, manifeſtata natiuitas mētibus noſtris reueletur ſemper & creſcat. Per eundem Dominum noſtrum.

Or. poſt Lect. 3.

DEVS illuminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere, & illud lumē ſplendidum infunde cordibus noſtris, quod trium Magorum mentibus adſperſiſti. Per Dominū noſtrū.

Or. ſuper populum.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui verbi incarnationem præclari teſtimonio ſideris indicâſti, quod videntes Magi, oblatis maieſtatem tuam muneribus adorauerunt: concede nobis, vt ſem-

per in mentibus nostris tuę appareat stella iustitię, & noster in tua sit confessione thesaurus. Per eundem.

Super sind.

ADESTO Domine supplicationibus nostris, & populo tuo, quem tibi ex omnibus gentibus elegisti, veritatis tuæ lumen ostende. Per Dominum.

Super obl.

ECCLESIAE tuæ, quęsumus Domine, propitius dona intuere quibus non iam aurum, thus & myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, Iesus Christus Dominus noster. Qui tecum viuit & regnat.

Præfatio.

M. S. PER Christum Dominum nostrum. Qui à puerperio cælesti intulit mundo suæ miracula maiestatis, vt adorandã Magis ostenderet stellam: & transacto temporis interuallo, aquam mutaret in vinum: & suo quoquè baptismate sanctificaret fluenta Iordanis, idem Iesus Christus Dominus noster. Quem vnà.

Post Commun.

LARGIRE, quęsumus, omnipotens Deus supplicibus tuis, vt quem natum in terris fatemur hominem, hunc Deum, astris quoquè fatentibus, adoremus. Qui tecum.

1. IN FESTO EPIPHANIAE DOMINI.

Super populum.

DEVS, qui hunc diem electionis gentium primitijs consecrâsti, & per luminis tui stellam, manifestum te nobis ostẽdisti: tribue, quæsumus, vt noua cęlorum & mirabilis claritas, in nostris semper cordibus oriatur. Qui cum patre.

Annunciatio diei Paschatis per Diaconum.

NOVERIT charitas vestra, fratres charissimi, quòd annuente

Dei

Dei & Domini nostri Iesu Christi misericordia, die tali mensis talis Pascha Domini celebrabimus.

Super sind.

TRIBVE, quęsumus, omnipotens Deus, vt sicut omnes nationes veniunt gaudentes adorare Christum regem Dominum natum, ità & hæc præclara lux habitet semper in nobis. Per eundem Dominum nostrum.

Super obl.

PIETATIS tuæ Domine sacramentum hodierna solennitate recolentes, pro apparitione Domini nostri IESV Christi, & pro nostræ vocationis exordijs, sacrificium tibi laudis offerimus, quod propitiatus suscipias deprecamur. Per eundem Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui te nobis super Iordanis alueum de cælis in voce tonitrui præbuisti, vt saluatorem mundi demonstrares, & te patrem æterni luminis ostenderes, cælos aperuisti, aërem benedixisti, fontem purificâsti, & tuum vnicum filium per speciem columbę sancto spiritu declarâsti : Susceperunt hodiè fontes benedictionem tuam, & abstulerunt maledictionem nostram, ità vt credentibus purificationem omnium delictorum exhibeant, & * Deo filios generando * adoptiuè faciant, ad vitam æternam. Nam quos ad temporalem vitam carnalis natiuitas fuderat, quos mors per prȩuaricationem ceperat, hos vita æterna recipiens, ad regni cȩlorum gloriam reuocauit. Per eundem Christũ Dominum. Ms. * Dei * adoptione

Post Communionem.

CAELESTI lumine, quęsumus, Domine semper & vbiquè nos præueni, vt mysterium, cuius nos participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus effectu. Per Dominum nostrum.

K. DOM. I. POST EPIPHAN.

Super populum.

BENEDICTIO, quæſumus, Domine in tuos fideles copioſa deſcendat, & quam ſubiectis cordibus expetunt, largiter conſequantur: quoniam ſicut ſuperbis reſiſtis, ſic humilibus tuis gratiam benignus impendis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

Super ſindonem.

VOTA, quęſumus, Domine ſupplicantis populi cæleſti pietate proſequere, vt quæ agenda ſunt, videant: & ad implenda, quæ viderint, conualeſcant. Per Dominum.

Super obl.

QVAESVMVS, Domine Deus noſter, vt noxijs deſiderijs expeditos, deuotionem nos tibi liberam atque oblationem offerre concedas. Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Suppliciter exorantes, vt qui te authore ſubſiſtimus, te diſpenſante dirigamur, non noſtris ſenſibus relinquamur, ſed ad tuæ reducti ſemper tramitem veritatis, hæc ſtudeamus exercere quæ præcipis, vt dona poſſimus percipere quæ promittis. Per Chriſtum.

Poſt Com.

QVAESVMVS, Domine Deus noſter, vt quos diuinis reparare non deſinis ſacramentis, tuis non deſtituas benignus auxilijs. Per Dominum noſtrum.

L. DOM. II. POST EPIPHAN.

Super populum.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui cęleſtia ſimul & terrena moderaris, ſupplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus. Per Dominum.

Super

Super ſind.

ADESTO, quæſumus, Domine ſupplicationibus noſtris,& in tua miſericordia confidentes, ab omni nos aduerſitate cuſtodi. Per Dominum.

Super oblatam.

OBLATA Domine munera ſanctifica, nosq́ue per hæc à peccatorum noſtrorum maculis emunda. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Semperq́ue virtutes & laudes tuas labijs exultationis effari, qui nobis ad releuandos iſtius vitæ labores, diuerſa donorum tuorum ſolatia, & munerum ſalutarium gaudia contuliſti, mittēdo nobis Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem.

Poſt Communionem.

AVGEATVR in nobis Domine, quæſumus, tuæ virtutis operatio, vt diuinis vegetati ſacramentis, ad eorum promiſſa capienda tuo munere præparemur. Per Dominum noſtrum.

M. DOMINICA III. POST EPIPHAN.

Super populum.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, infirmitates noſtras propitius reſpice, atque ad protegendum nos, dexteram tuæ maieſtatis extende. Per Dominum.

Super ſind.

VOX clamantis Eccleſiæ ad aures Domine, quæſumus, tuæ maieſtatis aſſcendat, vt percepta venia peccatorum, te fiat operante deuota, & te protegente ſecura. Per Dominum.

Super obl.

HAEC hoſtia Domine, quæſumus, emundet noſtra delicta, & ad ſacrificium celebrandum, ſubditorum tibi corpora menteſq́; ſanctificet. Per.

Præfatio.

AETERNE Deus. Et te in omni tempore collaudare & benedicere, quia in te viuimus, mouemur, & sumus: & nullum tempus nullumque momẽtum est, quod à beneficijs pietatis tuæ vacuum transigamus. Varijs etenim solennitatum causis, salutarium nobis operum tuorum & munerum memoria, præsentis vitæ tempora exornat. Vndè & nos vel innouante lætitia præteriti gaudij, vel permanentis boni tempus agnoscentes, indefessas maiestati tuæ grates exoluimus. Per Dominum.

Post Communionem.

QVOS tantis Domine largiris refici salutaribus mysterijs, quęsumus, vt effectibus nos eorum veraciter aptare digneris. Per Dominum.

N. DOM. IIII. POST EPIPHAN.

Super populum.

CONSERVA, quæsumus, Domine familiam tuam, & benedictionum tuarum propitius vbertate purifica, vt eruditionibus tuis semper multiplicetur & donis. Per.

Super sind.

FAMILIAM tuam, quæsumus, Domine dextera tua perpetuo circundet auxilio, vt ab omni prauitate defensam, bonis cælestibus prosequatur. Per Dominum.

Super oblat.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt huius sacrificij munus oblatum, fragilitatẽ nostram ab omni malo purget semper & muniat. Per.

Præfatio.

QVIA tu in nostra semper faciens infirmitate virtutem, Ecclesiam tuam inter aduersa crescere tribuisti, vt quum putaretur oppressa, tunc potiùs exaltata præualeret, dum simul & experienti-

entiam fidei declarat afflictio,& triumphatrix semper perseuerat, te adiuuante,deuotio. Per Christum.

Post Communionem.

QVAESVMVS &c. vt suprà Dom.1.

o. DOM. V. POST EPIPHAN.

Super populum.

OMNIPOTENS sempiterne Deus,dirige actus nostros in beneplacito tuo,vt in nomine dilecti filij tui mereamur bonis operibus abundare.Per eundem.

Super sind.

PROPITIARE misericors Deus supplicationibus nostris,& populum tuum pia protectione custodi,vt qui vnigenitum tuum in carnem nostri corporis Deum natum esse fatentur,nulla posint diaboli falsitate corrumpi. Per eundem Dominum.

Super obl.

CONCEDE, vt Dom. præcedenti.

Præfatio.

AETERNE Deus. Et tibi hanc immolationis hostiam offerre, quę salutifero & ineffabili diuinę gratię sacramento offertur à plurimis,& vnũ corpus Christi, sancti spiritûs infusione efficitur. Citat hãc Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus Pręfat. D. est totus.Nec per singulos minuitur,sed integrum se præbet in singulis.Propterea ipsi qui sumimus communionem huius sancti pa- Ambrosij titulo, D. Algerus nis & calicis,vnum corpus efficimur. Per ipsius itaq; maiestatem libr. 1. de te supplices exoramus,vt nos ab omnibus emundes contagijs vetu- Sacram. statis,& in nouitate vitæ perseuerare concedas. Per eundem Christum.

Post Communionem.

PER huius Domine mysterij virtutem & vitia nostra purgẽtur,& iusta desideria compleantur. Per.

P. IN NAT. S. AGNETIS.

Super populum.

DEVS, qui vt humanum genus ad confeßionem tui nominis prouocares, etiam in fragili ſexu perfeciſti conditionem martyrij: præſta, quæſumus, vt Eccleſia tua hoc exemplo commonita, nec pati pro te metuat, & cæleſtis præmij gloriam concupiſcat. Per Dominum.

Super ſind.

DA nobis, quæſumus Domine, beatæ martyris tuæ Agnetis confidenter honorare infantiam, quæ in puellari conſiſtens ætate, mortem pro tua confeßione calcauit. Per Dominum.

Super obl.

MVNERA plebis tuæ, quęſumus, Domine lętanter offerimus, quæ in honore nominis tui & ſanctæ Agnetis nobis remedia ſempiterna dignanter impendant. Per Dominum.

Præfatio.

M. S. AETERNE Deus. Recenſentes diem beatæ Agnetis martyrio conſecratum, quæ terrenæ generoſitatis oblectamenta deſpiciens, cæleſtem meruit dignitatem. Et ſocietatis humanæ vota contemnens, æterni regis eſt ſociata conſortio: Et precioſam mortem, ſexûs fragilitate calcata, pro Chriſti confeßione ſuſcipiens, ſimul eſt eius facta conformis, vt ſempiternitati eius ſociaretur & gloriæ. Per eundem Chriſtum Dominum.

Poſt Communionem.

REFECTI cibo potuque cæleſti, DEVS noſter, te ſupplices exoramus, vt in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus. Per Dominum noſtrum.

Q. IN NAT. S. VINCENTII.

Super populum.

DEVS mundi creator & rector, qui hunc diem in Leuitæ tui Vincentij martyrio conſecrâſti: exaudi propitius ſupplices tuos, & con-

& concede, vt omnes qui martyrij eius merita veneramur, intercesionibus eius ab æternis gehennæ incendijs liberemur. Per Dominum.

Super ſind.

AVXILIVM, quæſumus, Domine Maieſtati tuæ poteſtatique ſubiectis tribue, vt quicquid actibus noſtris non meremur accipere, beati Leuítæ & martyris tui Vincentij precibus aſſequamur. Per Dominum.

Super obl.

HOSTIAS tibi Domine B. Vincentij Leuítæ & martyris tui dicatas meritis, benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue prouenire ſubſidium. Per Dominum.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Qui martyrem ſuum M. S. Vincentium vocauit ad gloriam, qui eum per martyrij vulnera cæleſtem vocauit ad palmam. Hic nempe martyr, verus Domini teſtis, non dubitauit pro Chriſto animam dare in mortem, ſciens quòd hîc non haberet ciuitatem manentem, ſed in cælo diſtributam hæreditatem per ſortem. Non timuit tortoribus in pœnis tradere membra, ſciens quòd caro ſua glorificata reſurgat, & propter dolorum flagella recipiat præmia ſempiterna. Torquetur, tũditur, flagellatur, exuritur: ſed inuictus pro ſancto nomine animus, non concutitur. * Plùs ardet igne cæli, quàm ferri: plùs nectitur timore DEI, quàm * ſeculi. Plùs voluit placere Deo, quàm foro: plùs dilexit mori mundo, quàm Domino. Propter quod in ſancta confeſsione triumphans, nec in perſecutione animam ponere dubitans, carnea clauſtra relinquens, ad cęleſte regnũ conſcendens, cum ſanctis omnibus exultat & gaudet. Et ideò cum.

* plus ardens
* pœnæ

Poſt Communionem.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt qui cæleſtia alimenta percepimus, intercedente beato Vincentio Leuíta & martyre

tuo, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per Dominum.

R. IN CONVERSIONE S. PAVLI.

Super populum.

DEVS, qui vniuersum mundum beati Apostoli tui Pauli prædicatione docuisti, da nobis, quæsumus, vt cuius hodiè conuersionem colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Super sindonem.

PRAESTA nobis, quæsumus, Domine consolationis auxilium, vt diuturnis calamitatibus laborantes, beati Apostoli tui Pauli intercessione, à cunctis tribulationibus eruamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

Super obl.

APOSTOLI tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica, vt quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui Ecclesiam tuam in beati Apostoli tui Pauli prædicatione constantem, nulla sinis fallacia violari: Quia nihil in vera religione manere censetur, quod eius non * conuenerit disciplinis. Quem hodiè vas factum electionis, magistrum & doctorem gentium vocandarum, mutato in Paulum nomine, collocâsti. Per Christum.

* condicerit disciplina.

Post Communionem.

SANCTIFICATI Domine salutari mysterio, quæsumus, vt pro nobis eius non desit oratio, cuius donâsti patrocinio gubernari. Per Dominum.

S. IN NAT. S. AGATHAE.

Super populum.

INTERCESSIONIBVS beatæ virginis & martyris tuę Agathæ, quæsumus Domine, fructum clementiæ tuę sentiant supplican-

cantes,cuius orationibus in ſancta tua Eccleſia etiam eorum deuotę efficiantur mentes. Per Dominum noſtrum.

Super ſind.

TRIBVE, quęſumus, omnipotens Deus, vt ſanctæ virginis & martyris tuę Agathę ſolennitate lętemur,& tantę fidei & caſtitatis proficiamus exemplo. Per Dominum noſtrum.

Super oblat.

FIANT Domine tuo grata conſpectui munera ſupplicantis Eccleſiæ, & vt noſtrę ſaluti proficiant, adſit interceßio beatę tuę martyris Agathę. Per Dominum.

Præfatio.

AEQVVM & ſalutare. Nos te in hoc pręcipuè die digna laude pręconij canere, in quo Agatha triumphans, hoſtia tuę maieſtati oblata eſt: Cui tantam contuliſti victoriam,vt ipſa ſęua & aſpera victricem tremerent tormenta. Cuius lampas coruſcis emicat fulgoribus, vt reſeratas poli ingredi valeat ianuas. O felix & inclyta virgo, quę meruit Domini pro laude fidelis martyrium ſanguine clarificare ſuum. O illuſtris & glorioſa, gemino illuſtrata decore, quę inter tormenta aſpera, cunctis pręclara miraculis, & myſtico pollens ſuffragio, Apoſtoli tui meruit viſitatione curari. Hanc Chriſto nuptam ſuſceperunt angelorum agmina, quę mentis eius ſanctitatem indicârũt,& patrię liberationem. Per eundem Chriſtum.

Poſt Communionem.

EXVLTEMVS pariter de percepto pane iuſtitię, & de tuę Domine feſtiuitate martyris Agathæ, quia interuentionibus tibi placentium confidimus,nobis ad perpetuam vitam profutura quę ſumpſimus. Per Dominum noſtrum.

T. IN NAT. S. MATHIAE.

Super populum.

DEVS, qui proditoris tui ruinam, nè Apostolorum tuorum numerus sacratus perfectione careret, beati Apostoli tui Mathiæ electione supplêsti: præsta, quæsumus, vt eius protegamur meritis, in cuius festiuitate annua deuotione lætamur. Per Dominum.

Super sind.

DEVS, qui es vita indeficiens & salus ęterna, exaudi nos clemens & propitius, vt qui ad beatissimi Apostoli tui Mathię festiuitatem conueniunt, eius interuentu à morte perpetua liberentur. Per Dominum.

Super oblatam.

SACRIFICIA Domine tibi laudis offerimus, beati Apostoli tui Mathię solennia recolentes, vt in eius sortis collegio, gratia tua opitulante, purificatis mentibus inueniri mereamur. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Te suppliciter exorantes, vt gregem tuum pastor ęterne non deseras, sed per beatum Mathiam continua protectione custodias. Quem inter sanctos Apostolos tuos constituere dignatus es, vt quod nequissimi infidelitas dignè amiserat, istius fidelissimi constantia benè promerendo susciperet. Et ideò cum.

Post Com.

PLACEANT, quęsumus, omnipotens Deus Maiestati tuę sacrificia, quę sumpsimus, & sicut beatum Mathiam Apostolorum tuorum numero sorte aggregâsti, ità nos mente & corpore emundatos, eius consortio sociare digneris. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

v. DOM. IN SEPTVAGESIMA.

Super populum.

PRECES populi tui, quæsumus, Domine clementer exaudi, vt

vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur. Per Dominum noſtrum.

Super ſind.

FAMILIAM tuam, quæſumus, Domine continua pietate cuſtodi, vt quæ in ſola ſpe gratiæ cęleſtis innititur, tua ſemper protectione muniatur. Per Dominum.

Super obl.

HOSTIAS, quęſumus, Domine noſtræ deuotionis benignus aſſume, & ſacrificijs glorioſis ſubditorum tibi corda purifica. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Ad cuius immenſam pertinet gloriam, vt non ſolùm mortalibus tua Deitate ſuccurreres, ſed & de ipſa etiã mortalitate noſtra nobis remedium prouideres, & perditos quoſque, vndè periĕrant, indè ſaluares. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſt Com.

FIDELES tui Deus perpetuis donis firmentur, vt eadem & percipiendo requirant, & quęrendo ſine fine percipiant. Per Dominum noſtrum.

x. DOM. IN SEXAGES.

Super populum.

AVXILIARE Domine populo tuo, vt ſacræ deuotionis proficiens incrementis, & tuo ſemper munere gubernetur, & ad redemptionis æternę perueniat, te deducente, conſortiũ. Per Dominum noſtrum.

Super ſind.

ECCLESIAM tuam Domine perpetua miſeratione proſequere, vt inter ſeculi turbines conſtituta, & præſenti iucunditate reſpiret, & æternæ beatitudinis donum percipiat.

Super obl.

GRATIAS tibi referat Domine corde ſubiecto tua ſemper Eccleſia, & conſequenter obtineat, vt obſeruationes antiquas iugiter recenſendo, proficiat in futurum. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui nos de donis bonorum temporalium, ad perceptionem prouehis æternorum, Hæc enim tribuis, & illa promittis, vt & manſuris iam incipiamus inſeri, & prętereuntibus non teneri. Tuum eſt enim omne quod viuimus, quia licèt peccati vulnere natura noſtra ſit vitiata, tui tamen eſt operis, vt à terrenis ad cæleſtia renaſcamur. Per Chriſtum.

Poſt Com.

REFECTI vitalibus alimentis, quæſumus Domine, ad vitam nutriamur æternam. Per Dominum.

Y. DOM. IN QVINQVAG.

Super populum.

PRAESTA famulis tuis Domine abundantiam protectionis & gratiæ: Da ſalutem mentis & corporis, da cõtinuæ proſperitatis augmenta, & tibi ſemper fac eſſe deuotos. Per Dominũ.

Super ſind.

CONSERVA Domine familiam tuam bonis ſemper operibus eruditam: & ſic præſentibus conſolare præſidijs, vt ad ſuperna perducas dona propitius. Per Dominum.

Super obl.

SVSCIPE, quæſumus, Domine deuotorum munera famulorum, & diuinis purifica ſeruientes tua pietate myſterijs, quibus etiam iuſtificas ignorantes. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui ideò conditionis humanæ propenſis precibus exoraris, vt ſicut tu corripis filios ad paternam reueren-

uerentiam tardiores, ità nos ſolita pietate præuenias, vt & ſuppli-ces tuos fieri tribuas,& ſupplicantibus optata concedas.Per Chri-ſtum.

Poſt Com.

TVORVM nos Domine largitate donorum, & temporalibus attolle præſidijs, & renoua ſempiternis. Per Dominum no-ſtrum Ieſum Chriſtum.

2. DOM. IN CAPITE QVADRA-GESIMAE.

De Quadrag. habet Serm. Ambr. 23. 24. 25. 26. 27. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 79. 80. 83. 84. 85. 86. 87. 88. Meminit etiã Quadrag. Epiſt. 44. & de Helia ac ieiũ. c. 10.

Super populum.

CONCEDE nobis, omnipotens Deus, præſidia militiæ Chriſtianæ ſanctis inchoare ieiunijs, vt contra ſpiritales ne-quitias pugnaturi, continentiæ ſalutaris muniamur auxilijs. Per Dominum noſtrum.

Super ſindonem.

FAMILIAE tuæ, quæſumus Domine, abſolue peccata, men-teſque purifica, vt venerabilis ieiunij dies congrua deuotione repetentes, quæ fideliter poſcimus, impetrare mereamur. Per Do-minum noſtrum.

Super obl.

DA nobis, quęſumus, omnipotens Deus, ieiuniorum magni-fici ſacramenti & dignè ſemper tractare myſteria, & competenter honorare primordia. Per Dominum.

Pręfatio.

PER CHRISTVM Dominum noſtrum. In quo ieiunan-tium fides alitur, ſpes prouehitur, charitas roboratur. Ipſe eſt enim panis verus & viuus, qui eſt ſubſtantia æternitatis, eſca virtutis. Verbum enim tuum, per quod facta ſunt omnia, non ſolùm humanarum mentium, ſed ipſorum quoquè panis eſt angelorum. Huius panis alimento Moyſes famulus tuus, Ms.

quadra-

quadraginta diebus ac noctibus, legem suscipiens, ieiunauit: & à carnalibus cibis, vt tuę suauitatis capacior esset, abstinuit. Vndè nec famem corporis sensit, & terrenarum oblítus escarum est, quia illum gloriæ tuæ * clarificabat adspectus, & influente spiritu Dei sermo pascebat. Hunc panem etiam nobis ministrare non * desinas, quem vt indesinenter esuriamus hortaris, Iesum Christum Dominum nostrum, cuius carne, dum pascimur, roboramur: & sanguine, dum potamur, abluimur. Per quem.

* glorificabat.
* desinis, & vt cum indesinenter

Post Com.

SVMPSIMVS Domine sacramenta cælestia: propterea deprecamur, vt quorum continua perceptione reficimur, salutari traditione lętemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

A a. FERIA II.

ORATIONES & in hac & cæteris Quadragesimæ ferijs, prætermisimus, tum prolixitatis vitandę gratia, tum quòd ferè eædem sint cum Officio Gregoriano, ità vt ex Officio Ambrosiano illæ desumptę videantur, quarè eas requirat Lector curiosus Tom. 2. Prępationes verò earundem feriarum reperiet infrà sub finem 1. Tomi cum addita litera A. quę significet, in Ambrosiano Officio easdem reperiri. Hoc interìm adnotatu dignũ, quòd excepta die Parasceues, nullum hîc existet Officium in ferijs sextis Quadragesimæ, pręter eas quas suo loco subiecimus.

B b. DOM. QVADRAG. DICTA, DE SAMARITANA.

Finita ingressa, preces per Diaconum pronunciatæ, respondente choro.

DIVINAE pacis & indulgentię munere supplicantes, ex toto corde & ex tota mente precamur te.

R. Domine miserere.

Pro

Pro Ecclesia tua sancta catholica, quæ hîc & per vniuersum orbem diffusa est, precamur te.
Resp. Domine miserere.
PRO papa nostro N. & pontifice nostro N. & omni clero eorum, omnibusque sacerdotibus ac ministris, precamur te.
R. Domine miserere.
PRO famulo tuo N. imperatore, & famula tua N. imperatrice, & omni exercitu eorum, precamur te.
R. Domine miserere.
PRO famulo tuo N. rege & Duce nostro, & omni exercitu eius, precamur te.
R. Domine miserere.
PRO pace Ecclesiarum, vocatione gentium, & quiete populorum, precamur te.
R. Domine miserere.
PRO ciuitate hac & conuersatione eius, omnibusque habitantibus in ea, precamur te.
R. Domine miserere.
PRO aëris temperie, ac fructuum, & fœcunditate terrarum, precamur te.
R. Domine miserere.
PRO virginibus, viduis, orphanis, captiuis, ac pœnitentibus, precamur te.
R. Domine miserere.
PRO nauigantibus, iter agentibus, in carceribus, in vinculis, in metallis, in exilijs constitutis, precamur te.
R. Domine miserere.
PRO his qui diuersis infirmitatibus detinentur, quique spiritibus vexantur immundis, precamur te.
R. Domine miserere.
PRO his qui in sancta tua Ecclesia fructus misericordiæ lar-

giuntur, precamur te.

R. Domine miſerere.

EXAVDI nos Deus in omni oratione atque deprecatione noſtra, precamur te.

R. Domine miſerere.

DICAMVS omnes:

R. Domine miſerere.

Kyrie eleyſon, Kyrie eleyſon, Kyrie eleyſon.

Or. ſuper populum.

INCHOATA ieiunia, quęſumus Domine, Eccleſiæ tuę benigno fauore proſequere, vr obſeruantiam quam corporaliter exercemus, mentibus valeamus implere ſinceris. Per Dominũ noſtrũ.

Super ſind.

ADESTO Domine ſupplicationibus noſtris, vt hoc ſolenne ieiunium quod animabus corporibusq́ue curandis ſalubriter inſtitutum eſt, deuoto ſeruitio celebremus. Per Dominum.

Super obl.

DOMINE Deus noſter, in cuius ſpiritalibus caſtris militat laudanda ſobrietas, abſtinentia fructuoſa, & caſti pectoris opulenta frugalitas: ieiunantium vota clementer adſume, & fidelibus * poſtulatus conſueta pietate ſuccurre. Per Dominum.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Qui ad inſinuandum
* humanitatis * humilitatis ſuę myſterium, fatigatus reſedit ad puteum, & à muliere Samaritana aquæ ſibi petijt porrigi potum, quia in ea creauerat
* domum fidei * donum: Et ità eius ſitire dignatus eſt fidem, vt dum ab ea aquam peteret, in ea ignem diuini amoris accenderet. Imploramus itaque immenſam clementiam tuam, vt contemnentes tenebroſam profunditatem vitiorum, & relinquentes noxiarum hydriam cupiditatum, te qui fons vitæ, & origo bonitatis es, ſemper ſitiamus, & tibi ieiuniorum noſtrorum obſeruatione pla-

ne placeamus. Per eundem Christum.

Post Com.

TRIBVE nobis omnipotens Deus, vt dona cælestia quæ debito frequentamus obsequio, sincera professione sectemur. Per Dominum nostrum Iesum.

cc. FERIA IIII.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui ieiunia sacro instituto exequi præcepisti: vt per hanc abstinentiam, sicut confidimus de tua misericordia, mereamur veniam delictorum. Tu enim solus Deus abluis ægritudines animarum, quæ peccati vitio irrogantur: & facis abstinentiam prodesse, quibus fuerat obligata præsumptio. Per Christum Dominum.

dd. DOM. QVADRAG. DE ABRAHAM.

Finita ingressa, preces.

DICAMVS omnes:
R. Kyrie eleyson.
DOMINE Deus omnipotens patrum nostrorum.
R. Kyrie eleyson.
RESPICE de cælo Deus, & de sede sancta tua.
R. Kyrie eleyson.
PRO Ecclesia tua sancta catholica, quam conseruare digneris.
R. Kyrie eleyson.
PRO papa nostro N. & pontifice nostro N. & sacerdotio eorũ.
R. Kyrie eleyson.
PRO vniuersis Episcopis, cuncto clero & populo.
R. Kyrie eleyson.
PRO famulo tuo N. Imperatore, & famula tua N. imperatrice, & omni exercitu eorum.

R. Kyrie eleyson.
PRO famulo tuo N. rege & duce nostro, & omni exercitu eius.
R. Kyrie eleyson.
PRO ciuitate hac, omnibusque habitantibus in ea.
R. Kyrie eleyson.
PRO aëris temperie, ac fructuum, & fœcunditate terrarum.
R. Kyrie eleyson.
LIBERA nos qui liberâsti filios Israel.
R. Kyrie eleyson.
IN manu forti & brachio excelso.
R. Kyrie eleyson.
EXVRGE Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum.
R. Kyrie eleyson, Kyrie eleyson, Kyrie eleyson.

Super populum.

ADIVVA Domine fragilitatẽ plebis tuæ ieiunij sacramento, vt ad votiuos Paschalis celebritatis effectus & corporaliter gubernata cõcurrat, & per tuã gratiã deuota perueniat. Per Dñm nostrũ.

Super sindonem.

SANCTIFICA Domine, quęsumus, nostra propitius ieiunia, & cunctarum nobis indulgentiam largire placatus culparum. Per Dominum.

Super obl.

OFFERIMVS tibi Domine munera supplicantes, vt quæ subditi pijs celebramus officijs, plenis affectibus exequamur. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Tu es enim Dñe nouissimus pater, qui ante multa tempora, Abrahæ in semine Christi tui, Deique, natiq; aduentum clamâsti. Iam iamq; tenemus, quod olim patribus promittebas. Nam quòd Abrahæ sancto gentium populus pollicetur, verissi-

verißimè ex omni gente, tribu & lingua, Christiana religio congregatur. O quàm perfida & pertinax gens Iudæorum iniqua, qui cælestem patrem recognoſcere nolunt, & in ſemine gloriantur. O ingrata gens, multis perculſa vicibus, qui reſpuunt præſentem, nec valent tenere abſentem. Nos verò magnis vocibus exultemus, qui & locum pariter & regnum accepimus Iudæorum. Per eundem Christum.

Post Communionem.

SVPPLICES te rogamus omnipotens Deus, vt quos tuis reficis ſacramentis, etiam placitis moribus deſeruire concedas. Per Dominum.

DOM. QVADR. DE CAECO.

Preces.

DIVINAE pacis &c. vt ſuprà.

Super populum.

DEVS, qui homini ad imaginem tuam cōdito, ideò das temporalia, vt largiaris æterna: Eccleſiam tuam ſpiritali fœcunditate multiplica, vt qui ſunt generatione terreni, fiant regeneratione cæleſtes. Per Dominum noſtrum.

Super ſind.

DEVS, in cuius præcipuis mirabilibus eſt humana reparatio, ſolue opera diaboli, & mortifera peccati vincula diſrumpe, vt deſtructa malignitate quæ nocuit, vincat potiùs miſericordia quę redemit. Per Dominum.

Super obl.

SVSCIPE Domine ſacrificium, cuius te voluîſti dignanter immolatione placari, & præſta, quæſumus, vt huius operatione mundati, beneplacitum tibi noſtræ mentis offeramus affectum. Per Dominum noſtrum Ieſum.

Præfatio.

AEQVVM & salutare. Nos tibi Domine, in excelsa cælorum qui resides arce, gratias referre, & totis sensibus confiteri: Quoniam per te infirmis mundi cæcitate detersa, verum lumen emicuit, quòd inter multarum tuarum virtutum miracula, cæcum à natiuitate, videre iussisti. In quo genus humanum originali caligine maculatum, futuri forma expressum est. Nam illa Siloe natatoria, ad quam ille mittitur cæcus, nil aliud, nisì fons sacer signatus est: Vbì non tantùm corporea lumina, sed totus homo saluatus est. Per Christum.

Post Communionem.

SACRAE nobis, quæsumus Domine, mensæ libatio, & piæ conuersationis augmentum, & tuæ protectionis continuum præstet auxilium. Per Dominum.

ff. DOM. QVADR. DE LAZARO.

Preces.

DICAMVS omnes &c. vt suprà.

Super populum.

DA cordibus Ecclesiæ tuæ Domine, quæsumus, desideria terrenæ conditionis abscindere, & cęlestis vitę spiritum sensibus eius largiùs infunde: nec pręualeat ille qui perdidit, sed vincat potiùs qui redemit, vt à vetustatis lege mundata proficiat, & ad æternam perueniat tuo munere nouitatem.

Super sind.

DEVS, qui licèt salutem hominum semper opereris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiore lætificas: respice propitius ad electionem tuam, vt paternę protectionis auxilium, & regenerandos muniat, & renatos. Per Dominum nostrum.

Super obl.

DICATAE Domine, quæsumus, capiamus oblationis effectum,

ctum, vt terrenę vetustatis conuersatione mundati, cęlestis vitæ profectibus innouemur. Per Dominum nostrum Iesum.

Præfatio.

PER Christum Dominum nostrum. Qui eminenti gloria maiestatis, plurima in terris mirabilia peregit, inter quę summę pietatis virtute quatriduanum Lazarum à nexu funeris liberauit. Iam enim teterrimo squalore subactus, in atra telluris humatus voragine, vinctus institis, quiescebat. Cuius mortem priùs per soporis requiem, postmodùm aperta voce Dominus discipulis reserauit. Quem & amicum pia dignatione commemorans, ad claustrum ipsius spelęi properauit. Ibique Iudęorum turbis adstantibus, lachrymosis oculis, infremuit ac plorauit. O quale exhibitionis miraculum, vt cęlorum conditor flere ante serui tumulum dignaretur. O quàm magnum & salutare mysterium, quod per resurrectionem Lazari figuraliter designatur. Ille tabo corporis dissolutus, per superni regis imperium, continuò surrexit ad vitam. Nos verò primi hominis facinore consepultos, diuina Christi gratia ex inferis liberauit, & rediuiuos gaudijs reddidit sempiternis. Quem laudant.

Post Com.

SATIATI munere salutari, tuam Domine misericordiam deprecamur: vt hoc eodem sacramento, quo nos temporaliter vegetas, efficias perpetuę vitę participes. Per Dominum nostrum.

FERIA TERTIA.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui non solùm peccata ieiunantium dimittis, sed ipsos etiam peccatores ieiunando iustificas: Et reis non tantùm pœnam relaxas, sed donas abstinentibus etiam præmia sempiterna. Per Christum Dominum.

gg. FERIA QVARTA.

Præfatio.

AETERNE Deus. Per hæc ſacroſancta myſteria quæ in noſtro ieiunio, iubente te, ſolenniter celebramus, tribue (quæſumus) propitiatus, vt vberior tuæ pietatis gratia redundet in nobis, vt, ſicut ſperamus, animabus ſimul & corporibus tribuas æternæ vitæ ſalutem. Per Chriſtum.

hh. SABBATO IN TRADITIONE SYMBOLI.

Super populum.

DEVS, qui humani generis ità es conditor, vt ſis etiam reformator, propitiare populis adoptiuis, & nouo teſtamento ſobolem nouæ prolis aſſcribe, vt filij promiſsionis, quod non potuerunt aſſequi per naturam, gaudeant ſe recepiſſe per gratiam. Per Dominum.

Super ſind.

DA nobis obſeruantiam Domine legitimam & deuotionem perfectam, vt cum refrenatione carnalis alimoniæ, ſancta tibi conuerſatione placeamus. Per Dominum.

Super obl.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui nos ad æternam vitam in confeſsione tui nominis baptiſmatis reparas ſacraměto, ſuſcipe tuorum munera & vota famulorum, vt in te ſperantium & deſideria iubeas perfici, & peccata deleri. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Cuius nos miſericordia præuenit, vt benè agamus: ſubſequitur, nè fruſtrà agamus: Accendit intentionem, qua ad bona opera peragenda inardeſcamus: Tribuit efficaciam, qua hęc ad perfectum perducere valeamus. Tuam igitur clementiam indefeſsis vocibus obſecramus, vt nos ieiunij victimis, à pec-

catis

catis mundatos,ad celebrandam vnigeniti filij tui Domini nostri paſsionem facias eſſe deuotos. Per quem maieſt.

Poſt Communionem.

ADESTO Domine fidelibus tuis,& quos cæleſtibus reficis ſacramentis,à terrenis conſerua periculis. Per Dominum.

ii. DOM. IN RAMIS OLIVARVM.

Minoris & maioris eccleſiarum fit mentio epiſt.33.

Ad Miſſam in Eccleſia minore.

Super populum.

DEVS, qui iuſtè iraſceris, & clementer ignoſcis,afflicti populi tui lachrymas reſpice,& iram tuę indignationis quam iuſtè meremur,propitiatus auerte. Per Dominum.

Super ſind.

DA nobis, quæſumus Domine, tua dignè tractare myſteria,vt miſerationibus tuis congruo reſpondeamus obſequio, & fidutialiùs impetranda poſcamus. Per Dominum.

Super obl.

EFFICIATVR Domine hęc hoſtia ſolennibus grata ieiunijs, & vt tibi fiat acceptior,purificatis eam mentibus immolemus. Per Dominum noſtrum Ieſum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in hunc mundum pro ſalute noſtra miſiſti, vt ſe humiliaret ad nos,& nos reuocaret ad te: cui etiam,dum Hieruſalem veniret adimplere ſcripturas, credentium turba fideliſsima deuotione veſtimenta ſua cum ramis oliuarum in via ſternebant: præſta,quæſumus,vt & nos illi fidei viam præparemus, de qua remoto lapide offenſionis & petra ſcandali, frondea opera & iuſtitiæ ramos veſtigijs eius ſternamus, vt vſque ad palmam victoriæ pertingere mereamur. Per eundem Dominum.

Poſt Communionem.

PRAESTA nobis, omnipotens Deus, vt quia vitijs ſubiacet noſtra mortalitas, tua nos & medicina purificet, & communionis potentia tueatur. Per Dominum.

Ad Miſſam in Eccleſia maiori.

Super populum.

POPVLVM tuum Domine, quæſumus, ad te toto corde conuerte: quia quos defendis etiam delinquentes, maiori pietate tueris ſincera mente deuotos. Per Dominum.

Super ſind.

ASSCENDANT ad te Domine ſupplicum preces, vt qui diù pro noſtris offenſionibus caſtigati ſumus, miſerationis tuæ veniam ſentiamus. Per Dominum.

Super obl.

IPSA Maieſtati tuę Domine populos fideles commendet oblatio, quæ per filium tuum reconciliauit inimicos. Qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritûs.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Quem ad hoc humanam carnem aſſumere voluiſti, vt quicquid prophetales ac ſanctæ clamauêre ſcripturę, Bethleemitica rura ſeu Hieroſolymam aduenìens, conſummaret. Sicut igitur tunc puerili voce, turba præeunte & arborum ramis ac veſtibus viam ſternente, laudatio inſonabat: ità & nos diuino amore repleti, nunc Chriſto Domino deuotis vocibus decantemus: Sternentes deniquè veſtimenta, Chriſto Domino in itinere occurramus, aligeriquè ſanctum hymnum honorificè nobiſcum proclament, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Poſt Com.

SANCTIFICENT nos Domine ſumpta myſteria, & paſchalis obſeruantiæ ſufficientem nobis tribuant facultatem. Per Dominum noſtrum.

ILLVD quoquè hîc adnotatu dignum, quòd hebdomada,

mada,quam olìm maiorem,nos verò ſanctam nuncupamus, Authentica appelletur in Ambroſiano officio. Quam etiam vltimam appellat Ambr.epiſt.33.

kk. FERIA QVINTA IN COENA DOMINI.

DEVS, à quo & Iudas reatûs ſui pœnam,& confeſsionis ſuæ latro præmium ſumpſit,concede nobis tuæ propitiationis effectum, vt ſicut in paſsione ſua Ieſus Chriſtus Dominus noſter diuerſa vtriſq; intulit ſtipendia meritorum, ità nobis ablato vetuſtatis errore,reſurrectionis ſuę gratiam largiatur. Qui tecum.

Super ſind.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui vitam humani generis,pro nobis filio tuo moriente,ſaluâſti: præſta, quæſumus,vt in hac populi deuotione fructus proueniat gaudiorum. Per eundem.

Super oblat.

IPSE tibi,quæſumus,Domine ſancte,pater omnipotens,æterne Deus,ſacrificium noſtrum reddat acceptum: qui diſcipulis ſuis in ſuî commemoratione hoc fieri hodierna traditione monſtrauit Ieſus Chriſtus Dominus noſter.Qui tecum viuit.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Qui quum Deus eſſet in cælis,ad delenda hominum peccata deſcendit in terras: Et qui humanum genus venerat liberare,tanquàm obnoxius debitor illicito precio Dominus à ſeruo diſtrahitur:Et qui angelos iudicat,in hominis iudicio eſt conſtitutus, vt hominem quem ipſe fecerat, de morte liberaret. Et ideò cum angelis & archangelis.

Infra actionem.

COMMVNICANTES, & diem ſacratiſsimum celebrantes, quo traditus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: Tu nos Domine participes filij tui, tu conſortes regni tui, tu incolas paradiſi, tu angelorum comites eſſe iuſsiſti, ſi tamen illæſa & intemerata fide

cælestis militiæ sacramenta seruemus. At quid desperare de tua misericordia possumus, qui tantum munus accepimus, vt talem tibi hostiam offerre mereremur, corpus scilicet & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, qui se pro mundi redemptione, piæ illi ac venerandę tradidit passioni: qui formam sacrificij salutis perennis instituens, hostiam se primus obtulit, & primus docuit offerri?

Post Orationem sacerdotis pro seipso.

HAEC facimus, hæc celebramus, tua Domine præcepta seruantes, & ad communionem inuiolabilem hoc * ipsum quod corpus Domini sumimus, mortem Dominicam annunciamus. Tuum verò est omnipotens pater, mittere nunc nobis vnigenitum filium tuum, quem non quærentibus spontè misisti. Qui cùm sis ipse immensus & inæstimabilis, DEVM quoquè ex te immensum & inæstimabilem genuisti: vt cuius redemptionem humano generi tribuisti, eius nunc corpus tribuas ad salutem. Per eundem.

* ipso, ꝑ

Post confractorium.

IPSIVS pręceptum est Domine, quod agimus, in cuius nunc te pręsentia postulamus. Da sacrificio authorem suum, vt impleatur fides rei in sublimitate mysterij, vt sicut veritatem cælestis sacrificij exequimur, sic veritatem Dominici corporis & sanguinis hauriamus. Per eundem Christum.

Post Communionem.

DOMINE Deus noster, concede propitius, vt qui vnigeniti tui sumpsimus corpus & sanguinem, ab infidelis discipuli reddamur cęcitate diuisi, qui Christum Dominum nostrum, verum Deum hominemque fatemur & colimus. Qui tecum viuit.

LI. EODEM DIE.

Benedictio olei ad vngendum tam infirmos, quàm energumenos.

Ex Ordine Romano, pa. 64.

DEVS.

DEVS, qui studio salutis humanæ creaturis tuis vim benedictionis indidisti, vt ad animarum nostrarum sanctificationis vtilitatem, creaturarum etiam corporalium ministerio nostris salus temporibus tribueretur: infunde sanctificationem tuã huic oleo, vt ab his quæ vnxerit membra, fugatis insidijs aduersariæ potestatis, susceptione præsentis olei, sancti spiritûs gratia salutaris debelitatem expellat, & plenam conferat sospitatem, in nomine Domini nostri Iesu Christi.

Benedictio olei, quo vngendi sunt catechumeni.

DEVS sacramenti huius inuentor atque dispositor, qui pręsentis liquoris pinguedine beatorum confirmâsti corpora, cordaque pontificum: quique in hac creatura excellentis nobilitatem nominis, vt eos Christos faceres, indidisti: qui nitentes ac delibutos antistites iussisti participibus anteferri, dignum æstimans elementum, quo innocentiæ & variarum tribueretur forma virtutum: cõcede infusione sancti spiritûs, olim tibi placitam pręsentis olei cõfirmes nobilitesq; substantiã, vt quicquid ex eo in humano genere tactum fuerit, ad naturam transeat mox supernam: nec aliquid sibi per vnctionem eius vendicet hostis antiquus, sed doleat se, telis beatæ huius propugnationis addictum, & pacis oleo vetusti furoris comprimi superbias ingemiscat. Per Christum Dominum nostrum. Per quem.

Præfatio Chrismatis.

VNANIMES atque concordes, fratres charissimi, Dei patris omnipotentis auxilium misericordiæ deprecemur, vt hoc vnguẽtum quo in regali gloria populus eius vestiendus est, cęlesti benedictione & virtutis suę vigore corroboret, & tegmine eius plebs in æternum tueatur. Pręstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre.

Oratio ad confirmandam Chrismatis benedictionem.

DOMINATOR Domine Deus,rex vnctus,author vnguenti, ſpecioſus forma,ſpecioſior vnctione,ſacrator ipſe tuus,ipſe omniũ conſecrator, qui vnguentum de poteſtate ſanctificas, poteſtatem conſecras de vnguento, de vnguento feciſti Chriſma, de Chriſmate nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine iſto ſit regalis vnctio Chriſtianis: in tuo ergò nomine fiat hæc creatura iam Chriſma,& habeatur vt Chriſma,forma crucis,ſignum frõtis, ſacri titulus bellatoris. In hoc Chriſmate mulceatur auditus,purificetur viſus, odoratus ſuaueſcat,ſoporetur guſtus,tactus in trinitate ſit ſolidus: vt talibus ſtipendijs Domini milites decorati,atque ambroſio rore madidi,imperanti ſeruiant, non ſuadenti, & ſignati Chriſmate ſancto,ſigniferi eſſe mereantur cæleſtes. Per te Chriſte Ieſu ſaluator mũdi, qui viuis & regnas Deus,per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

mm. FERIA VI. IN PARASCEVE.

Poſt primam Lectionem.

DEVS, qui pro nobis filium tuum crucis patibulum ſubire voluïſti, vt inimici à nobis expelleres poteſtatem: concede nobis famulis tuis, vt reſurrectionis eius gloriam conſequamur. Per Dominum.

Poſt paſsionem Domini ſecundùm Matthæum.

V. Benedictus Dominus qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum.

R. Amen.

Oratio.

DEVS, qui pro redemptione noſtra accepiſti ſanguinem Chriſti: ſolue opera diaboli, & omnes laqueos diſrumpe peccati, vt creaturam regenerationis,nulla polluant contagia vetuſtatis. Per eundem.

Iterùm.

V. Bene-

V. Benedictus &c. vt suprà. R. Amen. & sic deincèps vbiquè, vsque ad Missam diei sabbati, loco, Dominus vobiscum.

Oratio super crucem.

IMMENSAE pietatis Deus, qui latronem ob confeßionem in hac die de cruce in paradisum transtulisti, transfer à nobis iniquitates nostras, & hæredes nos cælestium bonorum esse concede. Per Dominum nostrum.

Benedictio crucis.

BENEDIC Domine, quæsumus, hanc crucem tuam, per quam eripuisti mundum à potestate dæmonum, & superâsti paßione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in præuaricatione primi hominis, per ligni vetiti præsumptionem, † sanctifica istud signaculum paßionis tuæ, vt sit inimicis tuis obstaculum, & credentibus in te perpetuum vexillum. Qui cum patre & spiritu.

Oratio ad crucem adorandam.

DOMINE Iesu Christe, qui manus tuas in crucem misisti, & nos tuo sanguine redemisti, ignosce mihi peccatori, quia omnes culpæ meæ à te non sunt absconditę, Veniam peto, veniam spero, veniam credo: tu, qui pius & misericors es, parce & indulge mihi. Qui cum patre & spiritu sancto &c.

Post adoratam crucem.

DEVS, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, saluatorem nostrum & carnem sumere, & crucem subire fecisti: concede propitius, vt patientiæ ipsius documenta, & resurrectionis consortia mereamur. Per eundem.

Orationes solennes.

OREMVS dilectißimi nobis.

ET cęteræ quæ habentur infrà Tom. 2.

SABBATO SANCTO.

Post primam Lectionem Propheticam, & Euangelicam illam secundùm Matthęum: Altera die quæ est post Parasceuen.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in omnium operum tuorum dispensatione es mirabilis: intelligant redempti tui, non fuisse excellentius, quòd in initio factus est mundus, quàm quòd in fine seculorum Pascha nostrum immolatus est Christus. Qui tecum viuit.

Ad benedictionem ignis.

DOMINE Deus noster, pater omnipotens, qui es lumen indeficiens, & conditor omnium luminum, benedic & sanctifica hoc lumen, quod à te sanctificatum atq; benedictum est, qui illuminâsti omnem * mundum: vt ab eo accendamur & illuminemur igne claritatis tuæ, quo illuminâsti Moysen famulum tuum, vt illuminatis sensibus & cordibus nostris, ad vitam æternam peruenire mereamur. Per Dominum.

* hominẽ venientẽ in hunc

DOMINE sancte, pater omnipotens, æterne Deus, lux & splendor vniuersarum creaturarum, qui ex nihilo cuncta producere dignatus es: te humiliter deprecamur, vt hanc creaturam ignis benedicere & sanctificare digneris, in nomine dilectissimi filij tui, & in virtute spiritûs sancti, vt nobis ad obsequium & ad lumen esse facias tam animæ quàm corporis, & vt nihil in eo nobis aduersarius damni irrogare possit, sed sit nobis in adiutorium. Per eundem Dominum.

Ad benedictionem cerei paschalis per Diaconum.

Cereorum Paschaliũ meminit Ambr. li. de Pascha, c. vlt.

EXVLTET iam angelica turba cęlorum, exultent diuina mysteria, & pro tanti regis victoria, tuba intonet salutaris. Gaudeat & tellus tantis irradiata fulgoribus, & æterni regis splendore illustrata, totius orbis sentiat se amisisse caliginem. Lętetur & mater Ecclesia, tanti luminis adornata fulgore, & magnis populorum vocibus hæc aula resultet. Quapropter adstantibus vobis fratres charissimi,

ſimi, ad tam miram huius ſancti luminis claritatem, vnà mecum, quęſo, Dei omnipotentis miſericordiam inuocate, vt qui me non meis meritis intrà Leuitarum numerum dignatus eſt aggregare, luminis ſui gratiam infundendo, cerei huius laudem implere perficiat. Pręſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto filio ſuo, ſecum viuente atque regnante Deo, in vnitate ſpiritûs ſancti, Per omnia ſecula ſeculorum.

R. Amen.

V. Dominus vobiſcum.

R. Et cum ſpiritu tuo.

V. Surſùm corda.

R. Habemus ad Dominum.

GRATIAS agamus Domino Deo noſtro.

R. Dignum & iuſtum eſt.

VERE. Quia dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbiquè gratias agere, DOMINE ſancte, pater omnipotens, æterne Deus. Qui populorum Paſcha cunctorum, non pecudum cruore nec adipe, ſed vnigeniti tui Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguine corporeq; dedicâſti, vt ſupploſo ritu gentis ingratæ, legi gratia ſuccederet, & vna victima per ſemetipſam tuæ maieſtati ſemèl oblata, mundi totius expiaret offenſam. Hic eſt agnus, lapideis pręfiguratus in tabulis, non adductus è gregibus, ſed euectus è cælo: nec paſtore indigens, ſed paſtor bonus ipſe tantummodò, qui animam ſuam pro ſuis poſuit ouibus, & rurſùs aſſumpſit, vt nobis & humilitatem diuina dignatio, & ſpem reſurrectio corporalis oſtenderet. Qui coram tondente ſe nõ vocem queruli balatûs emiſit, ſed Euangelico proclamauit oraculo, dicens: Amodò videbitis filium hominis ſedentem ad dexteram maieſtatis. Ipſe nobis & te reconciliet, pater omnipotens, & pari tecum maieſtate fultus indulgeat. nam quæ patribus in figura contingebant, nobis in veritate proueniunt.

Post accensum cereum.

ECCE iam ignis columna resplendet, quæ plebem Domini beatę noctis tempore ad salutaria fluenta pręcedat, in quibus persecutor mergitur, & Christi populus liberatus emergit. nam sancti spiritûs vnda conceptus, per Adam natus ad mortẽ, per Christũ regignitur ad vitam. Soluamus igitur voluntariè celebrata ieiunia, quia Pascha nostrum immolatus est Christus, nec solùm corpore epulemur agni, sed etiam inebriemur & sanguine. huius enim tantũmodò cruor nõ creat piaculũ bibẽtibus, sed salutẽ: ipso quoquè vescamur & azymo, quoniam non de solo pane viuit homo, sed de omni verbo Dei. Siquidem hic est panis qui descendit de cęlo, longè pręstantior illo quondàm mannę imbre frugifluo, quo tunc Israel epulatus interijt: hoc verò qui vescitur corpore, vitæ perennis possessor existit. Eccè vetera transiêrunt, & facta sunt omnia noua: nam circuncisionis Mosaicæ mucro iam scabruit, & Iesu Nauæ acuta lapidum obsoleuit asperitas: Christi verò populus insignitur fronte, non inguine: lauacro, non vulnere: Chrismate, non cruore. Decet ergò in hoc Domini Saluatoris nostri vespertinæ resurrectionis aduentu, ceream nos adolere pinguedinem, cui suppetit candor in specie, suauitas in odore, splendor in lumine, quæ nec marcescenti liquore defluit, nec offensam tetri nidoris exhalat. Quid enim magìs accommodum, magisq́ue festiuum, quàm Iesseico flori floreis excubemus vt tedis? præsertim cùm & sapientia de semetipsa cecinerit: Ego sum flos agri & lilium conuallium. Ceras igitur nec pinus exusta desudat, nec crebris sauciata bipennibus cedrus illachrymat, sed est illis arcana de virginitate creatio, & ipsæ transfiguratione niuei candoris albescunt. Eandem verò papyrum liquida fontis vnda producit, quæ instàr insontis animę, nullis articulatur sinuata compagibus, sed virginali circunsepta materie, fit hospitalis ignibus alumna riuorum. Decet ergò aduentum sponsi, dulcatis Ecclesiam lumi-

naribus

naribus opperiri, & largitatē sanctitatis acceptā, quanta valet deuotionis dote pensare, nec sanctas interpolare tenebras excubias, sed tedam sapienter perpetuis pręparare luminibus, nè, dùm oleũ candelis adiungitur, aduentum Dñi tardo prosequamur obsequio: qui certè in ictu oculi vt coruscus adueniet. Igitur in huius diei vespere, cuncta venerabilis sacramēti plenitudo colligitur: & quę diuersis sunt pręfigurata vel gesta tēporibus, huius noctis curriculo, deuoluta supplētur. Nam primũ hoc vespertinũ lumen, sicut illa dux Magorũ stella, præcedit: deindè mysticæ regenerationis vnda subsequitur: velut dignante Domino fluenta Iordanis, tertiò resurrectionem Christi vox Apostolica sacerdotis annunciat. Tum ad totius mysterij supplementum Christo vescitur turba fidelium, quæ resurrectionis Dominicæ diem, Christo in omnibus prosperante, suscipiat. Per bonum & benedictum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, cum quo beatus viuis & regnas Deus, in vnitate spiritûs sancti, Per omnia secula seculorum.

R. Amen.

Post II. Propheticam Lectionem.

DEVS incommutabilis virtus & lumen æternum, respice propitius ad totius Ecclesię tuæ mirabile sacramentum, & opus salutis humanæ perpetuę dispositionis effectu tranquillus operare. Totusque mundus experiatur & videat, diruta erigi, veterata innouari, & per ipsum redire omnia in integrũ, à qno sumpsêre principium. Per Dominum nostrum.

Post III. Lectionem.

DEVS fidelium pater summe, qui in toto orbe terrarum promissionis tuæ filios diffusa adoptione multiplicas, & per paschale sacramentum Abraham puerum tuum vniuersarum, sicut iurâsti, gentium efficis patrem: da populis tuis, dignè ad gratiam tuæ vocationis intrare. Per Dominum.

Post IIII. Lectionem.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, multiplica in honorem nominis tui quod patrum fidei spopondisti, & promißionis tuæ filios sacra adoptione dilata: vt quod priores sancti non dubitauerunt futurum, Ecclesia tua magna iam ex parte cognoscat impletum. Per Dominum.

Post V. Lectionem.

DEVS celsitudo humilium & fortitudo rectorum, qui per sanctum Moysen puerum tuum ità erudire populum tuum sacri carminis tui decantatione voluisti, vt illa legis iteratio, fieret etiam nostra directio: excita in omnem iustificandarum gentium plenitudinem potentiam tuam, & da lętitiam, mitigando terrorem: vt omnium peccatis tua miseratione deletis, quod denunciatum est in vltionem, transeat in salutem. Per Dominum nostrum Iesum.

Post VI. Lectionem.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, spes vnica mũdi, qui Prophetarũ tuorum præconio prę́sentiũ temporũ declarâsti mysteria: auge populi tui vota placatus, quia in nullo fidelium, nisì ex tua inspiratione, proueniuut, quarumlibet incremẽta virtutũ. Per Dñm.

Post VII. Lectionem.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, respice propitius ad deuotionem populi renascentis, qui sicut ceruus aquarum expetit fontem: & concede propitius, vt fidei ipsius sitis, baptismatis mysterio, animam corpusq; sanctificet. Per Dominum.

Benedictio Fontium.

Fõtis cõse crati per signũ crucis fit mẽtio apud Ambr. de ijs q myst. init. c. 3. & 4. l. 1. de sacram. c. 5. a, 2. c. 5.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis mysterijs, adesto sacramentis: & ad creandos nouos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte: vt quod humilitatis nostrę gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum.

DEVM immensum maiestatis æternæ suppliciter exoramus, vt per verbum, & virtutẽ, & sapientiam suam, Dominum nostrũ Iesum

ſum Chriſtum, in hoc lauacro ſalutari peccatorum omnium admiſſa concedat. Detque his ſanctificationẽ ſuam aquis, vt quicunque eaſdem ingreſsi fuerint, remiſsionem criminum, & benedictionem conſequantur. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium ſuum, ſecum viuentem atque regnantem Deum, in vnitate ſpiritûs ſancti, Per omnia ſecula ſeculorum.
R. Amen.

OREMVS & deprecemur Dei patris omnipotentis clementiam, vt famulis ſuis competentibus, quos in hac hora ad hunc beatæ regenerationis fontem dexteræ ſuæ protectione perduxit, det gratiam miſericordiæ ſuæ. Et corda eorum ſpirituali repleat intellectu, vt cæleſte ſacramentum plena fide & credula mente ſuſcipiant. Nobis etiam famulis ſuis det veniam omnium delictorum, gloriæ ſuæ præſentiam tribuat, vt myſteria ſalutaris baptiſmatis ſine offenſione celebremus. Per Dominum, vt ſuprà.

Exorciſmus aquæ cum inſufflatione.

ADIVRO te creatura aquæ, per Deum † verum, Deum † viuum, Deum † ſanctum, qui te in principio à terra ſeparauit, qui te de paradiſi fonte produxit, & ex quatuor fluminibus totam terram rigare pręcepit.

ADIVRO te per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei viui, qui te in Cana Galilęæ ſigno admirabili in vinum conuertit: qui pedibus ſuper te ambulauit, & à Ioanne in te eſt baptizatus: qui te amariſsimam aquam per lignum paſsionis ſuæ indulcauit, & populum ſitientem, te de petra producens, ſatiauit: & Naaman Syrum in te à lepra ſua mundauit: & nomen tibi impoſuit, Siloa, in qua cæcum, vt lumen reciperet, oculos lauare præcepit: Qui te de latere ſuo, vnà cum ſanguine produxit: Qui diſcipulis ſuis dixit: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritusſancti. Efficere ergò aqua exorcizata, ad effugandam omnem diaboli infeſtationem, omneque phan- Ioan. 9. Ioan. 19. Matt. 28.

tasma inimici, & ipsum inimicum eradicandum, effugandum, atque supplantandum à seruis Dei, qui in te hodiè baptizandi sunt, accepturique remissionem omnium peccatorum suorum in nomine Dei patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi filij eius, qui venturus est in spiritu sancto iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.

Benedictio aquæ.

SANCTIFICARE per verbum Dei vnda cęlestis, sanctificare aqua Christi calcata vestigijs, quę mentibus pressa non clauderis, quę scopulis illisa non frangeris, quę terris infusa non deficis. Tu sustines aridam, portas montium pondera, nec demergeris. Tu cęlorum vertice contineris, circunfusa per totum, lauas omnia, nec lauaris. Tu fugientibus Hebręorum populis, in glaciem indu-
Exod. 14. rata constringeris: tu rursùs altis resoluta verticibus, Nili accolas perdis, & hostilem globum freto sęuiente persequeris, vna eademq́; es salus fidelium, & vltio criminosis. Te per Moysen percussa rupes euomuit, nec abdita cautibus, latére potuisti, cùm maiestatis imperio iussa prodires. Tu gestata nubibus, imbre iucundo arua fœcundas, nè siccatis exanimata visceribus, sublimes neget terra prouentus. A te principium, in te finis exultat: vel potiùs tuum est, vt terminum nesciamus. Neque enim Domine omnipotens pater, virtutum tuarum nescij, aquarum merita laudamus, sed in his operis tui prędicamus insignia. Suscipe igitur noxios, solue captiuos, redde quod in paradiso Adam perdidit, quod vxor amisit, quod intemperantia crudelis absorbuit. Da salutarē potum malè saturis acerbitate pomorum, vt indigesta mortalium & annosa pernicies, diuino soluatur antidoto. Ablue terram squaloris illuuie, discute paradisi machęram flammeis obicibus fluctuantem. Pateat redeuntibus floribus, ruris ingressus: recipiant imaginem deitatis olìm perditam, liuore serpentis. Quicquid noxium de pręuaricatione contractum est, huius gurgitis puritate deponant. Surgant

gant ad requiem, producantur ad veniam, vt myſtico corpore & ſanguine innouati,& redemptos ſe nouerint,& renatos. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, tecum viuentem atque regnantem Deum, in vnitate ſpiritûs ſancti, Per omnia ſecula ſeculorum.
R. Amen.

Inter infundendum chriſma.

SIT fons iſte ſacer,ſanctificatus,perunct9,& benedictus, in nomine patris,& filij,& ſpirituſſancti Amen.

Poſt baptiſmum.

CELEBRATIS atque perfectis diuini baptiſmatis ſacramentis, Domine cæli & terræ, Deo patri omnipotenti, indefeſſas gratias referamus,ipſumq́ue ſupplices poſtulemus, vtì nos atque oẽm familiam ſuam glorioſæ reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti annuat eſſe participes:Prꝗſtante ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto filio ſuo, ſecum viuente atq; regnante, in vnitate ſpiritûs ſancti, Per omnia ſecula ſecul.

Ad Miſſam pro baptizatis.

Super populum.

DEVS, qui renatis ex aqua & ſpiritu ſancto cæleſtis regni pandis introitum, auge ſuper famulos tuos gratiam quam dediſti, vt qui ab om̃ibus ſunt purgati peccatis,nullis priuentur promiſsis.Per Dominum.in vnitate eiuſdem. Super ſind.

Octauæ baptizatorũ mẽtionẽ facit Ambr. prologo in Pſa.118.

DEVS, qui hanc ſacratiſsimam noctem gloria Dominicꝗ reſurrectionis illuſtras, conſerua in noua familiæ tuæ progenie adoptionis ſpiritũ quem dediſti,vt corpore & mẽte renouata,puram tibi exhibeat ſeruitutem.Per Dominum.in vnitate eiuſdem.

Super obl.

DEVS,cuius munere honoranda baptiſmatis ſunt impleta myſteria, concede populo tuo, originalis delicti errore mundato, poſt ſacratiſsimum fontem terram tuæ promiſsionis intrare,

vt

vt dulcia sacramentorum tuorum iam nunc alimenta percipiat. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Quia vetustate destructa, vitæ nobis in Christo reparatur integritas. Propterea profusis gaudijs totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed & supernę virtutes, & angelicę concinunt potestates hymnum gloriæ tuæ, perpetim sine fine dicentes: Sanctus, Sanctus.

Post Communionem.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt diuino munere satiati, & sacris mysterijs innouemur & moribus. Per Dominum. Qui tecum.

Ad Missam in Ecclesia maiore.

Adnunciatio resurrectionis Domini ter repetita.

CHRISTVS Dominus resurrexit.

R. Deo gratias.

Super populum.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in omnium operum tuorum dispensatione es mirabilis, intelligant redempti tui, non fuisse excellentius quòd in initio factus est mundus, quàm quòd in fine seculorum Pascha nostrum immolatus est Christus. Qui tecum.

Super sind.

DEVS, qui in solennitate paschali cęlestia mundo remedia benignus operaris, annua festiuitatis huius dona prosequere, vt per obseruantiam temporalem, ad vitam perueniamus æternam. Per Dominum.

Super obl.

ACCIPE Domine munera exultantis Ecclesiæ: & cui causam tanti gaudij contulisti, perpetuę fructum concede lętitię. Per Dominum.

Præ-

Præfatio.

AEQVVM & ſalutare. Nos te quidem Domine omni tempore benedicere, ſed in hac potiſsimùm nocte profuſiùs exultantibus animis prædicare, quum paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Ille enim verus eſt agnus, qui abſtulit peccata mundi: Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam nobis reſurgendo reparauit. Vndè profuſis gaudijs totus in orbe.

Infra actionem pro baptizatis.

VERE ſanctus, verè benedictus Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius tuus: Qui quum Dominus eſſet maieſtatis, deſcendens de cælo, formam ſerui, qui priùs perierat, ſuſcepit, & ſpontè pati dignatus eſt, vt eum quem ipſe fecerat, de morte liberaret. Vndè & hoc paſchale ſacrificium tibi offerimus pro his, quos ex aqua & ſpiritu ſancto regenerare dignatus es, dans eis remiſsionem omnium peccatorum, vt inuenires eos in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Pro quibus tibi Domine ſupplices fundimus preces, vt nomina eorum, pariterque famuli tui Papæ N. & Pontificis noſtri N. ac N. Imperatoris, ſcripta habeas in libro viuentium. Per eundem.

Poſt Communionem.

CIBI ſalutaris & poculi dona libantes, quæſumus Domine, vt qui paſchale myſterium ſumpſimus, prodeſſe nobis in perpetuum gaudeamus. Per Dominum noſtrum.

oo. IN DIE SANCTO PASCHAE.

Manè ad Miſſam pro baptizatis.

Super populum.

Celebritatem Paſchæ commemorat Ambroſ. epiſt. 83. de Helia & ieiun. cap. 10. ac Li. de Paſcha. Sunt etiam ſerm. eius de Paſcha 53. et 54.

DEVS, qui humanam naturam ſupra primæ originis reparas dignitatem, reſpice ad pietatis tuæ ineffabile ſacramentum, vt quos regenerationis myſterio dignatus es innouare, in his dona tuæ perpetis gratiæ benedictioniſq; cõſerua. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS, qui credentes in te fonte baptiſmatis innouâſti, hanc renatis in Chriſto cõcede cuſtodiam, vt nullo erroris incurſu gratiam tuæ benedictionis amittant. Per eundem.

Super obl.

SVSCIPE, quæſumus Domine, plebis tuæ & tuorum hoſtias renatorum, vt & confeſſione tui nominis & baptiſmate renouati, ſempiternam beatitudinem conſequantur. Per Dominũ noſtrum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Et pro humani generis mirabili reparatione, exultantibus te gaudijs in hac die laudare: Quæ omnibus diebus temporibusq́ue præcellens, & ſuæ crucis interitu, & beatæ reſurrectionis eſt clara primatu. In hac enim vnigenitus tuus, vt primogenitus eſſet ex mortuis, ad glorificandã in ſe carnis noſtrę animæq́; naturã, qua poteſtate occubuit, eadẽ reſurrexit. Vndè ꝓfuſis.

Poſt Com.

DIGNE nos tuo nomini, quæſumus Domine, famulari ſalutaris cibus & ſacer potus inſtituat, vt renouationem conditionis humanæ, quam myſterio continet, in noſtris ſenſibus iugiter operetur. Per Dominum.

Ad Miſſam in Eccleſia maiore.

Super populum.

DEVS, qui ad æternam vitam in Chriſti reſurrectione nos reparas, da populo tuo fidei ſpeiq́ue conſtantiam, vt non dubitemus implenda, quæ te nouimus authore promiſſa. Per eundẽ Dominum noſtrum.

Super ſindonem.

DEVS, qui per vnigenitum tuum ęternitatis nobis aditum, deuicta morte, reſerâſti: erige ad te fidelium corda, vt à terrenis cupiditatibus liberati, ad cęleſtia deſideria tranſeamus. Per eundem.

Super oblat.

QVAE-

QVAESVMVS Domine, vt iam non teneamur obnoxij damnationis humanæ ſententia,à cuius nos vinculis hæc hoſtia paſchalis * abſoluat. Per Dominum. *abſoluit.

Præfatio.

AEQVVM & ſalutare: Nos tibi ſancte pater omnipotens gratias agere,nos deuotas laudes referre, Pater inclyte,omnium author & conditor. Quia quum Dominus eſſet maieſtatis Chriſtus Ieſus filius tuus, ob liberationem humani generis crucem ſubire dignatus eſt. Quem dudùm Abraham præfigurabat in filio, turba Moſaica immaculati agni immolatione ſignabat. Ipſe eſt enim,quem ſacra tuba cecinerat Prophetarum, qui omnium peccata portaret, aboleret & crimina. Hoc eſt illud Paſcha,Chriſti nobilitatum cruore,in quo fidelis populus præcipua deuotione reſultat. O myſterium gratia plenũ,ô ineffabile diuini muneris ſacramentum: ô ſolennitatum omnium honoranda ſolennitas. In qua vt ſeruos redimeret,mortalibus ſe præbuit occidendum. Quàm itaque beata mors, quæ mortis nodos reſoluit. Iam nunc ſentiat ſe tartareus princeps attritum, & nos de profundi labe * educti, ad cęleſte regnum conſcendiſſe gratulemur. Et ideò cum angelis. *eductos,

Poſt Communionem.

PERPETVO Deus Eccleſiam tuam pio fauore proſequere, vt Paſchalibus reſuſcitata myſterijs, ad reſurrectionis perueniat claritatem. Per Dominum noſtrum.

PP. FER. II. IN ALBIS.

Pro baptizatis.

Super populum.

DEVS, qui populum tuum de hoſtis callidi ſeruitute liberâſti, preces eius miſericorditer reſpice, & aduerſantes ei tua virtute proſterne. Per Dominum noſtrum.

Super ſind.

DA, quęſumus, omnipotens Deus, vt Eccleſia tua & ſuorum firmitate membrorũ, & noua ſemper fœcũditate lętetur. Per Dñm.

Super oblatam.

CLEMENTIAM tuam ſupplices exoramus omnipotens Deus, vt populum tuum, quem ſacro baptiſmate renouare dignatus es, per hæc Paſchalia munera, ad æternę vitę gaudia peruenire concedas. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Redemptionis noſtrę feſta recolentes, quibus humana ſubſtantia vinculis prę uaricationis exuta, ſpem reſurrectiõis per renouatã ſumpſit originis dignitatem. Per Chriſtum.

Poſt Communionem.

SOLITA, quæſumus Domine, quos ſaluâſti pietate, cuſtodi, vt qui tua paſione ſunt redempti, tua reſurrectione lętentur. Qui cum patre.

In Eccleſia maiore.

Super populum.

PRAESTA, quęſumus, omnipotens Deus, vt huius Paſchalis feſtiuitatis mirabile ſacramentum, & temporalem nobis tranquillitatem tribuat, & vitam conferat ſempiternam. Per Dominum.

Super ſind.

PERFICE Domine benignus in nobis paſchalium munerum votiua commercia, vt à terrenis affectibus liberati, ad cęleſte deſiderium transferamur. Per Dominum.

Super obl.

PLEBIS tuę Domine munera placatus admitte, vt quę paſchalibus myſterijs exhibet, in tuæ remunerationis veritate percipiat. Per Dominum.

Præfatio.

PER Chriſtũ Dñm noſtrũ: Qui ſemper in nobis Paſchale perficiat ſacramentũ, vt per initiata remedia, cõtinuis educare nõ deſi-

ſtat

ſtat augmentis. Vndè profuſis gaudijs totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed & ſupernæ virtutes, & angelicæ concinunt poteſtates, hymnum glorię tuæ perpetìm ſine fine dicẽtes: Sanctus.

Poſt Commun.

SPIRITVM in nobis Domine tuæ charitatis infunde, vt quos ſacramentis Paſchalibus ſatiâſti, tua facias pietate concordes. Per Dominum.

qq. FER. III. IN ALBIS.

Pro baptizatis.

Super populum.

DEVS, qui Eccleſiam tuam nouo ſemper fœtu multiplicas, concede famulis tuis, vt ſacramentum Paſchale viuendo teneant, quod fide perceperunt. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS, qui renatis ex aqua & ſpiritu ſancto cæleſtis regni pandis introitum: auge ſuper famulos tuos gratiã quam dediſti, vt qui ab omnibus ſunt purgati peccatis, nullis priuentur promiſsis. Per Dominum. in vnitate eiuſdem.

Super obl.

SVSCIPE, quęſumus, Domine oblationes familię tuæ, vt ſub tuæ protectionis auxilio collata non perdãt, & ad æterna dona perueniant. Per Dominum.

Præfatio.

AEQVVM & ſalutare: Nos te quidem Domine, omni tempore benedicere, ſed in hoc pręcipuè die, quo Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectio celebratur, omni deuotione laudare. Hoc itaq; die, quo Chriſtus à mortuis reſurrexit, poteſtas diaboli cecidit, tartarea ſunt inferni vincula reſoluta, chirographum eſt antiquę præuaricationis extinctum, & aculeus mortis attritus. Nos quoquè de ſeruitutis iugo dominationis Aegyptię per ſpiritales aquas educẽs, triumphans reſurrexit in gloriam. Propterea profuſis.

Post Com.

IMPLEATVR in nobis, quæsumus Domine, sacramenti Paschalis sancta libatio, nosque de terrenis affectibus, ad cæleste transferat institutum. Per Dominum.

In Ecclesia maiore.

Super populum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui populum tuum vnigeniti tui sanguine redemisti: solue opera diaboli, rumpe vincula peccati, vt qui æternam vitam in confessione tui nominis sunt adepti, nihil debeant mortis authori. Per eundem Dominum.

Super sindonem.

EXAVDI nos misericors Deus, & redemptionis nostræ subsidia deuota nos effice semper mente tractare. Per Dominum.

Super obl.

Sacrificia Domine Paschalibus gaudijs immolamus, quibus ecclesia tua mirabiliter pascitur, & nutritur. Per Dominum nostrũ.

Præfatio.

AETERNE Deus. Tuam magnificentiam deprecantes, vt qui alligans fortem nostri generis inimicum, vasa eius diripere non desistis, ad consortiũ nos Christi tui facias venire vincentes. Per eundem Christum Dominum.

Post Com.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt Paschalis perceptio sacramenti continua in nostris mentibus perseueret. Per Dominum.

Rr. FER. IIII IN ALBIS.

Pro baptizatis.

Super populum.

TVERE Domine familiam tuam, quæsumus, paschali mysterio gloriantem: vt cuius salutarem fidei veneratur originem, iugiter instituta custodiat. Per Dominum.

Super

Super ſind.

DEVS conditor totius creaturæ, famulos tuos quos fonte baptiſmatis renouâſti, quosq́ue gratiæ tuæ plenitudine ſolidâſti, in adoptionis ſorte facias dignanter aſſcribi. Per Dominum.

Super obl.

Clementiam tuam Domine ſuppliciter exoramus, vt paſchalis muneris ſacramentum, quod fide recolimus, & ſpe deſideramus intenti, perpetua dilectione capiamus. Per Dominum.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum: Qui ſe pro nobis obtulit immolandum, vt corpore eius & ſanguine, quo à peccatis redempti ſumus, ad æternam vitam ſacrificijs paſchalibus paſceremur. Propterea profuſis.

Poſt Com.

Eccleſia tua Dñe cęleſti gratia repleatur, atq; ab omnibus vitijs expiata, percipiat ſempiternæ redemptionis augmentũ. Per Dñm.

In Eccleſia maiore.

Super populum.

DEVS, qui nos reſurrectionis Dominicæ annua ſolennitate lętificas, concede propitius, vt per temporalia feſta quæ agimus, peruenire ad gaudia æterna mereamur. Per eund.

Super ſind.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui reſurgens à mortuis paſsione caſſata, potentiorem te tuis diſcipulis reddidiſti: concede propitius, vt nos quoquè maieſtatis tuæ myſteria celebrantes, pręſentiæ diuinæ beneficia conſequamur. Qui cum patre.

Super obl.

ACCIPE Domine preces nomini tuo dicatas, cum oblationib' ſupplicantium, vt quod myſterijs paſchalibus fideliter exequũtur, in tuæ remunerationis veritate percipiant. Per Dominum.

Præfatio.

AETER-

AETERNE Deus. Quia refulsit in æternum dies nostrę resurrectionis,& glorię Domini nostri Iesu Christi: Qui idem sacerdos & hostia dignanter extitit,nō solùm qui sanctificet populum, sed ipsos quoquè dicatos maiestati tuæ cnmmendet, Vndè profusis.

Post Com.

AB omni nos, quęsumus Domine, vetustate purgatos, sacramenti tui veneranda perceptio,in nouam trāsferat creaturam. Qui cum patre.

Ss. FER. V. IN ALBIS.

Pro baptizatis.

Super populum.

DEVS, qui diuersitatem gentium in confeßione tui nominis adunâsti,da,vt renatis fonte baptismatis vna sit fides mētium,& pietas actionum. Per Dominum.

Super sind.

DEVS, qui multiplicas sobolem renascentium, fac eos gaudere propitius de suorum venia peccatorum. Per Dominum.

Super obl.

SVSCIPE, quæsumus Domine, munera populorum tuorum propitius,vt confeßione tui nominis & sacro baptismate renouati, sempiternam beatitudinem consequantur. Per Dominum.

Præfatio.

MS. PER Christum Dominum nostrum. De cuius morte vita surrexit,de paßione salus asscendit, de pœna crucis remedium pietatis,gloria de damnatione,medicina de vulnere. Vnus nanq; mori voluit, nè omnes moreremur. Immò vnus mori dignatus est,vt omnes nos perpetuò viueremus. Proptereà profusis.

Post Com.

PRAESTA, quęsumus, omnipotens Deus,vt qui paschalia sacramenta percepimus,æternę vitę gaudia percipere mereamur,Per Dñm.

In

In Ecclesia maiore.

Super populum.

DEVS, qui nobis ad celebrandum Paschale sacramentum liberiores animos præstitisti: doce nos & metuere quòd irasceris, & amare quod præcipis. Per Dominum.

Super sindonem.

DEVS, qui ad æternam vitam in Christi resurrectione nos reparas, erige nos ad consedentem in dextera tua nostræ salutis authorem: vt qui propter nos iudicandus aduénit, pro nobis iudicaturus, mitis adueniat, Dominus noster Iesus Christus filius tuus: Qui tecum viuit & regnat.

Super obl.

CONCEDE, quæsumus, misericors Deus, vt quod Paschalibus exequimur institutis, fructiferum nobis omni tempore sentiamus: Per Dominum.

Præfatio.

PER Christum Dominum nostrum. Qui oblatione sui corporis, remotis sacrificijs carnalibus victimarum, * seipsum tibi pro salute nostra offerens, idem sacerdos & sacer agnus exhibuit. Vndè profusis.

* seipsum tibi sacrã hostiam agnumq; immaculatũ summus sacerdos pro salute nostra ĩmolauit. Per quem.

Post Com.

EXAVDI Domine preces nostras, vt redemptionis nostrę sacrosancta commercia, & vitæ nobis conferãt præsentis auxilium, & gaudia sempiterna concilient. Per Dominum.

T t. FER. VI. IN ALBIS.

Pro baptizatis.

Super populum.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui populum tuũ quondàm, Iordane transiecto, terram fecisti promissionis intrare: præsta, quæsumus, vt significationis antiquæ & veritatis pa-

tefactis myſterijs, per ſacramenta baptiſmatis, adoptionis tuæ filij, regno cæleſti mereantur aſſcribi. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS, qui credentes in te populos gratię tuæ largitate multiplicas, reſpice propitius ad electionem tuam, vt qui ſacramento baptiſmatis ſunt renati, regni cæleſtis mereantur introitum. Per Dominum.

Super obl.

HOSTIAS Domine, quæſumus, placatus aſſume, quas & pro renatorum expiatione deferimus, & pro acceleratione cęleſtis auxilij. Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum: Qui ſecundùm promiſſionis ſuæ incommutabilem veritatem, cęleſtis Pontifex factus in æternum, ſolus omnium ſacerdotũ peccati remiſsione non eguit, ſed potiùs peccatum mũdi idem verus agnus abſterſit. Per quem.

Poſt Com.

FAC, quęſumus, omnipotens Deus, vt qui Paſchalibus remedijs innouati, ſimilitudinem terreni parentis euaſimus, ad formam cæleſtis transferamur authoris. Qui tecum.

In Eccleſia maiore.

Super populum.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui Paſchale ſacramentum in reconciliationis humanę fœdere contuliſti, da mentibus noſtris, vt quod profeſsione celebramus, imitemur affectu. Per Dominum.

Super ſind.

DA nobis Domine, quęſumus, vt Paſchalia gaudia quæ lętanter exequimur, perpetua virtute nos tueantur & ſaluent. Per Dominum.

Super obl.

ACCIPE Domine fidelium preces cum oblationibus hostiarum, vt per hæc pię deuotionis officia, ad cælestem gloriā transeamus. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Poscentes, vt cuius muneris mysticū pignus accepimus, manifesta dona compræhendere valeamus, vt quę nobis fideliter speranda Paschale contulit sacramentum, * attingere mereamur resurrectionis Dominicę firmitate. Per eundem.

* per resurrectionis eius attingere mereamur ineffabile mysterium.

Post Com.

RESPICE, quæsumus, Domine populū tuum, & quem ęternis dignatus es renouare mysterijs, à temporalibus culpis dignanter absolue. Per Dominum.

vu SABBATO IN ALBIS.

Pro baptizatis.

Super populum.

DEVS, qui humani generis es reparator & rector, fac Ecclesiam tuam in noua prole semper augeri, & deuotione cunctorum crescere filiorum. Per Dominum.

Super sind.

LARGIRE, quęsumus, Ecclesię tuæ Deus, & à suis semper & ab alienis abstinere delictis, vt pura tibi mente seruiens, pietatis tuę remedia sine cessatione percipiat. Per Dominum.

Super obl.

FAMILIAM tuam Domine, quam per paschalia festa lætificas, his quoquè sacrificijs emendatam, à cunctis defende periculis. Per Dominum.

Præfatio.

AEQVVM & salutare: Nos te, omnipotēs Dn̄e, suppliciter exorare, vt fidelibus tuis dignanter impendas, quô & paschalia capiant sacramenta, & desideranter expectent ventura: vt in mysterijs,

quibus renati ſunt, permanentes, ad nouam vitam his operantibus perducantur. Et ideò.

Poſt Communionem.

EXAVDI nos omnipotens Deus, & familiæ tuę corda, cui perfectam baptiſmatis gratiam contuliſti, ad promerendam beatitudinem aptes æternam. Per Dominum.

In Eccleſia maiore.

Super populum.

CONCEDE, quęſumus, omnipotens Deus, vt qui feſta Paſchalia venerando egimus, per hęc pertingere ad gaudia æterna mereamur. Per Dominum.

Super ſind.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, quem, docente ſpiritu ſancto paterno nomine inuocare præſumimus: effice in nobis filiorū corda fidelium, vt hęreditatem promiſſam mereamur ingredi per debitam ſeruitutem. Per Dominum. in vnitate eiuſdem.

Super obl.

ACCIPE Domine fidelium preces cum oblationibus ſupplicantium, vt Paſchalibus initiata myſterijs, ad ęternitatis nobis proficiant hæc dona ſuffragium. Per Dominum.

Pręfatio.

AETERNE Deus. Et nunc maximè gratulari, quādò dies ſalutis noſtrę, & tuæ erga nos pietatis myſteriū ſolenniter celebratur: quo de tenebris captiuitatis antiquę, filij lucis & libertatis efficimur: & terrenis exuti, ad cęleſtia regna trāſimus. Propterea ꝓfuſis.

Poſt Com.

REDEMPTIONIS noſtræ munere vegetati, quęſumus Domine, vt hoc perpetuę ſalutis auxilium fides ſemper vera perficiat. Per Dominum.

Xx. DOM. IN ALBIS DEPOSITIS.

Super populum.

PRAE-

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui Paſchalia feſta peregimus, hæc, te largiente, moribus & vita teneamus. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS, innocentiæ reſtitutor & amator, dirige ad te tuorum corda famulorum, vt quos de infidelitatis tenebris liberâſti, nunquàm à tuæ veritatis luce diſcedant. Per Dominum.

Super obl.

RESPICE Domine munera exultantis Eccleſię, & ſaluti credentium perpetua ſanctificatione ſumenda concede. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Suppliciter exorantes, nè nos ad illum ſinas redire actum, cui iure dominatur inimicus: Sed in hac potiùs facias abſolutione perſiſtere, per quam diabolus extitit, filio tuo vincente, captiuus. Et ideò.

Poſt Communionem.

EXVBERET, quæſumus Domine, mentibus noſtris paſchalis gratia ſacramenti, vt donis tuis ipſa nos dignos efficiat. Per Dominum noſtrum.

yy. DOM. II. POST PASCHA.

Super populum.

MISERICORS Domine fidelium tuorum conſolator & doctor, auge in Eccleſia tua deſideria quæ dediſti, & de intelligenda altitudine promiſsionum tuarum, ſperantium in te corda confirma: vt omnes adoptionis filij, lumen quod nondùm oſtendis, fidei oculis incunctanter intueantur, & patienter expectent. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS, qui in filij &c. vt infrà Tom. 2.

Super oblatam.

DEVS, qui nos per huius ſacrificij veneranda commercia vnius ſummæque diuinitatis participes effeciſti: præſta, quæſumus, vt ſicut tuam cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis moribus aſſequamur. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui omnia elementa feciſti, & varias diſpoſuiſti temporum vices, atque homini ad tuam imaginem condito, vniuerſa ſimul animantia rerumq; miracula ſubieciſti. Cui licèt origo terrena ſit, tamen regeneratione baptiſmatis cęleſtis ei vita confertur. Nam deuicto mortis authore, immortalitatis eſt gratiam conſecutus: & pręuaricationis errore ceſſato, viam reperit veritatis. Per Chriſtum.

Poſt Communionem.

PRAESTA nobis omnipotens & miſericors Deus, vt viuificationis tuę gratiā conſequentes, in tuo ſemper munere gloriemur. Per Dominum.

zz. IN FESTO S. MARCI.

Super populum.

DEVS, qui hunc diem, B. Marci Euangeliſtę & martyris tui, ſanguinis roſeo conſecrâſti cruore perfuſum: præſta, quæſumus, vt ipſe apud te pro nobis exiſtat pręcipuus ſuffragator, qui vnigeniti tui fieri meruit euangelicus prędicator. Per eundem.

Super ſind.

DEVS, qui nos B. Marci Euangeliſtę & martyris tui ſolennitate lętificas, pietatis tuę largitate cōcede benignus, vt cuius triumphum pio amore veneramur in terris, ſocietatis eius lętitiam adipiſci, te largiente, mereamur in cęlis. Per Dominum.

Super obl.

HANC in cōſpectu diuinæ maieſtatis tuę Domine placationis hoſtiā, B. Marci Euangeliſtę tui interceſsio deuota cōmendet: Quæ qui-

quidem angelicis tibi manibus oblata, tuaq; dextera benedicta, ab omni nos reddat peccatorum labe purgatos. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Et te in tuorum martyrum venerari triumphis, qui eos pro fidei merito reluctantes, victricibus armis præcinxisti. Quorum pio commonitus exemplo, speiq; promissæ perpetuitate certissimus, beatus Euangelista Marcus, seculi huius momẽtaneis gaudijs abolitis, per diuersa martyrij ludibria, cęlestium militum meruit adipisci commercia. Per Christum.

Post Communionem.

INENARRABILIS sacramenti suauitate refecti, quæsumus Domine, beati Marci Euangelistę tui suffragijs, nullis vnquàm impediamur terrenis actibus, te sequi omnium bonorum creatorem. Qui viuis.

aaa. IN FESTO SS. VITALIS ET VALERIAE.

Horum Martyrũ apud Rauennam passio celebratur in Martyrol. 28. April. & ab Ambr. Serm. de Geruasio & Protasio.

Super populum.

SANCTORVM nos, quæsumus Domine, Vitalis & Valeriæ natilitia votiua lætificent, & suæ beneficijs intercessionis attollant. Per Dominum.

Super sind.

CONCEDE, quęsumus, omnipotens Deus, vt ad meliorem vitam, sanctorum tuorum Vitalis & Valerię exempla nos prouocẽt, quatenùs quorũ solennia agimus, etiam actus imitemur. Per Dñm.

Super obl.

ACCEPTA sit in conspectu tuo Domine nostra oblatio, & eorum nobis fiat supplicatione salutaris, pro quorum solennitate defertur. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus: Et te in omnium martyrũ triumphis laudare, quoniã tuis donis atq; muneribus, beatorũ martyrũ Vitalis & Vale-

Valeriæ paſsionem hodierna ſolennitate veneramur. Quî pro cõfeſsione Ieſu Chriſti filij tui diuerſa ſupplicia ſuſtinuerunt, & ea deuincentes, coronam perpetuitatis promeruerũt. Per Chriſtum.

Poſt Communionem.

EXVLTET, quæſumus Domine, populus tuus, in ſanctorum tuorum commemoratione Vitalis & Valeriæ: Et quorum votiuo lętatur officio, ſuffragio releuetur optato. Per Dominum.

bbb. DOM. III. POST PASCHA.

Super populum.

DEVS, qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis, da populis tuis id amare quod præcipis, id deſiderare quod promittis: vt inter mundanas varietates ibì noſtra fixa ſint corda, vbì vera ſunt gaudia.

Super ſind.

DEVS, qui miſericordiæ ianuam fidelibus patére voluîſti, reſpice in nos, & miſerere noſtrî: vt qui voluntatis tuæ viam, donante te, ſequimur, à vitæ nũquàm tramite deuiemus. Per Dominum.

Super obl.

BENEDICTIONEM &c. vt infrà Tom. 2. Dom. 3. Poſt oct. Paſchæ.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Qui humanis miſertus erroribus, per virginem naſci dignatus eſt, & per paſsionem mortis, à perpetua nos morte liberauit, ac reſurrectiõe ſua æternam nobis contulit vitam, Idem Ieſus Chriſtus Dñs noſter. Quem vnà.

Poſt Communionem.

SACRAMENTA &c. vt infrà ibidèm Tom. 2.

ccc. FER. 4. MEDIANTE DIE FESTO.

id eſt, die xxv. poſt Paſcha, qui inter Paſcha & Pentecoſten eſt medius.

Super

Super populum.

DEVS, per cuius prouidentiam nec præteritorum momenta deficiunt, nec vlla superest expectatio futurorum: tribue permanentem peractæ, quam recolimus, solennitatis effectum, vt quod recordatione percurrimus, semper in opere teneamus. Per Dominum nostrum.

Super sind.

POPVLVS tuus, quæsumus Domine, renouata semper exultet animæ iuuentute: vt qui anteà in peccatorum veternosæ mortis venerat * senio, nunc lætetur in pristinam se gloriam restitutum. Per Dominum. * senium.

Super obl.

MVNERA tibi Domine oblata sanctifica, vt tui nobis vnigeniti corpus & sanguis fiant. Qui tecum viuit & regnat in vnitate.

Præfatio.

AETERNE Deus: Per mediatorem Dei & hominum, Iesum Christum Dominum nostrum. Qui, mediante die festo, asscendit in templum docere: qui de cælo descendit, mundum ab ignorantiæ tenebris liberare. Cuius descensus genus humanum doctrina salutari instruit, mors à perpetua morte redemit, asscensio ad cælestia regna perduxit. Per quem te summe pater poscimus, vt eius institutione edocti, salutaris parsimoniæ deuotione purificati, in tua perueniamus promissa securi. Per eundem.

Post Communionem.

ADIVVET nos, quæsumus Domine, sanctum istud Paschale mysterium, & vt deuotis hoc mentibus exequamur, obtineat. Per Dominum.

ddd. DOM. IIII. POST PASCHA.

Super populum.

DEVS, qui errantibus &c vt infrà Tom. 2. post oct. Paschæ.

Super sind.

ACTIONES nostras, quęsumus, Domine & adspirando præueni,& adiuuando prosequere, vt cuncta nostra operatio, à te semper incipiat,& per te cœpta finiatur. Per Dominum.

Super obl.

HIS nobis Domine. &c. vt infrà ibidèm.

Præfatio.

AETERNE Deus. Postulantes, vt tempora quibus post resurrectionem Dominus noster Iesus Christus cum suis discipulis corporaliter habitauit, pia deuotione tractemus. Quem vnà.

Post Communionem.

ADESTO nobis Domine &c. vt ibidèm Dom.3.

ccc. IN FESTO SS. APOST. PHILIPPI ET IACOBI.

Super populum.

DEVS, qui conspicis quia nos vndiquè mala nostra conturbant, præsta, quęsumus, vt beatorum Apostolorum tuorum Philippi & Iacobi intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Super sind.

INTERCESSIONIBVS nos Domine, quæsumus, sanctorum Philippi & Iacobi vbiquè confoueas, vt eorum sacra natalitia temporaliter frequentemus,& conspiciamus æterna. Per Dominum.

Super obl.

SACRIFICIVM nostrum tibi Domine, quæsumus, beatorum Apostolorum Philippi & Iacobi precatio sancta conciliet, vt in quorũ honore solẽniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Quia tui est operis tuæque virtutis, vt beatorum Apostolorum Philippi & Iacobi gloriosa confessio vsque in finem seculi nobis capiat regni cælestis augmentum. Per Christum.

Post

Post Communionem.

BEATORVM Apostolorum Philippi & Iacobi honore continuo Domine plebs tua semper exultet, & his pręsulibus gubernetur, quorum & doctrinis gaudet, & meritis. Per Dominum.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

De S. Cruce Serm. est Amb. 55.

Super populum.

DEVS, qui præclara salutiferæ crucis inuentione, pasśionis tuę miracula suscitâsti: concede, vt vitalis ligni precio, æternę vitę suffragia consequamur. Qui cum patre.

Super sind.

ADESTO familiæ tuæ clementisśime Deus, vt in aduersis & prosperis preces eius exaudias, & nefarias aduersariorum insidias per vexillum sanctę crucis digneris conterere, vt perennis gaudij salutem posśit, te protegente, mereri. Per Dominum.

Super obl.

SACRIFICIVM Domine quod immolamus, placatus intẽde, vt ab omni nos exuat bellorum nequitia, & per vexillum sanctę crucis filij tui, ad conterendas potestatis aduersę insidias, nos in tuę protectionis securitate constituat. Per eundem.

Præfatio.

PER Christum Dominum nostrum. Cuius hodiè, dudùm à Iudęis abditum, gloriosum inuentum est vexillum. Qui protoplasti facinus, quod per ligni vetiti gustum in genus humanum diriuatum est, per idem lignum simulque nostra affigens delicta delere dignatus est. Cuius typum virga tenuit in separando æquoris vndas, & viam populo per Moysen præparando securam. Per cuius quoquè vmbram, aspera mors populis ligno deducta cucurrit, in quo pendens redemptor, factus est maledictum, vt à maledicto nos eriperet legis. Cuius ligni mysterio saluari credimus omnes. Per eundem. M. s. Simpl.

Post Communionem.

REPLETI alimonia cælesti, & spiritali poculo recreati, quæsumus omnipotens Deus, vt ab hoste maligno defendas, quos per lignum sanctæ crucis filij tui armari, ac signo illo salutifero triumphare voluisti. Per eundem Dominum.

ggg. DOM. V. POST PASCHA.

Super populum.

DEVS, qui hoc nobis confers gratia, vt iusti ex impiis, & beati efficiamur ex miseris: Adesto operibus tuis, adesto muneribus, vt quibus inest fidei iustificatio, non desit perseuerantiæ fortitudo. Per Dominum.

Super sind.

AVXILIARE Domine temporibus nostris, vt tua nos vbiq; dextera protegente, & religionis integritas, & Christiani nominis securitas reparata consistat. Per Dominum.

Super obl.

CONCEDE nobis hæc, quæsumus Domine, frequentare mysteria, quia quotiès huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Et maiestatem tuam indefessis precibus exorare, vt mentes nostras bonis operibus semper informes: quia sic erimus prçclari muneris prompta sinceritate cultores, si ad meliora iugiter transeuntes, Paschale mysterium studeamus habere perpetuum. Per Christum Dominum nostrum. Per quem.

Post Communionem.

TRIBVE nobis, quæsumus Domine, cælestis mensæ virtute satiatis, & desiderare quæ recta sunt, & desiderata percipere. Per Dominum.

hhh. IN FESTO S. VICTORIS MART. VIII. MAII. Præter Martyrologia fit hui9 mart. Mediol. mentio apud Gregor. Turõ. de laude mart. c. 45.

Super populum.

DEVS, qui laticum instàr gelidorum plumbi ardorem mutâsti, nè gloriosi martyris tui Victoris corpus exureret: tribue, quæsumus, vt ipso pro nobis interueniente, à præsentibus liberemur periculis, & futuris. Per Dominum.

Super sind.

PRAESTA, quęsumus Domine, vt intercedente beato Victore martyre tuo, & à cunctis aduersitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

Super obl.

SANCTO Victore interueniente, Domine, tibi seruitus nostra complaceat, & obsequia munerum fiant præsidia deuotorum. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Cuius prouidentiæ fultus prę sidio beatus Victor celeberrimus martyr, terreni sub chlamyde imperij, Christi tui miles agebat absconditus, non pasionis timore perterritus, sed diuino arbitrio subdens propriam voluntatem. Latuit enim mundanis excubijs, dignisimus cęlestis patriæ miles, vt perpetui regni, coruscans angelicis obsequijs, consors existeret. Dignè etiam regi regum meruit famulari Christo, quem à primęua ætate ità animi tota intẽtione dilexit, vt eius pro nomine, crudelisimi imperatoris pręcepta contemneret, & ipsius ante tribunal extensus, proprias præberet impiorum manibus scapulas flagellãdas. Dein flammiuoma plumbi vnda profusus, ità cælitùs diuino nutu angelica est visitatione defensus, vt & frigidior aqua subitò ex fonte leuata, sæuus ardor existeret, & verberum innumerabiles plagæ, salutifero curarentur vnguento. Ad vltimum verò capitali iube-

tur feriri ſententia, vt victoriæ palmam adeptus, & author ſui eſſet nominis, & exemplum magiſtri. Per Chriſtum Dominum.

Poſt Com.

PERCEPTA myſteria, quæſumus Domine, & eruditione nos inſtruant, & participatione reſtaurent, vt ad ſpiritualia mereamur munera peruenire. Per Dominum.

iii. IN DIE ASSCENSIONIS DOMINI.

Super populum.

DEUS, qui Eccleſiam tuam, euangelicæ doctrinæ exhortatione, quæ ſursùm ſunt, iubes ſapere, & ad eandem ſe altitudinem, ad quam mundi Saluator aſſcendit, erigere: da populis tuis intellectu capere, quod multi viderunt, vt in ſecundo mediatoris aduentu ditentur donis, qui promiſsis crediderunt. Per eundem.

Super ſindonem.

Exaltationem conditionis humanæ, ſubſtantiæ cõditor reſpice Deus. vt tua dignatione mundati, ſacramẽtis magnæ pietatis aptemur. Per Dominum.

Super obl.

Sacrificium Dñe ſupplices pro filij tui venerabili nunc aſſcẽſione deferimus: pręſta, quæſumus, vt nos per ipſum his commercijs ſacroſanctis ad cæleſtia conſurgamus. Per eundem.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Qui poſt reſurrectionem ſuam ſeculis omnibus glorioſam, diſcipulis ſuis viſu conſpicuus, tactuq́ue palpabilis, vſque in quadrageſimum diem manifeſtus apparuit, ipſisq́ue cernentibus eſt eleuatus in cælum. In id proficientibus intrà has moras primitiuas, vt & certius fieret quod credidiſſent, & pleniùs diſcerent quod docerent. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem.

Poſt

Post Com.

DEVS, cuius filius in alta cælorum potenter asscendens, captiuitatem nostram sua duxit virtute captiuam: tribue, quæsumus, vt dona quæ suis participibus contulit, largiatur & nobis. Qui tecum viuit.

kkk. IN TRANSLATIONE S. NAZARII MART.

Meminit huius trãslationis p S. Ambr. Paulin. in vita Ambr. & post eum Martyrolog.

Superpopulum.

PRAEVENIANT nos, quæsumus, Domine beatissimi martyris tui Nazarij desiderata commercia, vt cuius perpetuã dignitatem sacro ministerio frequentamus in terris, & præsentia nobis subsidia postulet, & æterna. Per Dominum.

Super sind.

FAC nos, quęsumus Domine, sancti martyris tui Nazarij semper festa sectari, cuius suffragijs, protectionis tuæ dona sentimus. Per Dominum.

Super obl.

FIAT Domine, quęsumus, hostia sacranda placabilis preciosi celebritate tui martyris Nazarij, quę & pectora nostra purificet, & tuorum tibi vota conciliet famulorum. Per Dominum.

Præfatio.

AEQVVM & salutare. Nos tibi reddere grates, vis trina Deus, sator optime rerũ. Qui cũcta proprijs animata figuris, artifici sermone facis, quiq; facta cõseruas: Qui dudùm multo latitantẽ puluere drachmã inuenis, accensa verbi virtute lucerna, vt pateant cunctis tua munera seclis. Reddens Ecclesiæ * secundùm certaminis palmam. angelicos vt cernant humana lumina vultus, micent & splendida tumuli membra loco. Iam iamq; repertus olim abscõditus agro, rutilat thesaurus, euãgelicis præsignat⁹ figuris: * Et semper exultat intemerata Ecclesię fides, dum sacrũ mercatu margaritę lucrum

Ms. Simpliciani.

* sanctam

* En

* capescat lucrum * capessat. In qua Christe tuus inclytus martyr geminam insignem Nazarius gestat coronam, qui meruit Domini pro laude fidelis, sanguine martyrium clarificare suum. O nimiùm dilecta Dei membra, Christi seruata promisso. O testis flagrantissime, nitore cęli fulgide, cuius inæstimabilis odor Sabæis prępollet aromatibus. Quem pius Ambrosius sacrum locans Ecclesię munus, perennem reperiens patronum, dedit & medicum, propugnatorem fidei, sacri prælij bellatorem. Propterea cum ang.

Post Commun.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt beati martyris tui Nazarij cælestibus mysterijs celebrata solennitas, indulgentiam nobis tuę propitiationis acquirat. Per Dominum.

III. DOM. POST. ASSCENSIONEM DOMINI.

Super populum.

IMPLORANTES Domine misericordiam tuam populos fideles propitius intuere, vt qui pręter te alium non nouerunt, tuis beneficijs glorientur. Per Dominum.

Super sind.

SANCTI nominis &c. vt infrà Dom. 2. post Pent.

Super obl.

OBLATIO nos Domine tuo nomini dicanda purificet, & de die in diem ad cælestis vitę transferat actionem. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Poscentes vt sensibus nostris clementer infundas, nè terrenis affectibus inhęrendo, oculos ad cęlestia non leuemus: Nè in infimis voluptatibus occupati, mentes non valeamus attollere, quò noster Saluator asscendit: ac diabolica sectando vestigia, à Christi consortio recedamus: Quia nemo potest summi

ſummi veriq́ue regis celſitudine delectari, niſì peſtifera deſtructa ſubuerſaq́ue tyranni iura calcauerit. Per eundem.

Poſt Communionem.

PRAESTA nobis, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, vt quæ viſibilibus myſterijs ſumenda percepimus, inuiſibili conſequamur effectu. Per Dominum.

Officium Mediolanen. hac ſeptimana continet dies Rogationum, quorum officia compendij gratia prętermiſimus, quòd eadem ſint cum hodiernis.

mmm. IN TRANSLATIONE S. VICTORIS, ET NAT. SS. FELICIS ET FORTVNATI MARTYRVM.

Felicis & Fortunati marty. Aquileien. meminerunt martyrologia 11. Iunij.

Super populum.

ADESTO Domine fidelibus tuis, nec vllis eos mẽtis & corporis ſinas ſubiacere periculis, quos beatorum martyrũ tuorum, Victoris, Felicis, & Fortunati, munit glorioſa confeſsio. Per Dominum.

Super ſind.

Omnipotens ſempiterne Deus, fortitudo certantium, & palma martyrum, ſolennitatem hodierni diei propitius intuere, & eccleſiam tuam continua fac celebritate lætari: & interceſsionibus beatorum martyrum tuorum, Victoris, Felicis, & Fortunati, omnium in te credentium vota perfice Per Dominum.

Super obl.

HOSTIAS Domine quas nomini tuo ſacrãdas offerimus, ſanctorũ martyrũ tuorum Victoris, Felicis, & Fortunati, proſequatur oratio, per quam nos expiari concedas & defendi. Per Dominum.

Pręfatio.

AETERNE Deus. Qui es glorioſus in ſanctis, & digno laudandus pręconio. Tua eos gratia ex mundi accerſitos illecebris, tyran- MS.

nidis dirę temnere minas,ſęuisq́; fecit agonizare principibus. Qua preuenti beatiſsimi martyres Felix & Fortunatus,aluus quos protulit vna,æthereo afflati ſuffragio,profana idolorum ſpreuêre pręſtigia. Nam agnita Chriſti Ieſu filij tui mira credulitate potentia, ſceleſtorum vitantes contagia, reliquerunt propria loca: præſtantius cenſentes, in nemoribus inter feras æterno famulari regi,quàm in ſacrilegis continuatìm cœtibus vaniſsimo degere cultu. Deniquè obtutibus crudeliſsimi acciti præſidis,pia confeſsione Chriſti nominis indagata,atrocibus pœnarum iubentur exagitari ſupplicijs. Quos celeberrimi martyres cruciatus, ſuperno fulti ſuperârũt præſidio. Cruento poſtremùm ceruicibus mucrone pręciſis, polorum regna ſcandentes,Chriſti locari gremio meruerunt. Quibus etiam ad iucundiſsimum hodiernæ feſtiuitatis augetur tripudium,ſacratiſsimi Victoris martyris tranſlatio corporis, quæ totius plebis celebratur lętitia. Per Chriſtum.

Poſt Com.

RECREATI ſacri muneris guſtu, quæſumus Domine, quod ſumpſimus, nobis non vertatur ad pœnam, ſed intercedentibus ſanctis tuis, Victore,Felice,& Fortunato,fideliter libantibus proſit ad veniam. Per Dominum.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

Poſt I. Lect.

DA nobis,quęſumus Domine, per gratiam ſpiritusſancti nouam tui paracleti ſpiritalis obſeruantiæ diſciplinam,vt mentes noſtrę ſacro purgatæ ieiunio, cunctis reddantur eius muneribus aptiores. Per Dominum.

Poſt II. Lect.

Omnipotens ſempiterne Deus,lumen indeficiens,qui ſpiritum ſanctum tuum, cùm ſuper aquas in mundi creationis exordio fer-

retur,

retur, humanæ declarâsti salutis authorem: pręsta, quæsumus, vt idẽ spiritus veritatis, Ecclesię tuæ dona multiplicet. Per Dominũ.

Post III. Lect.

DEVS, qui primis temporibus impleta miracula, noui testamenti luce reserâsti, vt & mare rubrum, forma sacri fontis existeret, & liberata plebs ab Aegyptiaca seruitute, Christiani populi sacramenta pręferret: da, vt omnes gentes Israelis priuilegium merito fidei cõsecutæ, spiritûs tui pręceptione regenerentur. Per Dominum. in vnitate eiusd.

Deindè benedictio Fontis, vt in Sabbato sancto Paschę, nihil immutando, præter vltimam orationem, quæ hoc modo dicitur.

CELEBRATIS atque perfectis diuini baptismatis sacramentis, Domino cęli & terræ, Deo patri omnipotenti indefessas gratias referamus, ipsumque supplices postulemus, vtì nos atque omnem familiam suam gratię spiritûs sancti annuat esse participes: Pręstãte Domino nostro Iesu Christo filio suo, secum viuẽte atq; regnãte Deo in vnitate eiusdem.

Ad Missam.

Super populum.

Deus, cuius spiritu totũ corpus Ecclesiæ multiplicatur & regit, cõserua in noua familiæ tuæ progenie sanctificationis gratiã quam dedisti: vt corpore & mente renouati, in vnitate fidei feruẽtes, tibi Domino seruire mereamur. Per Dominum. in vnitate eiusdem.

Super sind.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui, tuæ maiestatis effectu, per filij tui mirabile sacramentum, cooperante spiritusancto, sunt renati, cælestis vitæ fiant conuersatione perpetui. Per eundem Dominum. in vnitate eiusdem.

Super obl.

VIRTVTE sancti spiritûs Dñe munera nostra cõtinge, vt quod

 solen-

ſolennitate præſenti ſuo nomini dedicauit, & intelligibile nobis faciat,& æternum. Per Dominum. in vnitate eiuſdem.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Qui aſſcendens &c. vt infrà Tom.2.

Poſt Com.

CONCEDE, quæſumus, omnipotens Deus, vt paſchalis perceptio ſacramenti, mentibus noſtris continua perſeueret. Per Dñm.

Ooo. IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Pro baptizatis.

Super populum.

PRAESTA, quęſumus, omnipotens Deus, vt claritatis tuę ſuper nos ſplendor effulgeat, & lux tuę lucis corda eorum, qui per tuam gratiam renati ſunt, ſancti ſpiritûs illuſtratione confirmet. Per Dominum. in vnitate.

Super ſindonem.

BONORVM omniũ Deus, author atq; largitor, fac quæſumus, vt Eccleſiæ tuæ proles, te inſtituente, ſuccreſcens, in nouam filij tui creaturam, ſancto fouente ſpiritu, nutriatur. Per eundem Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. in vnitate eiuſdem.

Super obl.

MVNERA noſtra Domine ſancti ſpiritûs ſacrentur aduentu, per quem à peccatis omnibus abſoluti, adoptionis tuæ filij renaſcantur. Per Dominum noſtrum. in vnitate eiuſdem.

Præfatio.

AETERNE Deus. Quia hodiè ſancti ſpiritûs celebramus aduentum, qui principijs naſcentis Eccleſiæ cunctis gentibus imbuendis, & deitatis ſcientiam indidit, & loquelam. In diuerſitate donorum mirabilis operator vnitatis, variarumque gratiarum diſtri-

distributor, idem & fidei vnius effector, & prædicantium dispensator ipse linguarum. Propterea profusis gaudijs, totus in orbe terrarum mundus exul.

Post Com.

SACRIS cælestibus Domine vitia nostra purgentur, vt muneribus tuis possimus semper aptari. Per Dominum. Qui tecum viuit.

In Ecclesia maiore.

Super populum.

DEVS, qui discipulis tuis spiritum paracletum in ignis specie (hanc enim vocem addendam censeo) feruore tui amoris mittere dignatus es, da populis tuis in vnitate fidei esse feruentes: vt in tua semper dilectione permanentes, & in fide inueniantur stabiles, & in opere efficaces. Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate eiusdem.

Super sind.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum quinquaginta dierum voluisti mysterio cótineri: præsta, vt gentium facta dispersio diuisione linguarum, ad vnam confessionem tui nominis cælesti munere congregetur. Per Dominum.

Super oblat.

PRAESTA Domine, quæsumus, vt secundùm promissionem filij tui Domini nostri Iesu Christi, spiritus sanctus huius nobis sacrificij copiosiùs reuelet arcanum, & omnem ꝓpitius reseret veritatem. Per eundem filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum viuit.

Præfatio.

AEQVVM & salutare: Nos in hac præcipua festiuitate gaudere, qua sacratissimum Pascha quinquaginta dierum mysterijs tegitur, & mysticus numerus adimpletur, & dispersio linguarum quæ dudùm per superbiam in confusione facta fuerat, nunc per spiritum sanctum adunatur. Hodiè enim de cælis repentè sonum

audientes Apostoli, vnius fidei symbolum exceperunt, & linguis varijs euangelij tui gloriam cunctis gentibus tradiderunt. Per Christum Dominum nostrum. Per quem.

Post Communionem.

HAEC nobis Domine munera sumpta proficiant, vt illo iugiter ferueamus spiritu, quem Apostolis tuis ineffabiliter infudisti. Qui viuis. in vnitate.

ppp. IN FESTO S. DIONYSII MEDIOLAN. EPISCOPI.

Meminit hui' Amb. epist. 82.

Super populum.

DEVS, qui nos sancti Dionysij confessione gloriosa circundas & protegis, da nobis eius imitatione proficere, & oratione fulciri. Per Dominum.

Super sind.

SANCTI Dionysij Domine confessio recensita, conferat nobis pię deuotionis augmentum, quia in nomine tuo perseuerans, dignè meruit honorari. Per Dominum.

Super obl.

HOSTIAS tibi Domine pro commemoratione beati sacerdotis & confessoris tui Dionysij offerimus, quem à tui corporis vnitate nulla tentatio separauit. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Et confessionem sancti sacerdotis tui Dionysij memorabilem non tacere. Qui nec hęreticis prauitatibus, nec seculi blandimentis à sui statûs rectitudine potuit immutari. Sed in vtroq; discrimine veritatis assertor, firmitatem tuę fidei non reliquit. Et ideò ei debitæ pietatis obsequium exhibemus, quia potētiam tuam Domine, cuius gratia talis extitit, in eius solennitatibus prędicamus. Per Christum Dominum nostrum. Per.

Post Communionem.

QVAESVMVS Domine Deus noster, vt intercedente sancto sa-

ſacerdote & confeſſore tuo Dionyſio, ſacroſancta myſteria quæ ſumpſimus, actu ſubſequamur & ſenſu. Per Dominum.

qqq. DOM. I. POST PENTECOST.

Super populum.

DEVS in te ſperantium fortitudo, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas, præſta auxilium gratię tuę, vt in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi, & actione placeamus. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS, qui te in rectis ac ſinceris manere pectoribus aſſeris, da nobis tua gratia tales exiſtere, in quibus habitare digneris. Per Dominum.

Super obl.

HOSTIAS noſtras, tibi Domine dicatas, placatus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue peruenire ſubſidium. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui Eccleſiæ filios ſicut erudire non ceſſas, ità non deſinis adiuuare, vt & ſcientiam recta faciendi, & poſſibilitatem capiant exequendi. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem.

Poſt Communionem.

TANTIS Domine repleti muneribus, præſta, quæſumus, vt & dona ſalutaria capiamus, & à tua laude nunq̃ ceſſemus. Per Dñm.

rrr. IN FESTO SS. SISINNII, MARTYRII, ET ALEXANDRI MARTYRVM.

Super populum.

EXAVDI Domine populum tuum toto tibi corde ſubiectum, & interceſſionibus beatiſſimorum martyrũ tuorum, Siſinnij, Martyrij, & Alexandri, à præſentibus defende periculis & futuris. Per Dominum.

Super

Super ſindonem.

MAIESTATI tuæ nos, quæſumus, Domine martyrum tuorum Siſinnij, Martyrij, & Alexandri, interceſsio beata conciliet, vt qui inceſſabiliter actibus noſtris offendimus, iuſtorum precibus expiemur.

Super obl.

SVSCIPE, quæſumus Domine, munera tibi reuerenter oblata, & beatiſsimorum martyrum tuorum, Siſinnij, Martyrij, & Alexandri, ſuffragantibus meritis, ad noſtræ ſalutis remedium, prouenire concede. Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

M. S. Alicuius eſt ſucceſſoris D. Ambroſij, quippe quorum reliquiæ poſt obitum eius Mediolanum allatæ ſint, teſte Paulino in eius vita.

AETERNE Deus. Teque laudare mirabilem in ſanctis tuis, Siſinnio, Martyrio, & Alexandro. Quos ante conſtitutionem mundi in ęternam tibi gloriam præparâſti, vt per eos huic mundo, veritatis tuæ lumen oſtenderes. Quosque ità ſpiritu veritatis armâſti, vt fortitudinem mortis per infirmitatem carnis euincerent. Hi ſunt veri martyres, qui in Eccleſię prato ſicut roſę & lilia floruerunt. Quos pius ſanguis in pręlio confeſsionis roſeo perfudit colore, & in pręmio paſsionis niueo liliorum flore veſtiuit Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Quem vnà.

Poſt Communionem.

DIVINO munere ſatiati, maieſtatem tuam ſupplices exoramus omnipotens Deus, vt interceſsionibus ſanctorum martyrum tuorum, Siſinnij, Martyrij, & Alexandri, proprijs careamus culpis, & tuis inhærere valeamus mandatis. Per Dominum.

DOM. II. POST PENTECOST.

Super populum.

ECCLESIAE tuę Domine voces placatus admitte, vt deſtructis aduerſitatibus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate. Per Dñm.

Super

Super ſind.

Porrige dexteram tuam, quæſumus Domine, plebi tuæ miſericordiam poſtulanti, per quam & terrores declinet humanos,& ſolatia vitæ immortalis accipiat, & ſempiterna gaudia comprehendat. Per Dominum.

Super obl.

Adesto Domine ſupplicationibus noſtris, & his muneribus preſentiam tue maieſtatis interſere: vt quod noſtro ſeruitio geritur,te potiùs operante,firmetur. Per Dominum.

Præfatio.

Aeterne Deus. Maieſtatem tuam ſuppliciter exorantes,vt ab Eccleſia tua quicquid eſt noxium,tua virtute repellas, & quod eidem ſalutare eſt,largiaris. Nobisq́ue contra ſuperbos ſpiritus humilitatem tribuas rationabilem cuſtodire,& gratiam tuam clemẽter impendas. Nec nos humani incertos auxilij derelinquas,ſed tua,quæ falli non poteſt,gubernatione conſerues.Per Chriſtum.

Poſt Communionem.

Qvod ore ſumpſimus Domine, pura mente capiamus,vt de corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti fiat nobis remedium ſempiternum.Per eundem.

ttt. IN FESTO S. BARNABAE APOST. ET MEDIOLAN. EPISCOPI.

Super populum.

Devs, qui beatum Barnabam in prædicatione tuis Apoſtolis ſociâſti,tribue,quæſumus,ad eius nos peruenire conſortium, cuius celebramus præſenti feſtiuitate triumphum.Per Dominum.

Super ſind.

Maiestatem tuam Domine ſuppliciter deprecamur, vt ſicut nos annua beati Barnabæ Apoſtoli veneratione lætificas, ità ſemper ipſius ſupplicatione defendas.Per Dominum.

Super obl.

OBLATA munera, quęsumus Domine, tua benedictione sanctifica, quę, te donante, nos illa flamma tuę dilectionis accendat, per quam sanctus Apostolus Barnabas, tormenta sui corporis vniuersa deuicit. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui Apostolorum collegio tua gratia sanctum Barnabam aggregâsti, magnificis meritò pręconijs extollendum. Hic nanq; Cyprius ex stirpe Leuitica ortus, terrenorum contemptor, zelator cęlestium, ad pedes Apostolicos agri proiecit precium. Hic ex septuagintaduobus discipulis assumptus, in Apostolum sublimatur. Hic Antiochiæ, Romæ, Mediolani, semen verbi tui disseminans, gentium multitudinem Christi conuertit ad fidem. Hic Mediolanensis Ecclesię primus Pontifex, perspicuis eam miraculis insigniuit. Dum enim super languidos Matthæi deponit Euangelium, infirmitates repentè sanat om̃ium. Dumq; templo gentiliũ maledicit, eius pars subitò funditùs corruens, multos idolorum cultores interemit. Demùm multis pro tuo nomine quassatus & attritus supplicijs, per ignis incẽdium felix migrauit ad regnum. Et ideò.

Post Communionem.

CAELESTIS mensę dapibus recreati, quæsumus, omnipotens Deus, vt intercedente B. Barnaba Apostolo tuo, quod fideliter ore percepimus, sincera mente seruemus. Per Dominum.

vuu. DOM. III. POST PENTECOST.

Super populum.

EXAVDI Domine vocẽ tibi supplicantis Ecclesiæ, quæ in modum vineæ filij tui propagata cultoribus, firmis in te nititur stare radicibus: vt à pręsentis seculi fluctibus aliena, pullulantis in se populi natiuitate ditata, vbertatis suę fructibus glorietur. Per eundẽ.

Super sind.

DEVS,

DEVS, qui diligentibus te bona inuisibilia preparâsti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, vt te in omnibus & super oĩa diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, cõsequamur. Per Dominum.

Super obl.

PROPITIARE Domine supplicationibus nostris, & has populi tui oblationes benignus assume: & vt nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio: præsta, quæsumus, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Maiestatem tuam suppliciter deprecantes, vt qui rei sumus meritis, non efficiamur nostra duritia contumaces. Nec te proteruis sensibus accusare nitamur, cùm tua nobis, quę non meremur, beneficia retardentur. Sed hinc potiùs & nostras cognoscamus offensas, & opem tuã iugiter imploremus. Quia multo ampliùs continuata subsidia deuotis mentibus ministrabis, qui eadem largiris indignis. Per Christum.

Post Communionem.

GRATIAS tibi agimus Domine sancte, pater omnipotẽs, æterne Deus, qui nos corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi communione satiâsti, tuamq; misericordiam humiliter imploramus: vt hoc tuum Domine sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed sit intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerũ, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum. Hæc nos cõmunio purget à crimine, & cælestis gaudij tribuat esse participes. Per eundem.

XXX. IN FESTO SS. CANTIANORVM MART.

De SS. Cãtio, Cãtiano, & Cãtianilla, tractat Ambros. serm. 75.

Super populum.

POPVLVM tuũ Dñe perpetua defensione conserua, nec difficultèr, quod piè postulat, consequatur, cui sanctorum martyrum tuorum Cantianorum merita suffragantur. Per Dñm.

DEVS, qui ſanctorum martyrum tuorum Cantianorum glorioſi feciſti palmam florere certaminis, da nobis, quæſumus, hoſtis noſtri fortia ſuperare tentamina: & quod noſtris meritis non valemus accipere, ipſorum, quorum natalitia celebramus, precibus aſſequamur. Per Dominum.

Super obl.

PLEBIS tuæ Domine munera benignus intende, quæ maieſtati tuę in ſanctorum martyrum tuorum Cantianorum ſolennitatibus ſunt dicata. Per Dñm.

Poſt Communionem.

INVOCANTES nomen tuum Domine deprecamur, vt qui patres noſtros, virtute tui nominis præeunte, angelicis paſtibus refeciſti, nos quoq; interceſsione beatorum martyrum tuorum Cātianorum, myſticis dapibus foueas & reformes. Per Dominum.

yyy. IN FESTO S. VITI MART.

Super populum.

Paſsio huius in Sicilia celebratur in Marty. 15. Iunij.

DA Eccleſię tuæ Domine, quęſumus, S. Vito intercedente, ſuperbè non ſapere, ſed tibi placita humilitate proficere, vt proterua deſpiciens, quæcunque matura ſunt, libera exerceat charitate. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS, qui nos beati Viti martyris tui meritis & interceſsione lætificas, concede propitius, vt qui eius beneficia poſcimus, dono tuæ gratiæ conſequamur. Per Dominum.

Super oblat.

MAIESTATEM tuam ſuppliciter imploramus, omnipotens Deus, vt ſicut gloriam diuinę potētię munera ꝓ ſanctis oblata teſtantur, ſic nobis effectum tuæ ſaluationis impendant. Per Dñm.

AETERNE Deus. Beati Viti martyrio gloriantes. Cui admiranda gratia in tenero adhuc corpore virtutem fidei & patientiæ fortitudinē tribuiſti, vt ſæuitię perſecutoris nō cederet conſtantia pueri-

puerilis. Quæ inter acerba ſupplicia nec ſenſu potuit terreri, nec frangi ætate, vt glorioſior fieret eius corona martyrij. Et ideò.

Poſt Com.

REFECTI Domine benedictione ſolenni, quæſumus, vt per interceſsionem ſancti Viti, medicina ſacramenti & corporibus noſtris proſit,& mentibus. Per Dominum.

Zzz. DOM. IIII. POST-PENT.

Super populum.

DEVS, qui Eccleſiam tuam noua ſemper prole fœcundas, auge eam quotidiè credentium puritate,& diuinæ gratię infuſione multiplica: vt repulſa impugnatione malorum omnium, in trãquillitate pacis & fidei,tuo ſemper ditata munere glorietur, Per Dominum.

Super ſindonem.

DEVS, qui nos &c. vt infrà Tom.2. Dom.5. poſt oct. Epiphaniæ.

Super obl.

DEVS, qui legalium &c. vt infrà ibidèm Dom.8. poſt Pentecoſt.

Præfatio.

IMPLORANTES clementiam tuam, vt gubernare digneris onera diuinæ militiæ ſuſtinentes. Et quia neceſsè eſt, vt ab eo cui plus creditur,amplius exigatur: tu noſtras propitius dirigas actiones,vt & proprijs non implicemur erroribus,& externis, Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſt Com.

SIT nobis Domine, quæſumus, medicina mentis & corporis, quod de ſancti altaris tui benedictione percepimus: vt nullis aduerſitatibus fatigemur, qui tanti remedij participatione munimur. Per Dominum.

De inuentione corporum horũ marty. tractat Ambr. Epist. 82. & serm. 89. ac 70.

aaaa. IN VIGILIIS SS. PROTASII ET GERVASII.

Super populum.

MARTYRVM tuorum Domine Protasij & Geruasij natalitia præeuntes, supplices te rogamus, vt quos cælesti gloria sublimâsti, tuis adesse côcedas fidelibus. Per Dñm nostrũ.

Super sind.

SANCTORVM martyrum tuorum nos Domine Protasij & Geruasij confesio beata communiat, & fragilitati nostræ subsidiũ dignanter exoret. Per Dominum.

Super obl.

SACRIFICIVM Domine, quod pro sanctis martyribus tuis Protasio & Geruasio præuenit nostra deuotio, eorum merito nobis augeat, te donante, suffragium. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui licèt in omnium sanctorum tuorum sis protectione mirabilis, in his tamen beatisimis martyribus tuis Protasio & Geruasio speciale tuum munus agnoscimus: quos fratres sorte nascendi, magnifica præstitisti pasione germanos: vt simul essent venerandæ genitricis, & florentisimæ proles Ecclesię. Per Christum Dominum.

Post Com.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt mysteriorum virtute sanctorum, Protasio & Geruasio martyribus intercedentibus, vita nostra firmetur. Per Dominum.

bbbb. IN FESTO EORVNDEM.

Super populum.

ADESTO Domine supplicationibus nostris, quas in beatisimorum Martyrum tuorum Protasij & Geruasij cômemoratione deferimus, vt qui nostræ iustitiæ fidutiam non habemus,

mus, eorum qui tibi placuerunt, meritis & intercesſionibus adiuuemur. Per Dominum.

Super ſind.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt nos geminata lætitia hodiernę feſtiuitatis excipiat, quæ de beatiſsimorum martyrum tuorum Protaſij & Geruaſij glorificatione procedit, quos eadem fides & paſsio fecit eſſe germanos.

Super obl.

PRAETENDE munera, quęſumus, Domine altaribus tuis pro beatiſsimorum martyrum tuorum Protaſij & Geruaſij commemoratione propoſita: vt ſicut per hæc beata myſteria illis gloriam contuliſti, ità nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui militibus tuis pro tui nominis amore certantibus, virtutem fidei contuliſti: inter quos & pios fratres beatos Protaſium & Geruaſium aggregare dignatus es, quos pater dudùm præceſſerat, adeptus martyrij palmam. Hi ſunt, qui vexillo cęleſti ſignati, victricia apoſtoli arma ſumpſerunt: & à mundanis nexibus abſoluti, nequiſsimi hoſtis vitiorum aciem proſternentes, liberi & expediti Chriſtum Dominum ſunt ſecuti. O quàm felix germanitas, quæ ſacris inhęrendo eloquijs, nullo potuit interpollari contagio. O quàm glorioſa certaminis cauſa, vbì pariter coronantur, quos vnus vterus maternus effudit. Pro quorum triumphis & fœcundiſsima mater lętatur Eccleſia, quæ per beatum Ambroſium tales meruit ſoboles reperire, qui ſibi conferant ſigna virtutum & gloriam. Per eundem. M. S. Simpliciani.

Poſt Com.

QVOS donis cæleſtibus ſatiâſti, ſanctorum martyrum tuorum Protaſij & Geruaſij Domine defende præſidijs, vt à noxijs omnibus expediti, poſt ſalutaria tua toto corde curamus. Per Dominum.

cccc. IN VIGILIIS NATIVIT. S. IOANNIS BAPTISTAE.

Super populum.

VIRTVTVM cæleſtium Deus, qui annua beati Ioannis Baptiſtæ ſolennia nobis frequentare concedis: præſta, quæſumus, vt per te ſecuris eadem mentibus celebremus, & eius patrocinio promerente, plenæ capiamus ſecuritatis augmentum. Per Dominum.

Super ſind.

BEATI Ioannis Baptiſtæ nos, quæſumus, Domine pręclara comitetur oratio: & quem venturum eſſe prędixit, poſcat nobis habere pacatum. Qui tecum.

Super obl.

TVA Domine muneribus altaria cumulamus, illius natiuitatem honore debito celebrantes, qui ſaluatorem mundi & cecinit affuturum, & adeſſe monſtrauit. Qui tecum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Exhibentes ſolenne ieiunium, quo Ioannis Baptiſtæ natalitia pręuenimus: cuius genitor dum eum dubitat naſciturum, ſermonis amiſit officium: & eo naſcente, & ſermonis vſum, & prophetiæ ſuſcepit donum. Cuius etiam genitrix ſenio confecta, ſterilitate mulctata, in eius conceptu non ſolùm ſterilitatem amiſit, fœcunditatem acquiſiuit, ſed etiam ſpiritum ſanctum, quo matrem Domini & Saluatoris agnoſceret, accepit. Per quem.

Poſt Communionem.

SANCTI nos, quæſumus, Domine Baptiſtę Ioannis oratio, & aſſequi faciat ſemper mẽte quę gerimus, & debitę ſeruitutis actione ſectari. Per Dominum.

dddd. IN FESTO NATIV. EIVSDEM.

Super

Super populum.

DEVS, qui pręſentem diem honorabilem nobis in beati Ioannis natiuitate feciſti, da populis tuis ſpiritalium gratiā gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis & pacis. Per Dominum.

Super ſind.

PRAECVRSORIS tui Ioannis Baptiſtæ nos, quęſumus Domine, interceſsio ſancta commendet, vt & ſpiritalibus mereamur eius prędicationibus erudiri, & eò, quò præcipis, ipſo iuuante, noſtra poſsit peruenire fragilitas. Qui cum patre.

Super obl.

RESPICE Domine ad hęc munera, quæ te ſanctificante ſacramus: Et ſicut beatus Ioannes Baptiſta factus eſt præcurſor & præparator vię Domini noſtri Ieſu Chriſti, ità & pro noſtris infirmitatibus interceſſor exiſtat. Per eundem.

Prędatio.

AETERNE Deus. Et in die feſtiuitatis hodiernæ, quo beatus Baptiſta Ioannes exortus eſt, exultare: qui vocem matris Domini nondùm editus ſenſit, & adhuc clauſus vtero, aduentum ſalutis humanæ prophetica exultatione * geſtiuit. Qui & genitricis ſterilitatem conceptus abſterſit, & patris linguam natus abſoluit, ſolusque omnium prophetarum, redemptorem mundi, quem prænunciauit, oſtendit. Hic eſt enim ille, cui nomen & antequàm conciperetur, dediſti: & quem ſpiritu ſancto, priuſquàm naſceretur, impléſti. Dignè natalis eius hodiè ſolennia recenſemus: dignè inter natos mulierum nemo maior apparuit, qui Deum hominemque perfectum, filium tuum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & prędicare meruit, & euidenter oſtendere: Quem laud.

* ſignificauit.

Poſt Commun.

TRIBVE, quæſumus, omnipotens Deus, vt ſicut nos donis

cæleſtibus ſatias, ità beati Ioannis Baptiſtæ protectione defendas: & quod ille de filij tui natiuitate prædicauit, nobis proſit ad ſalutem. Per eundem.

eeee. DOM. V. POST PENT.

Super populum.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, in protectione fidelium populorum antiqua brachij tui operare miracula: vt hoſtibus noſtris tua virtute compreſsis, ſecura tibi ſeruiat catholica fides, & deuotio Chriſtiana. Per Dominum.

Super ſindonem

DEVS, qui creaturę tuæ miſereri potiùs eligis, quàm iraſci: cordis noſtri infirma conſidera, & tuæ nos gratia pietatis illuſtra. Per Dominum.

Super obl.

SVSCIPE munera, quęſumus Domine, quæ tibi de tua largitate deferimus, vt hæc ſacroſancta myſteria, gratiæ tuæ operãte virtute, & prę̨ſentis vitæ nos conuerſatione ſanctificent, & ad gaudia ſempiterna perducant. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Vt te authorem noſtrum pronis viſceribus, humana famulatio religioſo excolat affectu. Et ideò obſecramus miſericordiam tuam, nè pro noſtra nos iniquitate condemnes, ſed pro tua pietate in viam rectam ſemper diſponas. Nec, ſicut meremur, delinquentibus iraſcaris, ſed fragilitati noſtræ inuicta tua bonitate ſubuenias. Per Chriſtum.

Poſt Com.

SVMPSIMVS Domine ſacri dona myſterij, humiliter deprecantes, vt quæ in tui commemoratione nos facere præcepiſti, in noſtrę proficiant infirmitatis auxilium. Qui cum patre & ſpiritu.

ffff. IN VIGILIIS SS. PETRI. ET PAVLI.

De sanctis Petro & Paulo sunt Ser. Ambr. 6. ac 67.

Super populum.

FAMILIAM tuã, quęsumus Domine, propitius intuere, & apostolicis foue pręsidijs: vt eorum precibus gubernetur, quibus nititur, te constituente, principibus. Per Dominum.

Super sind.

EXAVDI nos Deus salutaris noster, & Apostolorum Petri & Pauli tuere p̃sidijs, quorũ donâsti fideles esse doctrinis. Qui cum patre.

Super obl.

MVNERA supplices Domine tuis altaribus adhibemus, vt quantùm de nostro merito sumus formidantes, tantùm beatorum Apostolorum Petri & Pauli, pro quorum solennitatibus offeruntur, intercesione gloriemur saluandi. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Apud quem licèt beatorum Apostolorum Petri & Pauli continuata festiuitas, & æterna celebritas, atq; triumphi cęlestis perpetuus sit natalis, nobis tamen beatæ confessionis initia recolẽtibus, celebriori tribuis deuotione gaudere: vt annuus honor sacratissimæ passioni repensus, maiorem nobis retributionis gratiam largiatur. Per.

Post Com.

SVMPTO Domine sacramento, beatis Apostolis Petro & Paulo interuenientibus deprecamur, vt quod temporaliter gerimus, capiamus æternum. Per Dominum.

gggg. IN FESTO EORVNDEM.

Super populum.

OMnipotens sempiterne Deus, da populis tuis Apostolorum tuorum Petri & Pauli natalem plena deuotione venerari,

vt quorum doctrinis, confeſsione Trinitatis vnius inſtitutus eſt mundus,eorum ſuffragantibus meritis,diuinę ſeruiat vnitati. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS, qui confitentium tibi redemptor es animarum, quarũ piſcator beatus Petrus Apoſtolus atque omnium Paſtor tua præceptione cognoſcitur: annue miſericors precibus noſtris,& populo tuo pietatis tuæ dona concede. Qui cum patre.

Super obl.

MVNERA plebis tuæ,quęſumus,Domine beatiſsimorũ Apoſtolorum & martyrum tuorum Petri & Pauli fiant grata ſuffragijs,vt in quorum triumphis tuo nomini deferuntur, ipſorũ digna efficiantur & meritis. Per Dominum.

Præfatio.

Ms. AEQVVM & ſalutare. Nos tibi ſemper hîc & vbiquè in honore Apoſtolorum Petri & Pauli gratias agere: quos ità electione tua conſecrare dignatus es, vt B. Petri ſecularem piſcandi artem,in diuinum dogma conuerteres,quatenùs humanũ genus de profundo inferni præceptorum tuorum retibus liberaret, & coapoſtoli eius Pauli mentem cum nomine mutares. Et quem priùs perſecutorẽ metuebat Eccleſia,nunc cęleſtium mandatorum lętatur ſe habere doctorem. Paulus cęcatus eſt,vt videret: Petrus negauit,vt crederet. Huic claues cęleſtis imperij,illi ad euocandas gentes diuinę legis ſcientiam contuliſti. Nam ille introducit, hic aperit. Ambo igitur virtutis ęternæ pręmia ſunt adepti. Hunc enim dextera tua gradientem in elemento liquido,dum mergeretur, erexit: illum autem tertiò naufragantem, profunda pelagi fecit vitare diſcrimina. Hic portas inferni,ille mortis vicit aculeum. Et Paulus capite plectitur,quia gentium caput fidei probatur. Petrus autem in cruce ſursùm verſis veſtigijs, caput omnium noſtrûm ſecutus eſt Chriſtum:Quem.

Poſt

Post Com.

PERCEPTIS Domine sacramentis, suppliciter te rogamus, vt intercedentibus beatissimis Apostolis tuis Petro & Paulo, quę pro illorum veneranda gerimus passione, nobis proficiant ad salutem. Per.

hhhh. DOM. VI. POST PENTEC.

Super populum.

DA, quæsumus, Domine populo tuo sanitatem mentis & corporis. Da vitare quod nocet, & amare quod saluet: Da vt bonis operibus inhęrendo, & benedici mereatur, & tua semper virtute defendi. Per Dominum.

Super sindonem.

ADESTO supplicationibus nostris, omnipotens Deus, & quibus fidutiam sperandę pietatis indulges, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

Super obl.

SANCTIFICATIONEM tuam Domine nobis his mysterijs placatus operare, quę nos & à terrenis purget vitijs, & ad cælestia dona perducat. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Te deprecantes, vt vna nos gratia protegat & conseruet. Et quia sine te nihil rectè valemus efficere, ipsius munere semper capiamus, vt tibi placere possimus. Per Christum Dominum nostrum. Per quem.

Post Communionem.

QVOS cælesti Domine dono satiâsti, præsta, quæsumus, vt à nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidijs. Per Dominum.

In sequentibus Dominicis vsque ad Aduentum Domini, prętérquàm in Dominica dedicationis Eccle-

ſiæ, repetũtur viciſsìm Orationes illæ & Præfationes, quas in præcedentibus poſt Pentecoſten Dominicis, reperire eſt: quarè ſuperfluum foret eaſdem repetere. Hoc vnum adnotatu dignum putauimus, quòd recenſeantur in officio Ambroſiano, XV. Dominicæ poſt Pentecoſten, V. poſt Decollationem S. Ioannis Baptiſtę, I. menſis Octobris, I. ante Dedicationem, I. Dedicationis Eccleſię, & III. poſt Dedicatiõem, quę ſimul efficiunt Dominicas numero XXVI.

Baſilicæ iſtorum mart. meminit Ambroſ. epiſt. 85.

iiii. IN FESTO SS. NABORIS ET FELICIS MART. XII. IVLII.

Super populum.

BENEDIC, quæſumus, Domine plebem tuam, & beatiſsimorum martyrum tuorum Naboris & Felicis deprecationibus confidentem, tribue conſequi, quod ſperare donâſti. Per Dominum.

Super ſind.

PROTEGAT Eccleſiam tuam, Deus, oratio veneranda beatiſsimorum martyrum tuorum Naboris & Felicis: & quorum frequentia deuotionem impendit, perpetuę poſcat redemptionis effectum. Per Dominum.

Super obl.

SANCTORVM tuorum Naboris & Felicis nobis, quæſumus, Domine pia non deſit interceſsio: quę & noſtra tibi munera cõciliet, & tuam nobis indulgentiã ſemper obtineat. Per Dominum.

Præfatio.

M. S.

PER Chriſtum Dominum noſtrum: Quiità ſuorum fidelium corda ignifero amore ſuccendit, vt & mundi caducam cõtemnant gloriam, & per tormenta adeant conſortium ciuium ſupernorum. Ob hoc & doctiſsimi milites Chriſti Nabor & Felix, à ſummis terrarum digreſsi finibus, huic terrę ſe exules tradiderunt, nè cruento Cæſaris ſubiacerent imperio: & vt ad aulam Regis ætherei faciliùs per-

pergerent, sub chlamyde terrenę militiæ latére diutiùs voluërunt, pręstolantes desupèr vocationem cælestis imperij. Acceptoq́; cõstanter spei clypeo, sumpta fidei lorica & galea, securi incedunt in hostis aciem. Vincunt pœnarum tormenta ſęuiſsima, carcerem & verbera, eculeum, ignem, & vngulas. Stridoribus catenarum colla subijciũt, trahuntur à noxijs manibus vinculati. Ad vltimum mucrone sanguine fuso, triumphali gloria decorati, ad ciues superos cum palma victoriæ peruenerunt. Per eundem.

Post Communionem.

PIGNVS vitę æternæ capientes, maiestatem tuam suppliciter deprecamur omnipotens Deus, vt sanctorum martyrum tuorum Naboris & Felicis fulti patrocinijs, quod in imagine contigimus, manifesta perceptione sumamus. Per Dñm.

.kkkk. IN FESTO S. MARCELLINAE VIRGINIS, XVII. IVLII.

Celebrat hãc suam sororem Ambr. li. tribus de virg. & epist. 33.

Super populum.

INTERCESSIO, quęsumus Dñe, beatiſsimę virginis Marcellinæ, tuam pro nobis placare non desinat maiestatem: & quę tibi placuit suæ mentis & corporis integritate, nostram tibi deuotam iugiter efficiat seruitutem. Per Dominum.

Super ſind.

INTERVENIAT pro nobis, quæsumus Dñe, beatiſsima virgo Marcellina, quæ pro tui nominis amore, virginitatis laudatæ ꝓpositum, intemerato semper corpore & corde seruauit. Per Dñm.

Super oblat.

DEBITVM tibi Domine nostræ reddimus seruitutis obsequium, suppliciter deprecantes: vt B. virginis Marcellinę suffragantibus meritis, plebis tuæ dona sanctifices, quia pro eius honorabili inter sanctas virgines cõfeſsione, laudis tibi hostias immolamus. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Gloriosę virginis Marcellinę ꝑferẽda merita recolen-

recolentes: quam tanto munere ſublimare dignatus es, vt nō ſolùm integritatis donum illibata mente ſeruaret, verumetiam euangelica prę fulgens lampade, bonorum operum incrementis excreſceret, & virtute fidei virgo prudentiſsima præpolleret. Quæ etiam terrenæ generoſitatis inſignia, Chriſti filij tui ſeruitute nobilitans, cęleſti facta eſt thalamo multiplici decore condigna: intantùm, vt beatorum comitatu germanorum, velut duarum alarum fulta remigio, ad cæleſtem gloriam lęta conſcenderet, & cum eiſdem immarceſcibilem perpetuę vitę coronam acciperet. Per eundem Chriſtum.

Poſt Communionem.

CAELESTIVM ſacramentorum refecti libamine, & prę ſentis feſtiuitatis gaudio ſaginati, ſupplces te Domine deprecamur, vt cuius congratulamur tripudio, eius ſemper protegamur auxilio. Per Dominum.

LIII. IN FESTO S. MATERNI EPISCOPI, XVII. IVLII.

Meminit huius Beda in Martyr. 15. Calen. Aug.

Super populum.

BEATI Confeſſoris tui Materni atque Pontificis fac nos Domine miranda pręconia confiteri, vt eius adiuti prę ſidijs, maieſtati tuę iugiter mereamur eſſe deuoti. Per Dominum.

Super ſind.

ADSIT nobis Domine, quæſumus, ſancta precatio beati Pōtificis tui Materni, quæ nos à terrenis affectibus inceſſanter expediat, & cæleſtia deſiderare perficiat. Per Dominum.

Super obl.

SACRANDVM tibi Domine munus offerimus, quo beati ſacerdotis tui Materni ſolennia recolentes, purificationem quoquè noſtris mentibus imploramus. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE

AETERNE Deus. Suppliciter exorantes, vt dum beati Materni confessoris tui merita veneramur, auxilium nobis tuæ propitiationis acquisisse gloriemur: nec desperemus de veniæ largitate, quam per eos qui tibi placuerunt, supplicanter exposcimus. Per Christum.

Post Com.

BEATI confessoris tui Materni, quæsumus Domine, à malis omnibus gloriosa nos semper merita tueantur, in cuius solennitate percepimus tua sancta lætantes. Per Dominum.

mmmm. IN FESTO S. MARIAE MAGDALENAE.

Super populum.

DEVS, qui per os B. Marię Magdalenæ, Dominicæ resurrectionis gaudium, primùm sanctis Apostolis præloquendo innotescere voluisti, vt ipsa in secundo Adam fieret nuncius vitę, quæ in primo propinauerat poculum mortis: tribue, quæsumus, vt eius precibus infirmitas nostra roboretur in terris, de cuius profectibus angeli gratulantur in cælis.

Super sindonem.

SANCTAE Marię Magdalenę Domine supplicationibus tribue nos foueri: vt cuius venerabilem solennitatem pio celebramus obsequio, eius intercessionibus commendemur. Per Dominum.

Super obl.

MVNERA nostra, quæsumus Domine, B. Marię Magdalenę gloriosa merita tibi reddant accepta, cuius oblationis obsequium vnigenitus filius tuus clementer suscepit impensum. Qui tecum viuit.

Præfatio.

AEQVVM & salutare: Nos te pater omnipotens omni tempore glorificare, & in die festiuitatis hodiernę B. Marię Magda- Ms.

lenę exultantibus animis prædicare. Quam ſic tui amoris igne accendere dignatus es, vt ad Chriſti filij tui veſtigia deuota corrueret, & eadem nardi piſticæ precioſo vnguento perfunderet. Oſculari quoquè ac lachrymis rigare, & capillis non ceſſat extergere, donèc audire promeruit, Dimiſſa ſunt tibi peccata, vade in pace. O beata fides, diuinæ miſericordiæ munita pręſidio. O digna cõuerſio, quæ tantum munus accepit: vt quæ anteà draconis antiqui, ſuis meritis, faucibus tenebatur adſtricta, Dominicæ reſurrectionis gaudia primùm ſanctis Apoſtolis nunciauit liberrima facta. Per eundem.

Poſt Communionem.

SVMPTO Domine vnico ac ſalutari remedio, corpore ſcilicet & precioſo ſanguine tuo, ab omnibus malis, quæſumus, B. Mariæ Magdalenę patrocinijs eruamur. Qui cum pat.

N.n n n. IN FESTO S. APOLLINARIS EPISCOPI ET MART. XXIII. IVLII.

Fit huius mentio in Marty. & paſſio ei' excuſa cũ Abdia de vit. apoſt.

Super populum.

MAIESTATIS tuę clementiam ſuppliciter deprecamur, omnipotens & miſericors Deus, vt ſicut vnigeniti filij tui agnitionem per beatiſsimi ſacerdotis & martyris tui Apollinaris prædicationem, populorum cordibus infudiſti, ità & nos, ipſius opitulantibus meritis, fidei ſtabilitate firmemur. Per eundem.

Super ſind.

BEATI ſacerdotis & martyris tui Apollinaris annua feſtiuitate lætantes, clementiam tuam ſupplices exoramus, omnipotens Deus, vt ſicut ille ob tanti agonem certaminis triumphali redimitus exultat corona, ità & nos orationum illius ſuffragio, tentationum tela ſuperantes, brauio lætemur æterno. Per Dominum.

Super obl.

FAMVLATVS noſtri ſacrificio, clementiſsime Deus, quod in com-

commemoratione celeberrimi ſacerdotis & martyris tui Apollinaris tripudianter offerimus,tuę,quęſumus, dignanter pręſentiam interſere maieſtatis,ipſius vt meritis & tibi ſit acceptabile, & nobis proſit ad veniam. Per Dominum.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Cuius potentię ſeptus ꝑſidio Apollinaris digniſsimus prẹſul, à principe Apoſtolorum Petro Rauennam mittitur,Ieſu de nomine incredulis nunciare. Qui dum mira virtutum illic ſigna conferret in Chriſto credentibus, ſæuis verberum flagellis ſæpè conteritur, & ſenile iam corpus ab impijs horrendis cruciatibus laniatur. Sed nè de ſuis vexationibus fideles trepident,in virtute nominis Ieſu Chriſti ſigna Apoſtolica perficit poſt tormenta.Puellam reſuſcitat mortuam,viſum conſpicuum cęcis reddit,& muto reſtaurat loquelam. Obſeſſam à dęmonio liberat, contagionem mundat leproſi, diſſoluta morbo ſanat peſtifero membra, portentum ſimulacri ſimul cum templo deiecit. O digniſsimus admiratione præconij Pontifex, qui cum Pontificij dignitate Apoſtolicam promeruit accipere poteſtatem. O fortiſsimus athleta Chriſti,qui ætatis iam frigeſcente calore, cõſtanter in pœnis eundem Ieſum Dei filium mundi ꝓdicat redemptorem.Quem vnà. M. s.

Poſt Communionem.

PRAESTA, quęſumus, omnipotens Deus, vt nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apoſtolicę confeſsionis petra ſolidâſti. Per Dominum.

oooo. IN FESTO S. IACOBI APOST.

Super populum.

DA nobis,quæſumus, Domine Deus noſter,vt ſicut in commemoratione beati Apoſtoli tui Iacobi temporali gratulamur officio,ità cum ipſo in tui vultûs delectatione perpetuo lętemur adſpectu.Per Dominum.

Super sind.

SOLENNITATIS Apostolicę multiplicatione gaudétes, clementiam tuam deprecamur omnipotens Deus, vt tribuas iugiter nos eorũ & confeßione benedici, & patrocinijs cõfoueri. Per Dñm.

Super obl.

OBLATIONES populi tui Domine, quæsumus, beati Apostoli tui Iacobi paßio gloriosa conciliet: & quę nostris nõ sunt apta meritis, fiant tibi placita eius deprecatione. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Quia licèt nobis salutem semper operetur diuini celebratio sacramenti, propensiùs tamen confidimus affuturam, dum sancti Apostoli tui Iacobi meritis & interuenientibus precibus exhibetur. Per Christum.

Post Communionem.

BEATI Apostoli tui Iacobi, in cuius hodiè festiuitate corpore & sanguine tuo nos refecisti, quęsumus Domine, interceßione nos adiuua: vt eius precibus gubernemur, cuius vtimur, te constituente, doctrina. Qui cum patre & spiritu sancto.

De sanctis Nazario & Celso est serm. Amb. 92.

pppp. IN VIGILIIS SS. NAZARII ET CELSI.

Super populum.

DEVS humani generis conditor & redemptor, qui ineffabili pietatis munere martyrum tuorum gloriosa certamina potentißimus largitor remuneras: præsta, quæsumus, Ecclesiæ tuę, quæ sanctorum martyrum Nazarij & Celsi lætatur triumphis, & à peccatorum seruari contagijs, & quod illi te confitendo meruerũt percipere, hoc populus tuus eorum consequi mereatur suffragijs. Qui viuis & regnas.

Super sind.

PRAESTA, quæsumus Dñe, vt sicut populus Christianus martyrũ tuorũ Nazarij & Celsi temporali solénitate cõgaudet, ità perfrua-

fruatur æterna: & quod votis amantiſsimè celebrat, compleatur effectu. Per Dominum.

Super obl.

HOSTIAS tibi Domine pro ſanctorum martyrum tuorum Nazarij & Celſi commemoratione deferimus, ſuppliciter exorantes, vt indulgentiam nobis pariter conferant & ſalutem. Per Dominum.

Præfatio.

AEQVVM & ſalutare: Nos tibi Domine cæli terræque, Deus pater, gratias agere, quas hîc & per vniuerſum mundum Eccleſia tua, ſancta catholica, omnium viuentium mater, in honore nominis tui, per officia ſpiritalis obſequij, quotidiana deuotione & annua feſtiuitate multiplicat. Quæ fidelium tuorum innumeris paſsionibus compta, & beatiſsimorum martyrum tuorum Nazarij & Celſi ſanguine decorata, à dextris ſempiternę maieſtatis aſsiſtens, tot nūc illuſtrata patrocinijs gaudet, quot pignora perſequēte mundo tranſmiſit ad cælum. Magnum hoc Domine pietatis tuæ & ineffabile ſacramentum, vt de illorum potiùs ſalute lętetur Eccleſia, quos puniſſe mundus exultat. Atque illos magìs acquiſiſſe gaudeat, quos pro veritate certantes ſeculi gladius interemit. O beata mater, natorum ſuorum glorificata tormentis, quos non planctu, non gemitu ad inferna deducit, ſed ad cæleſtia & ęterna migrantes, perpetua laude proſequitur. Per Chriſtum Dominum.

Poſt Communionem.

PRAESTA, quęſumus, omnipotens Deus, vt ſanctorum tuorū Nazarij & Celſi cæleſtibus myſterijs celebrata ſolennitas, indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat.

qqqq. IN FESTO EORVNDEM, XXVIII IVLII.

Super populum.

EXAVDI Domine preces noſtras, vt populus tuus qui ſub tantis ſanctornm martyrum tuorum Nazarij & Celſi patrocinijs eſt conſtitutus, & à ſuis offenſionibus liberetur, & ab omnib⁹ tueatur aduerſis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Super ſind.

TRIBVE nobis, quæſumus, omnipotens Deus, ſanctorū tuorum Nazarij & Celſi deſiderata commercia: vt quorum perpetua dignitate ſacra myſteria frequentamus in terris, & præſentia nobis ſubſidia poſtulent, & æterna. Per Dominum.

Super obl.

SVSCIPE, quæſumus, Domine munera populi tui, pro martyrum tuorum Nazarij & Celſi feſtiuitate ſanctorum, & ſyncero nos corde perfice benignus acceptos. Per Dominum.

Præfatio.

M. S. AEQVVM & ſalutare. Nos tibi ſumme Deus gratias agere, & in hac triumphali die noſtræ deuotionis pandere vota, in qua martyr ſanctus roſeo luſtratus cruore Nazarius, cæleſte meruit conſcēdere regnum. Qui dum per innumera tormentorum acerba ſupplicia crudeliùs vexaretur, tyrannicam rabiem fidei conſtantia ſuperabat. Nec potuit perſecutorum illatis cedere minis, quandò pro ſe certante ipſe author victoriæ Chriſtus Dominus dimicabat. Ducitur intereà ad templum idolis prelibare profanis, quorū portenta, diuino fultus preſidio, mox vt ingreſſus eſt, redegit in puluerem. Ob hoc & liquidas maris in vndas longiùs à terra proiectus, angelici muneris famulatu, ſolida inter fluctus veſtigia præfigebat. O felix & inclytus Domini præliator, qui mundi congreſſus principi, innumeram populi multitudinem vitæ ſociauit æterne. Inter quos & ſacri p̄lij bellatorem, Celſum videlicet fideliſsimum teſtem, dum martyrij docuit certare ad palmam, pariter meruerunt celeſtis patriæ peruenire ad regnum. Per Chriſtum.

Poſt

Post Com.

PROTEGE, quęsumus, Domine plebem tuam, & festiuitatem martyrum tuorum Nazarij & Celsi, quam nobis tradis assiduè, debitam tibi persolui precibus concede sanctorum. Per Dominum.

Rrrr. IN FESTO S. MARTHAE VIRG. ET HOSPITAE DOMINI.

Super populum.

OMNIPOTENS clementissime Deus, cuius filius in æde B. Marthę hospitari dignatus est: da, quęsumus, vt eius meritis, quę illum suscepit placidè, in æde polorum misericorditer hospitari valeamus. Per eundem filium.

Super sind.

DA, quæsumus, misericors Deus, vt qui B. Marthæ filij tui hospitę festiuitatem colimus, eius meritis à cunctis aduersitatibus liberemur. Per eundem.

Super obl.

SVSCIPE & sanctifica Adonai Deus hoc munus oblatum, & concede, vt ad salutem nostram carnem & sanguinem filij tui meritis illius suscipiamus, quæ illum gratanter hospitio suscepit. Qui tecum viuit & regnat.

Præfatio.

AETERNE Deus. Et in celebritate beatissimę Marthæ imperatorem cælorum dignis laudibus extollere, quem in suis ædibus hospitio deuota suscepit, & pietatis obsequium ei solicita ministrauit. Vndè & quatriduanum fratrem suum Lazarum ab inferis resuscitari obtinuit, & in aula cęlestis imperij cum eodem hospite Christo inseparabiliter sociari promeruit. Quem laudant angeli.

Post Com.

Quęsumus, omnipotens Deus, vt pijs sacramentis quę sumpsimus,

mus,& meritis B. Marthæ filij tui hoſpitæ, ad gaudia pertingamus æterna. Per eundem.

Facit huius mentionem ſuprà Ambr. in can. Miſſ.

Sſſſ. IN FESTO S. CALIMERI EPISCOPI ET MART. VLT. IVL.

Super populum.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, ſolennitatē huius diei propitius intuere,& Eccleſiam tuam interceſsione beati Calimeri pontificis & martyris tui,continua fac celebritate gaudere, omniumq́ue in te credentium vota perfice. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS author mundi & conditor, qui ſanctis tuis in confeſsione tui nominis virtutem atque victoriam contuliſti: præſta populo tuo,vt cuius annua celebritate deuotis exultat obſequijs, eius ſuffragijs tuæ pietatis conſequatur auxilium. Per Dominum.

Super obl.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui beatum Calimerum martyrem tuum pōtificalibus infulis decorâſti: præſta, quęſumus, nos eius exemplo & magnifico interuentu,tibi dignè munera cōſecrare, ac mundi gloriam mente deſpicere, & cælum ſemper ambire. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Et in hac die, quam beati Calimeri paſsio conſecrauit,& nobis venerabilem exhibuit,prædicare. Qui euangelica prędicatione imbutus,doctrinis cęleſtibus educatus,electione dignitatis conſpicuus, & martyr inſignis, & ſacerdos refulſit egregius. Per Chriſtum.

Poſt Com.

DEVS, qui es tuorum antiſtitum potentiſsimus illuſtrator,tribue,quæſumus, vt per hæc ſacramenta quæ ſumpſimus,& beatiſsimi pontificis & martyris tui Calimeri magnificis exemplis pariter

riter & monitis informati, seculi istius caliginem sine periculo transeamus. Per Dominum.

Tttt. IN FESTO SS. MACHABAEORVM MART. ET DEPOSIT. S. EVSEBII PRESBYT.

De S. Eusebio Vercellēsi tractat Amb. epist. 82.

Super populum.

ADESTO Domine supplicationibus nostris, & intercessionibus beatissimorum martyrum tuorum Machabęorū, perpetuam nobis misericordiā benignus impende. Per Dominum.

Super sind.

ANNVE nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vt sanctorum martyrum tuorum Machabæorum suffragijs adiuuemur: vt sicut eis copiosa victoria dedit triumphum, ità & nobis cōtinuum pręstet auxilium. Per Dominum.

Super obl.

SVSCIPE, quæsumus Domine, & sanctifica hoc sacrificiū populi tui, vt quod in honore beatissimorū martyrum tuorum Machabęorum, offertur ad gloriam, nobis tribuas ad salutem perpetuā. Per Dominum.

Præfatio.

AEQVVM & salutare: Nos in honore nominis tui Domine, sanctos martyres tuos Machabæos annua festiuitate cum omni admiratione pręferre, natiuitate fratres, passione germanos, quos gloriosa mater vtero concepit & mente: vt quos secundùm carnē genuerat mundo, eosdem omnipotenti Deo spiritu fœcunditatis generaret ad gloriā: Nam qui nati fuerant carnaliter ad mortem, religiosè moriebantur ad vitā. Abscindūtur lingue, cutes capitū auferuntur: & inter hęc gloriosissimi iuuenes non dolebāt quòd crudeliùs punirentur, sed exultabant quòd gloriosiùs interirent, vt inuicèm sibi essent & solatium, & exemplum. Post quos omnes

& ipsa exultans sanguinis mater & fidei, nouissimè subsecuta est: non vt vltima esset, sed vt fructus ventris sui pręmitteret Deo, & pignora sua secura sequeretur. Quid illud, quantaque exultatione dicendum est, quòd passionis ipsorum die, de hoc mundo profectus est ad æternam sedem testis fidei, & veritatis confessor Eusebius? Qui etiam die, quo passi sunt martyres veterum præceptorum, eodem die noui testamenti propugnator assumptus est. Illi discesserunt, Iudaicę legis mandata seruantes: hic requieuit, inseparabilis Trinitatis asserens vnitatem. Quam laudant.

Post Com.

PRAESTA, quęsumus, omnipotens Deus, vt quorum memoriam sacramenti participatione recolimus, fidem quoquè proficiendo sectemur. Per Dominum.

Meminit & huius Ambr. in Can. Miss.

vuuu. IN FESTO S. PERPETVAE MATRIS S. NAZARII., IIII. AVGVSTI.

Super populum.

DEVS, qui B. Perpetuæ vterum glorioso martyre Nazario tua gratia fœcundâsti: da, quęsumus, vt eius meritis adiuti, sincera fide & sanctis operibus fœcundemur, & perpetuam in cælis gloriam consequamur. Per Dominum.

Super sindonem

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui per beatam Perpetuam, Affricanum eius coniugem cum filio Nazario ad lucem fidei, tuæ gratiæ dono conuertisti: præsta, quæsumus, vt relictis vitiorum tenebris, ad te qui es lumen indeficiens, conuertamur. Per Dominum.

Super obl.

NOSTRAE deuotionis munera Domine, in honore S. Perpetuæ tuis altaribus offerentes, maiestatem tuam suppliciter exoramus,

mus, vt & tibi grata semper existant, & ad salutem nostram proficiant. Per Dominum.

Præfatio.

Aeterne Deus: Qui tuæ maiestatis potentiam in sexu fœmineo multipliciter operosam & mirabilem manifestans, beatam Perpetuam sic tuæ gratiæ radio illustrâsti, vt execrato gentilitatis errore, ab Apostolorum Principe baptizata, non solùm filium Nazarium ad Christi cultum flecteret, sed & Affricanum eius infidelem virum, Iudaici ritûs cultorem, fidelis mulier duplici lucro ditata, Christianorum collegio sociaret. Hæc misericordiæ operibus exuberans, indigentibus subuenit, & afflictos miseria consolatur. Hæc beatorum martyrum corpora pio tradidit studio sepulturis, hęc miris corruscans virtutibus, & in sinceritate fidei & operum sanctitate perseuerans, carnis deserens claustrum, lęta migrat ad Christum. Quem laudant.

Post Com.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, vt sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quod ad S. Perpetuę laudem percepimus & honorem, in nobis mentis & corporis medicinam salutiferam operetur. Per eund.

Xxxx. IN VIGILIIS S. LAVRENTII.

De hoc S. habet Ser. Ambr. 1. & 2.

Super populum.

Annve nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vt beati Leuitę & martyris tui Laurentij veneranda solennitas & deuotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum.

Super sind.

Devs, cuius * claritatis ardore beatus Laurētius Leuita & martyr edaces incendij flammas, contempto persecutore, deuicit: cōcede propitius, vt omnes qui martyrij eius merita veneramur, protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Dominum.

* charitatis

Super obl.

SVSCIPE Domine hæc munera populi tui, quæ tibi in B. Leuitæ & martyris tui Laurentij festiuitate offerimus, vt per eadem sicut confidimus, tuæ pietatis sentiamus auxilium. Per Dominum.

Prefatio.

AEQVVM & salutare: Nos tibi omnipotens Domine gratias agere, B. Laurẽtij Leuitę & martyris tui solennitatẽ celebrãtes. Cui fidem confeßionemq́; non abstulit ignis accẽsus, sed vt clariùs luceret, accendit. Nam sicut aurum flammis nõ vritur, sed probatur: sic beati Martyris sancta substantia non consumitur, sed apparatur cælestibus ornamentis. Per Christum Dominum.

Post Commun.

Indulgentiam tuam Domine nobis, quæsumus, sancti Laurentij postulet grata precatio, per dilectißimum filium tuum, Deum, Dominum, & Saluatorem nostrum. Qui tecum.

yyyy. IN FESTO EIVSDEM.

Super populum.

ANNVE, quęsumus, omnipotens Deus, vt sicut beatus Leuita & martyr tuus Laurentius, ignium globos, te protegẽte, euasit: ità fidelis populus huius aduersitatem seculi, te auxiliante, euadat. Per Dominum.

Super sind.

BEATI Leuitæ & martyris tui Laurentij nos, quæsumus Domine, foueant continuata præsidia: Quia non desinis propitius intueri, quos promißis auxilijs cõcesseris adiuuari. Per Dominum.

Super obl.

VT grata tibi sit, quęsumus Domine, nostræ seruitutis oblatio, beatus Leuita & martyr tuus Laurentius natalitio suo obtineat. Per Dominum.

Præ-

Præfatio.

Aeterne Deus: Qui hodierna die Leuitæ tui Laurentij fidem auream igne ardentiſsimo comprobâſti, vt eſſet tibi hoſtia viua, hoſtia ſancta, in odorem ſuauitatis accenſa. O glorioſi certaminis virtus, ô inconcuſſa conſtantia mentis. Stridunt membra viuentis ſuper craticulam impoſita, & prunis ſęuientibus anhelantis, vt & tibi hoſtia fieret, & ad triumphum martyrij intrepidus perueniret. Per Chriſtum.

Poſt Communionem.

Conserva in nobis Domine munus tuum: & quod, te donante, pro ſolennitate B. Leuitæ & martyris tui Laurentij percepimus, * ad ſalutem nobis præſtet & pacem. Per Dominum. * id ſalutē

zzzz. IN FESTO S. HIPPOLYTI.

Super populum.

Intercessio Domine beati Hippolyti martyris tui, & tuam nobis nō deſinat placare iuſtitiam, & noſtrum tibi deuotum efficere famulatum. Per Dominum.

Super ſind.

Sancti martyris tui Hippolyti Domine, quæſumus, veneranda feſtiuitas, ſalutaris auxilij nobis præſtet augmentum. Per Dominum.

Super obl.

Offerimvs tibi Domine preces & munera, quæ vt tuo ſint grata conſpectui, beati martyris tui Hippolyti precibus adiuuemur. Per Dominum.

Præfatio.

Aeterne Deus. Noſque in hac ſolennitatis die, beati martyris tui Hippolyti, ad tui nominis gloriam exultare. Quia te verum ducem conſiderans, miles tuus eſſe maluit, quàm dux militum comprobari. Beatumque Laurentium ſuæ cuſtodiæ mancipatum,

non perſecutus eſt,ſed ſecutus. Qui cùm theſauros Eccleſię diſcutit, inuenit theſaurum, non quem tyrannus eriperet, ſed quem pietas poſsideret. Inuenit theſaurum, vndè veræ diuitiæ peterentur. Spreuit fauorem tyranni, vt cum regis perpetui gratia probaretur. Membris diuidi non refugit, nè nexibus diuelleretur æternis, quia ſolùm vitę dilexit authorem. Quem vnà tecum.

Poſt Communionem.

SACRAMENTI tui Dñe communio ſumpta nos ſaluet, & in tuę veritatis luce confirmet. Per Dominum noſtrum.

Aaaaa. IN VIGILIIS ASSVMPTIONIS MARIAE.

Super populum.

SVBVENIAT Dñe plebi tuę Dei genitricis oratio, Quam etſi per conditionem carnis migrâſſe cognouimus, in cęleſti tamẽ gloria pro nobis orare ſentiamus. Per Dñm.

Super ſind.

MAGNA eſt Domine apud clementiam tuam Dei genitricis oratio, quam idcircò de p̄ſenti ſeculo tranſtuliſti, vt pro peccatis noſtris apud te fidutialiter intercedat. Per Dominum.

Super oblat.

SVSCIPE, quęſumus, Domine ſacrificium placationis & laudis: quod nos interueniente ſancta Dei genitrice, ſemperq́ue virgine Maria, cuius feſtiuum Aſſumptionis diem celebramus, & perducat ad veniā, & ad perpetuā gratiarū cóſtituat actionẽ. Per Dñm.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Et in huius diei venerãda feſtiuitate gaudere, in qua ſancta DEI genitrix mortem ſubijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum Dominum noſtrum de ſe genuit incarnatum. Cuius interceſsione quæſumus, vt mortem euadere poſsimus animarū. Per eundem.

Poſt

Post Communionem.

MENSAE cælestis participes effecti, imploramus clementiam tuam Domine Deus noster, vt qui festa Dei genitricis colimus, à malis imminentibus eius intercessionibus liberemur. Per Dominum.

ebbbb. IN FESTO ASSVMPTIONIS EIVSDEM.

Super populum.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui terrenis corporibus, verbi tui veritatis filij vnigeniti, ꝑ venerabilem ac gloriosam, semperq; virginem Mariam, ineffabile mysterium coniungere voluisti: petimus immensam clementiam tuam, vt quod in eius veneratione deposcimus, te propitiante, consequi mereamur. Per Dominum.

Super sind.

CONCEDE nobis, quęsumus, omnipotens Deus, ad B. Mariæ semper virginis gaudia æterna pertingere, de cuius nos veneranda assumptione tribuis annua solennitate gaudere. Per Dominum.

Super obl.

INTERCESSIO, quæsumus Domine, B. Marię semper virginis munera nostra commendet, nosq; in eius veneratione tuæ maiestati reddat acceptos. Per Dñm.

Præfatio.

AEQVVM & salutare: Nos te * in tuis sacratissimis virginibus, exultantibus animis laudare, benedicere, & prędicare. Inter quas beata Dei genitrix intemerata virgo Maria, gloriosissimè fulget, cuius assumptionis diem omni deuotione colendum, pręsenti sacrificio celebramus. Per Christum.

* in veneratiõe sacrarum virginũ.

Post Communionem.

CAELESTI munere satiatos, q̃sumus, omnipotẽs Deus, tua nos pro-

protectione custodi, & castimoniam & pacem mentibus nostris atque corporibus, intercedēte sancta Maria, propitiatus indulgeas: vt veniente sponso filio tuo vnigenito, accensis lampadibus, eius digni prestolemur occursum. Qui tecum.

ccccc. IN FESTO SS. MAMMETIS ET AGAPITI, XVII. AVGVST.

Super populum.

AVXILIVM tuum Domine nobis, quæsumus, placatus impende, & intercedentibus sanctis martyribus Mammete & Agapito, dexteram super nos tuę propitiationis extende. Per Dominum.

Super sind.

SANCTORVM Martyrum tuorum Domine Mammetis & Agapiti merita nos preciosa tueātur: in quibus tuæ maiestatis opera prędicantes, & præsens capiamus adiutorium, & futurum. Per Dominum.

Super obl.

SVSCIPE Domine munera, quæ in eorum tibi solennitate deferimus, quorum confidimus patrocinio liberari. Per Dominum.

Præfatio.

M. S. AETERNE Deus. Gloriosique martyris tui Agapiti, perennis diem triumphi debita veneratione recolere: Qui dum adhuc puerilibus degens sub annis, fidei virtute proficeret, ætatisque modum mente transcenderet, seculi contemnendo ludibria, & principum abolenda prestigia, martyrij corona superna liber petijt atria. Tuo etiam Domine amore succensus Mammes beatissimus martyr, gloriosam promeruit consequi certaminis palmam. Qui pestiferam sacrilegorum plebem despiciens, maluit habitare cum bestijs, quàm mundi commoda cum infidelibus possidere. Ob hoc & voce

voce diuina admonitus, Euangelium inuenire meruit, vt qui polluta incredulorum despexit colloquia, sui cōditoris verbo sedulus perfrui mereretur. Cui & bestiæ, deposita feritate, famulari non desinunt, dum suorum vberum fructus Christi famulo spontè ministrant. Mittitur intereà, vt exhibeatur carnifici, qui paratus dimicare pro Christo, ad stadium deuotus occurrit. Illic pœnarum acerbitate vexatus, Dei filium voce libera profitetur. Suspensus denique torquetur, carcereo squalori subijcitur, ferarum horrendis morsibus exhibetur, camino vrendus includitur, iniquorum traditur manibus lapidandus: sed feralis illa insatianda rapacitas, mitis efficitur, & igneus globus incolumem Christi martyrem conseruauit. O ineffabilis æterni regis potentia, ô admiranda clementia redemptoris, qui * ob martyrum dignitatem dat intellectum bestijs, & elementis propriam tollit virtutem, vt vniuersi qui tibi seruiunt, te Deum verum glorificent, te omnium discant esse factorem. Per eundem.

*pro martyrum dignitate

Post Com.

PROTEGAT, quæsumus, Domine populum tuum & participatio cælestis indulta conuiuij, & precatio collata sanctorum. Per Dominum.

ddddd. IN FESTO S. BARTHOLOMAEI.

Super populum.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui huius diei venerandam sanctamq; lætitiam B. Apostoli tui Bartholomæi festiuitate tribuisti, da Ecclesię tuę, quæsumus, & amare quod credidit, & prędicare quod docuit. Per Dominum.

Super sindonem.

SVPPLICATIONIBVS Apostolicis beati Bartholomęi Domine, quæsumus, Ecclesiæ tuæ commendetur oratio, cuius

magnificis prædicationibus eruditur. Per Dominum.

Super obl.

HAEC hostia Domine, quæsumus, beati Bartholomęi Apostoli intercessionibus, & ab occultis reatibus Ecclesiam tuam semper expediat,& manifestis conueniēter expurget. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui discipulis Christi tui prædicantibus Trinitatem, tuam mundo mirabiliter dignatus es ostendere maiestatem. Inter quos beatissimum Bartholomęum, magna virtutum prorogatiua colendum, benigna tuî prospectio ad populum misericorditer direxit longinquum. Quem licèt humana penitùs conuersatione remotum, tibi tamen prædicationum augmento meruit consignare vicinum. O quantis pręconijs Apostolum mirabilem celebrandum,cui dum ad seminandam fidem, proximorum corda non sufficerent populorum,alatis quasi vestigijs extremos terrarum fines penetrauit Indorum. Hic,cùm languentium innumera caterua templum ingressa esset dęmonicum, effecit ilicò,vt nullum cultoribus dæmon pręberet responsum. Regiam à diabolica contagione liberauit puellam, solutisque nexibus, patri repræsentauit sanissimam. Rex reginaque simul baptizantur, cum gente, vrbiumque duodecim accolę te Deum patrem omnipotētem corpore sequuntur & mente. Ad extremum verò, idolorum
* Polemij delatione Pontificũ,* Polimij regis frater tyrannus, B. Apostolum in fide constantem,cęsum atq; excoriatum, acerrimam fecit suscipere mortē. Qui tñ mortis perferendo discrimē gloriosi certaminis,ad cæleste regnum secum reportauit triumphum. Per eundem.

Post Communionem.

SVMPSIMVS Domine pignus salutis æternę,B. Bartholomæi Apostoli tui solennia celebrantes:p̄sta,quęsumus,vt cuius in terris merita veneramur,eius precibus ad gaudia pertingamus æterna. Per Dominum.

Fuit is passus Arelati sub Dioclet. vt testantur martyrol. & Euseb. Emiss. ac Greg. Turon. de mart. cap. 67. cum 3. sequent.

eeeee. IN FESTO S. GENESII, XXV. AVGVST.

Super populum.

BEATI martyris tui Genesij nos faciat, quęsumus Domine, paßio veneranda lætantes, & vt eam sufficienter recolamus, dignos efficiat. Per Dominum.

Super sind.

SANCTI martyris tui Genesij merita nos, quæsumus Dñe, preciosa tueantur, in quibus tuę maiestatis opera prędicantes, & p̄sens capiamus adiutorium, & futurum. Per Dominum.

Super obl.

HOSTIAS, quæsumus Domine, quas in solennitate beati martyris tui Genesij sacris altaribus exhibemus, propitius respice, vt nobis indulgentiam largiendo, tuo nomini dent honorem. Per Dominum.

Præfatio.

AEQVVM & salutare: Nos tibi, omnipotens Domine, gratias agere, & in hac triumphali die, consona exultatione laudare: Qua beatus Genesius celeberrimus martyr, pro Christi confeßione nominis, mortem suscipere non expauit. Hic dum terreno imperio inimicæ artis placeret industria, renuit mundanæ delectationis lętitiam, vt esset gaudiorum cęlestium perennis possessor. Nam cùm vnda sacri dilueretur baptismatis, & intrà cęli secreta suæ cōfeßionis authorem videre promeruit, & sanctum spiritum in columbę specie sibi adesse cognouit. O beata fides, diuino fulta præsidio. O digna conuersio, Deifico lustrata decore: quæ antè meruit gloriam videre cælestem, quàm pro ipsius authoris gloria in agone certâsset. Hic etiam innocentum animas, CHRISTI pro nomine damnatas morti, & intrà cælestia regna conspexit, & qua esset luce collocandus, agnouit. Sic nimirùm

coram tyranno ſtetit immobilis, vt poſt varias minas verberumq́; terrores, per ſui ſanguinis effuſionem, & nobis glorioſum ſe martyrem,& cœleſtium ciuium monſtraret eſſe conſortem. Per eundem Chriſtum.

Poſt Communionem.

PLEBEM tuam Domine B. martyr tuus Geneſius interuẽtor attollat,& quam de ſuo facit martyrio gratulari,dignam imploret tuæ pietatis exiſtere ſacramentis. Per Dominum.

ffff. IN DECOLLATIONE S. IOANNIS BAPTISTAE.

Super populum.

PROTEGAT Eccleſiam tuam Deus oratio veneranda beatiſsimi pręcurſoris & martyris tui Ioannis Baptiſtæ,& cui frequentiam deuotionis impendit, perpetuæ poſcat redemptionis effectum. Qui cum patre.

Super ſind.

PERPETVIS nos Domine, quæſumus,ſancti Ioannis Baptiſtæ tuere pręſidijs: & quanto fragiliores ſumus,tanto magis neceſſarijs attolle ſuffragijs. Per Dominum.

Super obl.

AVXILIENTVR nobis, Domine, B. pręcurſoris & martyris tui Ioannis Baptiſtę venerãda merita paſsionis, & hæc nobis hoſtia tuę placationis exiſtat. Qui cum patre.

Præfatio.

AEQVVM & ſalutare: Nos tibi omnipotens Domine gratias agere, teq́ue omni tempore benedicere, & in hac præcipui feſtiuitate diei laudare. In quo beatus Ioannes Baptiſta martyrij eſt coronam adeptus, quo inter natos maior nemo extitit mulierum. Nuptias prohibendo illicitas,glorioſum martyrij triumphum,capite truncatus,obtinuit. Et Dñm Ieſum Chriſtum,mũdi

ſal-

ſaluatorem veniſſe corporali præſentia demonſtrauit: eius quoquè deſcenſionem præcurrens, inferis nunciauit. Et ideò cum.

Poſt Com.

SANCTI Ioannis Baptiſtæ & martyris tui Domine, quæſumus, veneranda feſtiuitas, ſalutaris auxilij nobis præſtet effectum. Per Dominum.

ggggg. IN FESTO S. EVPHEMIAE, XVI. SEPT.

Meminit Ado in Martyrol.

Super populum.

CONCEDE, quęſumus, omnipotens & miſericors Deus, vt beata Euphemia, quæ virginitatis pariter & martyrij promeruit palmam, interceſsionibus ſuis & præſentis vitæ remedia nobis conferat, & æternam ſalutem. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS, qui B. virgini & martyri tuæ Euphemię pro tuo nomine dimicanti, fidem & conſtantiam prębuiſti: concede nobis ſupplicantibus, vt ſicut illa horrenda vicit augmenta pœnarum, ità & nos ſęuiſsimi hoſtis vitia, te auxiliante, vincere valeamus. Per Dominum.

Super obl.

MVNERA quęſumus Domine, quæ in B. Euphemię celebritate deferimus, ità gratię tuæ efficiantur accepta, ſicut eius tibi placitum extitit paſsionis certamen. Per Dominum.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem virgo alma triumphatrix Euphemia, virginitatis retinens mitram, paſsionis meruit veſtiri corona. Cuius precibus inimicus hoſtis euincitur, priſcus aduerſarius ſuperatur. A fornacis igne virgo ſoſpes eripitur, duri lapides in puluerem conuertuntur. Feræ manſueſcunt,

Citat hãc præfationẽ Iacob. Bergom. de claris mulieribus c. 104.

collaque submittunt, atque omnia pœnarum supplicia eius oratione superantur. Nouissimè gladij mucrone confossa, carnea relinquens claustra, cælesti choro iungitur læta. Hæc sacra virgo tibi Domine Ecclesiam tuam commendet: Hęc pro nobis peccatoribus interpellet, hæc vota nostra, vt virgo vernula illibata, tibi pręsentet. Per eund.

Post Com.

SANCTIFICET nos Domine, quęsumus, tui perceptio sacramenti, & intercesio B. martyris tuæ Euphemię, tibi reddat acceptos. Per Dominum.

Meminerunt Martyrol.

hhhhh. IN FESTO S. EVSTORGII EPISCOPI MEDIOL. XVIII. SEPTEMBR.

Super populum.

BEATI sacerdotis & confessoris tui Eustorgij nos, quæsumus, Domine foueat preciosa confesio, & pia iugiter intercesio tueatur. Per Dominum.

Super sind.

VOTA populi tui Domine propitius intende, & cuius nos tribuis annua solennia celebrare, fac gaudere suffragijs. Per Dominum.

Super obl.

PRO sancti confessoris tui Eustorgij commemoratione, munera tibi Domine, quæ debemus, exoluimus: pręsta, quæsumus, vt remedium nobis perpetuę salutis operetur. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus: Quandò enim tibi sufficienter Domine referre gratias valeamus? qui ideò nos solennitatibus martyrum atq; confessorum frequenter exerces, vt & deuotione continua excites ad profectum, & fragilitatem nostram pijs intercessoribus benignus

nignus attollas: Et quæ proprijs non meremur operibus, tibi placitis suffragatoribus impetremus. Inter quos debitæ pietatis obsequium sancto sacerdoti & confessori tuo Eustorgio exhibentes, potentiam tuam Domine, cuius gratia talis extitit, prædicamus, atque per eum nobis indulgentiam credimus non negandam. Per Christum.

Post Com.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt hodiernæ munus, solennitatis acceptum, & corporibus nostris salutem præstet, & mentibus. Per Dominum.

xiiii. IN FESTO S. MATTHAEI.

Super populum.

PRAESTA, quęsumus, omnipotens Deus, vt qui iugiter beati Apostoli & Euangelistæ tui Matthęi defensione munimur, nec succumbamus vitijs, nec opprimamur aduersis. Per Dominum.

Super sind.

BEATI Apostoli & Euangelistæ Matthęi Domine precibus adiuuemur, vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Per Dominum.

Super obl.

BEATI Apostoli & Euangelistæ tui Matthæi supplicationibus Domine, quęsumus, tibi nostra grata sint munera, in cuius solennitate tuis altaribus exhibentur. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus: Qui Ecclesiam tuam in tuis fidelibus vbiquè pollentem, apostolicis facis constare doctrinis: præsta, quęsumus, vt per quos initium diuinæ cognitionis accepit, per eos vsque in finem seculi, capiat regni cælestis augmentum. Per Christum.

Post

Poſt Communionem.

PERCEPTIS Domine ſacramentis, beato Matthæo Apoſtolo tuo & Euangeliſta interueniente, deprecamur, vt quæ pro eius celebrata ſunt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum.

De Dedicat. Eccleſiæ eſt Ser. Amb. 89.

LIIII. DOM. III. OCTOBR. IN DEDICATIONE ECCLESIAE MAIORIS.

Super populum.

DEVS, qui de viuis & electis lapidibus ęternum nomini tuo condis habitaculum, da ædificationi huic incrementa iuſtitię, vt ab omnibus hîc inuocantibus nomen tuum, protectionis tuæ auxilium ſentiatur. Per Dominum.

Super ſindonem.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus aſsiſtis, & totus operaris: adeſto inuocationibus noſtris, & huius domûs, cuius es fundator, eſto protector. Nulla hîc nequitia contrarię poteſtatis obſiſtat, ſed virtute ſancti ſpiritûs operante, fiat hîc tibi ſemper purum ſeruitium, & deuota libertas. Per Dominum. in vnitate eiuſd.

Super obl.

DEVS, qui ſacrandorum tibi author es munerum, ad ſanctificationem loci huius propitius adeſſe dignare, vt qui hęc in tui nominis honore condiderunt, protectorem te habere in omnibus mereantur. Per Dominum.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum: Qui eminentiam acceptę Eccleſiæ tradidit, quam pro honore percepto & reginam conſtituit, & ſponſam. Cuius ſublimitati vniuerſa ſubiecit, ad cuius iudicium conſentire iuſsit è cęlo. Hæc eſt mater omnium viuentium,

tium,filiorum numero facta sublimior,quæ per spiritum sanctum quotidiè Deo filios procreat,cuius palmitibus mundus omnis impletus est. Quæ propagines suas ligno baiulante suspensas, erigit ad regna cælorum. Hęc est ciuitas illa sublimis, iugo montis erecta,perspicua cunctis,& omnibus clara. Cuius conditor & inhabitator est idem Dominus noster Iesus Christus filius tuus. Quem vnà.

Post Commun.

BENEDICTIONIS tuæ,quęsumus Domine,plebs tibi sacra fructus reportet & gaudium: vt quod in huius festiuitatis die, corporali seruitio exhibuit, spiritaliter se retulisse cognoscat. Per Dominum.

mmmmm. IN DEDICATIONE ECCLESIAE MINORIS.

Super populum.

DEVS, qui loca nomini tuo dicata sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, vt ab omnibus hîc te inuocantibus,auxilium tuæ misericordię sentiatur. Per Dominum.

Super sind.

POPVLVM tuum Domine propitius intuere,& in templo nomini tuo ædificato, tuam pietatem inuocantes, miserationis tuæ potiantur auxilio. Per Dominum.

Super obl.

QVAE in hoc altari proposita munera Domine oculis tuæ maiestatis offerimus,sancti tui N. quęsumus supplicationibus propitiatus assume. Per Dominum.

Pręfatio.

AETERNE Deus: Qui hanc Ecclesiam nomini tuo dicatam, M. S.
annua festiuitate illustras, atque mysticis ornatam virtutibus, de

terris mittis ad cælum Hæc eſt enim Domine mater viuentium, vita & ſalus omnium in te credentium. Hæc eſt ſponſa agni tui, mirabili ipſius illuſtrata decore: pro qua clementiſsime pater vnigenitus tuus crucem pertulit,& aduerſarium vicit. Vndè & à dextris tuis in cæleſtibus conſtituta,ac ſuorum ciuium decorata virtute,maieſtatem tuam trina voce interpellare non ceſſat. Quam laudant.

Poſt Com.

DEVS, qui Eccleſiam tuam ſponſam vocare dignatus es, vt quæ habet gratiam per fidei deuotionem,haberet etiam ex nomine pietatem: da,vt omnis hæc plebs nomini tuo ſeruiens, huius vocabuli conſortio digna eſſe mereatur. Per Dominum noſtrum.

Nnnnn. IN FESTO S. LVCAE.

Super populum.

INTERVENIAT pro nobis, quęſumus Domine, ſanctus tuus Lucas Euangeliſta, qui crucis mortificationem iugiter in ſuo corpore pro tui nominis honore portauit. Per Dominum..

Super ſind.

PRAESTA, quęſumus Domine, vt B. Lucæ Euangeliſtę ſuffragijs,cuius natalitia celebramus,hæc plebs tua ſemper & ſua vota depromat,& deſiderata perficiat. Per Dominum.

Super obl.

DONIS cæleſtibus da, quæſumus Domine, nos libera mente ſeruire,& munera quæ deferimus,interueniente B. Euangeliſta tuo Luca,& medelam nobis operentur,& gloriam. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus: Et te in tuis ſanctis collaudare, benedicere & prędicare. Qui eos dimicantes contra antiqui hoſtis machinamenta & proprij corporis blandimenta,inexpugnabili virtute rex glo-

gloriæ roborâsti. Ex quibus beatus Euangelista tuus Lucas assumpto fidei scuto,& galea spei salutis,& gladio spiritûs sancti, viriliter contra vitiorum incentiua pugnauit, & Euangelicę nobis dulcedinis fluenta deduxit. Vndè petimus Domine immensam clemẽtiam tuam, vt qui eum tot meritorum donâsti prærogatiuis, nos eius & informes exemplis, & meritis adiuues gloriosis. Per Christum.

Post Com.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt quod de sancto altari tuo accepimus, precibus B. Euangelistę tui Lucæ sanctificet animas nostras, quô tui esse possimus. Per Dominum.

Ooooo. IN FESTO SS. SIMONIS ET IVDAE.

Super populum.

PROTECTOR in te sperantium Deus, familiam tuam propitius respice, & per beatos Apostolos tuos Simonem & Iudam à cunctis eam aduersitatibus, potentiæ tuæ brachio defende. Per Dominum.

Super sind.

DEVS mundi creator, qui beatos Apostolos Simonem & Iudã nominis tui gloria sublimâsti: exaudi populum tuum, cum sanctorum tuorum tibi patrocinijs supplicantem, vt pacis dono proficiat, ad fidei & charitatis augmentum. Per Dominum.

Super obl.

GLORIAM Domine sanctorum Apostolorum & martyrum tuorum perpetuam celebrãtes, quęsumus, vt eandem sacris mysterijs expiati digniùs celebremus. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus: Te in tuorum Apostolorũ Simonis & Iudę glorificantes honore. Qui & illis tribuisti beatitudinem sempiternam,

nam,& infirmitati nostræ talia præstitisti suffragia,per quæ eam, te donante,appræhendere valeamus. Per Christum.

Post Com.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt fideles tui venerandas assiduè celebrantes sanctorum tuorum passiones, & copiam perpetuę deuotionis inueniant,& salutis æternę suffragia maiora conquirant. Per Dominum.

Fit horũ mentio apud Ambr. in exhort. ad Virg.

ppppp. IN FESTO SS. VITALIS ET AGRICOLAE, IIII. NOVEMB.

Super populum.

SANCTORVM martyrum tuorum Vitalis & Agricolæ,quęsumus Domine,natalitia nobis votiua resplendeant, & quod illis contulit excellentia sempiterna,fructibus nostrę deuotionis accrescat. Per Dominum.

Super sind.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in sanctorum martyrum tuorum Vitalis & Agricolę cordibus flammam tuæ dilectionis accendis, da mentibus nostris eandem fidei charitatisque virtutem,vt quorum gaudemus triumphis,proficiamus exemplis. Per Dominum.

Super obl.

HOSTIAS tibi Domine pro sanctorum martyrum tuorum Vitalis & Agricolæ commemoratiõe deferimus,suppliciter deprecantes,vt & indulgentiam nobis pariter conferant,& salutem. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus: Qui sanctorum tuorum certamina ad copiosam perducis victoriam,atque perpetuum largiris triumphum, vt in exemplum Ecclesiæ tuæ per innumera proficiant secula: præsta nobis per eorum, quorum festa celebramus, intercessionem,

nem, tuæ pietatis æterno perfrui auxilio. Per Christum.

Post Communionem.

PRAESTA, quęsumus, omnipotens Deus, vt sanctorum martyrum tuorum Vitalis & Agricolæ cælestibus mysterijs celebrata solennitas, indulgentiam nobis tuę propitiationis acquirat. Per Dominum.

qqqqq. IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

Super populum.

EXAVDI Domine populum tuum, tota tibi mēte subiectum, & B. Martini sacerdotis tui atque Pontificis supplicatione custodi, vt corpore & corde protectus, quod piè credidit, appetat: & quod iustè sperat, obtineat. Per Dominum.

Super sind.

ADESTO quęsumus, Domine plebi tuę, & intercessione B. sacerdotis & confessoris tui Martini, confidenter tribue consequi, quod sperare donâsti. Per Dominum.

Super obl.

BEATI sacerdotis & confessoris tui Martini, quęsumus Domine, nobis pia non desit intercessio, quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum.

Præfatio.

AEQVVM & salutare: Nos te, omnipotens Domine, in beati sacerdotis & confessoris tui Martini laudibus honorare. Qui sancti spiritûs tui dono repletus, ità in ipso tyrocinio fidei perfectus inuentus est, vt Christum texisset in paupere, & vestem quam egenus acceperat, mundi Dominum induisset. O felix largitas, qua diuinitas operitur. O chlamydis gloriosa diuisio, quæ militem texit & regem. Inęstimabile donum est, quod vestire meruit Deitatem. Dignè huic confesśionis tuæ præmia contulisti, dignè ei Arriano-

rum ſubiacuit feritas, dignè tanto amore martyrij, perſecutoris tormenta non timuit ſecurus. Quanta, putamus, erit glorificatio paſſionis, quandò pars chlamydis ſic extitit precioſa? Et quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quantitate veſtis exiguæ, & veſtire Deum meruit, & videre? O animi imitanda benignitas, ô virtutum veneranda potentia. Sic egit ſuſcepti pontificatûs officium, vt per formam probabilis vitæ, obſeruantiam exigeret diſciplinæ. Sic Apoſtolica virtute ſperantibus contulit medicinam, vt alios ſupplicationibus, alios * viſu ſaluaret. Hæc tua eſt Domine virtus & gloria. Per eundem.

* iuſſu

Poſt Communionem.

SVMENTES Domine gaudia ſempiterna de participatione ſacramenti & de feſtiuitate B. Martini confeſſoris tui, ſuppliciter deprecamur, vt quæ ſedula ſeruitute, te donante, gerimus, dignis ſenſibus tua munera tractemus. Per Dominum.

De ſex hebdomad. Aduent. in Ambroſiano officio, fit mentio apud Radulph. Tungr. de can. obſer. cap. 16.

Rrrrr. DOM. I. DE ADVENTV DOMINI, PROXIMA POST MARTINI FESTVM.

Super populum.

DEVS, qui in vnigenito tuo nouam creaturam nos tibi eſſe feciſti, reſpice propitius in opera miſericordiæ tuę, & in aduentu filij tui, ab omnibus nos maculis vetuſtatis emunda. Per eundem.

Super ſind.

EXCITA potentiam tuam Deus, & veni, vt hi qui in tua pietate confidunt, ab omni inimici aduerſitate liberentur. Qui cum patre.

Super oblat.

SACRIFICIIS præſentibus Domine quæſumus, intende placatus, vt & deuotioni noſtræ proficiant, & ſaluti. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE

Aeterne Deus: Cui proprium ac ſingulare eſt, quòd bonus es, & nulla vnquàm à te es commutatione diuerſus: Propitiare ſupplicibus, & Eccleſię tuę miſericordiam quam confitetur, oſtende: manifeſtans plebi tuę vnigeniti tui mirabile ſacramentum: vt in vniuerſitate nationum perficiatur, quod per verbi tui Euangelium promiſiſti. Et habeat plenitudo adoptionis, quod prętulit teſtificatio veritatis. Per eundem. M. S.

Poſt Communionem.

Svmptis muneribus Domine, quęſumus, vt cum frequentatione myſterij, creſcat noſtrę ſalutis effectus. Per Dñm.

ſffff. IN FESTO S. ROMANI EPISCOPI ET MART. XVIII. NOVEMB.

Celebrat hunc Prudentius περιστεφάνων hymn. 10.

Super populum.

Plebs tua Domine B. ſacerdotis & martyris tui Romani te glorificatione magnificet, & eodem ſemper precante, te mereatur habere rectorem. Per Dominum.

Super ſind.

Preces populi tui Domine, quæſumus, clementer exaudi, vt B. ſacerdotis & martyris tui Romani meritis adiuuemur, cuius paſſione lætamur. Per Dominum.

Super obl.

Sacrificivm, quod tuę Domine obtulimus maieſtati, intercedente B. Pontifice & martyre tuo Romano, nobis ad veniam noſtrorum proficiat peccatorum, & tuæ miſerationis ſemper tribuat ſolatium. Per Dominum.

Præfatio.

Aeterne Deus: Et in hoc præcipuè die triumphalem hoſtiam offerre, in quo beatiſsimus Antiſtes & martyr tuus Romanus, fideli pro plebe immolatus extitit. Qui ſanctam ſalutis dum non permittit inimico adiri domũ, ipſe templũ tibi dicatur & victima.

O ſe-

O felix hostia, gemino illustrata decore, in quo pastor immolatur & agnus, sacerdos & innocens. O beata prælia, quæ tanto non cessêre terrori. O felix lingua, Christi nobilitata præconio, interpres animi, cordis ministra, quæ * te Deo loquente nunquàm defuit. Sed hoc mirabile donum, munus tuum est, Domine, vt mutis loquelam, percitis claudis gradum, surdis fruendam reddas audientiam. Per eundem.

Post Communionem.

SATIASTI Domine familiam tuam muneribus sacris: eius, quæsumus, semper intercessiōe nos refoue, ciuis solēnia celebram᷑. Per Dominum.

ttttt. DOM. II. DE ADVENTV DOMINI.

Super populum.

DONA, quæsumus, omnipotens Deus cunctæ familię tuę hanc voluntatem, Christo filio tuo Domino nostro venienti, in operibus iustis aptè occurrere, vt eius dexterę sociati, regnū mereantur possidere cęleste. Per eundem.

Super sind.

TRIBVE, quęsumus Domine, sperantibus fidei charitatisque augmentum, vt quod veritatis tuæ dono promittitur, tua gratia compleatur. Per Dominum.

Super obl.

CONCEDE nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vt, sacramēti Dominici nobis operante virtute, ipsius æternitatis mereamur esse consórtes, qui mortalitatis nostræ dignatus est fieri particeps. Qui tecum viuit.

Præfatio.

M. S. PER Christum Dominum nostrum: Cuius incarnatione salus facta est mundi, & passione redemptio procurata est hominis procreati,

creati. Ipſe nos, quæſumus, ad æternum perducat præmium, qui redemit de tenebris infernorum. Iuſtificetque in aduentu ſecundo, qui nos redemit in primo. Quatenùs illius nos à malis omnibus defendat ſublimitas, cuius nos ad vitam erexit humilitas. Per quem.

Poſt Com.

PROSINT nobis Domine, quæſumus, frequentata myſteria: quæ nos à cupiditatibus terrenis expediant, & inſtituāt amare cæleſtia. Per Dominum.

vuuuu. IN FESTO S. CAECILIAE.

Super populum.

DEVS, cui beata Cæcilia ità deuotione placuit caſtitatis, vt coniugem ſuum Valerianum, affinemq; Tiburtium tibi fecerit conſecrari. Nam & angelo deferente micantium odoriferas florum coronas, palmam martyrij perceperunt: Tribue, quęſumus, vt ea intercedente pro nobis, beneficia tui muneris percipere mereamur. Per Dñm.

Super ſind.

SANCTAE martyris tuę Cæciliæ Domine ſupplicationibus tribue nos foueri, vt cuius venerabilem ſolennitatem celebramus obſequio, eius interceſsionibus commendemur & meritis. Per Dominum.

Super obl.

TRIBVE, quæſumus, virtutum cæleſtium Deus, vt ſacrificia pro ſanctæ Cæciliæ ſolennitate delata, deſiderium nos temporale doceant habere contemptum, & ambire dona faciant cęleſtium gaudiorum.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum: Per quem ſancta Cęcilia cęleſti dono repleta, vt martyrij palmam aſſumeret, ipſum mun-

dum est cum thalamis execrata. Testis est Valeriani cõiugis & Tiburtij ꝓuocata cõfeſsio, quos angelica manu odoriferis floribꝰ coronâſti. Viros virgo duxit ad gloriã, mũdus agnouit quãtùm valeat deuotio caſtitatis. Quæ ità ꝓmeruit, vt martyres efficerentur, & iter regis gloriæ cum angelis graderẽtur. Huius, te Dñe largiẽte, gaudia celebramus, & ea fide qua mundi caligo deterſa eſt, ad æternitatis tuę deprecamur pręmia peruenire. Et ideò.

Poſt Communionem.

HAEC nos Domine gratia tua, quæſumus, ſemper exerceat, vt & diuinis inſtauret noſtra corda myſterijs, & S. Cæciliæ martyris tuæ commemoratione lætificet. Per Dominum.

xxxxx. DOM. III. DE ADVENTV DOMINI.

Super populum.

OMNIPOTENS Chriſte filius Dei, in die natiuitatis tuæ propitius ad ſaluandum in te populum veni, vt benignitate ſolita, ab omni dubietate & metu tẽporis nos iubeas liberari. Qui cũ patre.

Super ſind.

DOMINE ſanɫte, pater omnipotens, æterne Deus, creator humanæ ſubſtantiæ, qui verbum tuum in virginis vterum venire voluiſti, ſupplicantium tibi preces benignus intende. Per eundem.

Super obl.

SACRIFICIVM tibi Domine celebrãdum placatus intende, quod & nos à vitijs noſtræ conditionis emundet, & tuo nomini reddat acceptos. Per Dominum.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominum noſtrum. Cuius præſtolamur ad-
M. s. uentum qui cauſa ſalutis humanæ ſic eſt dignatus vterum virginis
*via ſalu. introire, vt & nobis * viam ſalutis tribueret, & à tuæ maieſtate

Dei-

Deitatis nunquàm deesset, idem Iesus Christus Dominus noster. tis imbueret.
Quem vnà tecum.

Post Communionem.

Misericordiam tuam supplices exoramus, omnipotens Deus, vt hoc tuum Domine sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed fiat intercessio salutaris ad veniam. Per Dominum nostrum.

yyyyy. IN VIGIL. S. ANDREAE.

Super populum.

Apostolicis Dñe, quæsumus, nos attolle p̄sidijs, vt cuius solennia preuenimus, eius precibus adiuuemur. Per Dominum.

Super sind.

Da nobis, quęsumus, Domine Deus noster, B. Apostoli tui Andreę intercessionibus subleuari, vt per quos Ecclesiæ tuę superno munere rudimenta donâsti, per eos subsidia perpetuæ salutis impendas. Per Dominum.

Super oblat.

Praesta, quęsumus Domine, vt per intercessiōem B. Apostoli tui Andreę hęc nobis prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum.

Præfatio.

Per Christum Dominum nostrum. Per quem B. Apostolus M. S.
Andreas tantum cęlesti gratia eminet pręcipuus, quantum etiam B. Petri Apostoli germanitate demonstratur esse pręclarus: vt quos vna genitrix edidit mundo, vna regeneratione per crucis patibulum collocarentur in cęlo. Et ideò.

Post Communionem.

Beati Andreæ Apostoli supplicatione, quęsumus Domine, plebs tua benedictionem percipiat: vt de eius meritis fideliter glorietur, & sempiternis valeat cōsortijs sociata lętari. Per Dominum.

zzzzz. IN FESTO EIVSDEM.

Super populum.

DEVS, qui hunc diem beati Apoſtoli tui Andreę martyrio conſecrâſti, da nobis de eius feſtiuitate lætari, vt apud miſericordiam tuam, & exemplis eius adiuuemur, & meritis. Per Dominum.

Super ſindonem.

DA tuorum, quæſumus, Domine habitator æterne ſanctorum, vt beati Apoſtoli tui Andreę precioſa natalitia non ſolùm miniſterio corporali, ſed & mentis veneremur affectu. Per Dominum.

Super obl.

SACRIFICIVM noſtrum tibi Domine beati Andreę Apoſtoli tui precatio ſancta conciliet, vt in cuius honore ſolenniter exhibetur, eius meritis efficiatur acceptum. Per Dominum.

Præfatio.

MS. AETERNE Deus. Adeſt enim nobis dies magnifici votiua myſterij, qua venerandus Andreas germanum ſe beati Petri Apoſtoli, tam prædicatone Chriſti tui, quàm * conuerſatione monſtrauit. Et Apoſtolicę numerum dignitatis, ſimul paſsione ſuppleuit & gloria: vt id quod libera prædicauerat voce, nec pendens taceret in cruce. Authoremque vitæ perennis tam in hac vita ſequi, quàm in mortis genere meruit imitari: vt cuius præcepto terrena in ſemetipſo crucifixerat deſideria, eius exemplo ipſe patibulo figeretur. Vtrique igitur germani piſcatores, ambo cruce eleuantur ad cęlum: vt quos in huius vitæ curſu tua gratia tot vinculis pietatis conſtrinxerat, hos ſimilis in regno cęlorum necteret & corona: & quibus vna erat cauſa certaminis, vna retributio eſſet & pręmij. Per eundem.

*confeſſione

Poſt

Post Commun.

Quaesumus omnipotens Deus, vt quos diuina tribuis participatione gaudere, intercedente beato Apostolo tuo Andrea, humanis non sinas subiacere periculis. Per Dominum.

Aaaaaa. DOM. IIII. DE ADVENTV DOMINI.

Super populum.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt aduentus gloriosissimi filij tui & peccata nostra abluat, & populo tuo pacem conferat, & salutem. Qui tecum.

Super sind.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per aduentum vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi, noua luce radiare dignatus es: concede nobis, vt sicut eum per virginis partum in forma nostri corporis meruimus habere participem, ità & in regno gratiæ, eius mereamur esse consortes. Qui tecum.

Super obl.

Devotionis nostræ tibi Domine, quęsumus, hostia iugiter immoletur: quæ & sacris peragat instituta mysterijs, & salutare tuum nobis mirabiliter operetur. Per Dominum.

Pręfatio.

Aeterne Deus. *Cui proprium est veniam delictis impendere, quàm pœnaliter imminere. Qui fabricam tui operis per eundem rursùs lapidem dignatus es erigere, nè imago quæ ad similitudinem tuî facta fuerat viuens, dissimilis haberetur ex morte, munus veniabilis indulgentię præstitisti: vt vndè mortem peccatum contraxerat, indè vitam pietas repararet immensa. Per Christum Dominum. M. S. * Cui tam

Post Com.

Animae nostræ, quęsumus, omnipotens Deus hoc potiantur

desiderio, vt à tuo spiritu inflammentur, & diuino munere satiati, ante conspectum venientis Christi filij tui, velut clara luminaria fulgeamus. Per eund.

bbbbbb. IN FESTO S. DALMATII MARTY. V. DECEMB.

Fit mētio in martyrol.

Præfatio.

Ex M.S. cod.

TE collaudare in omni tēpore & benedicere Domine Deus noster. Qui B. martyri tuo Dalmatio certamen pro cōfessione tui nominis tribuisti, vt magnum illud nomen vnigeniti tui, quod est super omne nomen, Regibus & potestatibus seculi voce libera confiteretur, pro quo preciosum sanguinem fudit. O quàm beata Pedonensum populi plebs, quæ talem apud Dominum meruit habere pastorem. Multos enim, in corpore degens, doctrinis almis atque exemplis, huius à seculi atque vanitatibus mundi, ad lumen fidei suæ, gloriam regni cælestis diuino munere destinauit. Pro qua nos deuotissimè te Domine deprecamur, vt beatus Dalmatius venerandus martyr, fidei suæ nos documentis informet & meritis tueatur, vt cuuius natalitia deuotione recolimus, eius suffragijs perpetuum apud te consortium mereamur.

cccccc. IN FESTO S. ZENONIS EPISCOPI, VIII. DECEMB.

Episcopi huius Veronensis meminerunt Martyrol. & Greg. 3. dial. c. 14.

Super populum.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui beatum Zenonem confessorem tuum pontificalibus infulis decorâsti, fac nos, quęsumus, eius exemplo & magnifico interuentu, mundi gloriam mente despicere, & cælum semper ambire. Per Dominum.

Super sind.

DEVS,

DEVS, qui præſentem diem beati Zenonis Pontificis tui glorioſo exitu feciſti ſolennem, præſta ipſius nos apud te continuis adiuuari ſuffragijs, & magnificis interceſsionibus confoueri. Per Dominum.

Super obl.

ADSIT Eccleſiæ tuæ Deus præclara B. Zenonis interceſsio, quæ & munera noſtra oculis tuæ maieſtatis acceptabilia faciat, & te nobis placabilem reddat. Per Dominum.

AETERNE Deus, beati Pontificis & confeſſoris tui Zenonis merita recolentes, quem tua gratuita benignitate ità pontificatûs officio & fidei munere ſublimare dignatus es, vt & immenſis virtutibus coruſcaret, & ſanctæ humilitatis propoſitum non deſereret. Nam & Galieni principis filiam, à poteſtate dęmonis eripuit, & multorum languores pòtenti virtute curauit. Perſenſit etiam Atheſis fluuius, quid tanti valeat præſulis virtus, dum ſuum vltra morem excedens littus, templi ſacrati non auſus eſt ingredi aditus. Dignè igitur in tuo nomine ipſius præconia non tacemus: dignè ipſius miracula feſtiuis laudibus conclamamus, dignè cum ipſo, tibi Domine, bonorum omnium largitori, gratiarum vota perſoluimus. Per Chriſtum Dominum.

Poſt Com.

BEATI Pontificis & confeſſoris tui Zenonis, quæſumus Domine, à malis omnibus glorioſa nos ſemper merita tueantur, in cuius ſolennitate percipimus tua ſancta lætantes. Per Dominum.

ddddd. IN FESTO S. SYRI EPISCOPI PAPIENSIS. IX. DECEMB.

Meminerunt etiã huius martyrolog.

Super populum.

OMNI-

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, tribue nos ſemper & vbiquè ſacratiſsimis glorioſi Pontificis tui Syri muniri ſuffragijs, vt eius opitulantibus meritis, famulatûs noſtri tibi placere poſsint obſequia. Per Dominum.

Super ſind.

POPVLI tui precibus annue, quęſumus, clementiſsime Deus, & quos diei prę ſentis lætari feciſti tripudio, beatiſsimi antiſtitis tui Syri ſupplicationibus exoratus, æterno fac ſanctorum tuorum intereſſe conſortio. Per Dominum.

Super obl.

MVNERA hæc pietati tuæ clementiſsime pater, in venerandi Pontificis & confeſſoris tui Syri honore oblata, quęſumus, vt ipſius obtentu & tuæ maieſtati efficiantur accepta, & noſtræ fragilitati ſalutaria reddantur munimina. Per Dominum.

Præfatio.

M. S. AEQVVM & ſalutare: Nos tibi omnipotens pater ſine ceſſatione immenſas gratias agere, & in hac celebritate conſonas noſtrę
* peragere deuotionis * pangere laudes. In qua celeberrimus antiſtes tuus Syrus, expleto confeſsionis ſuæ curſu, æthereum migrauit ad regnum. Hic eſt gregis tui paſtor eximius, qui Apoſtolico inſtructus dogmate, innumeram populi multitudinem prędicationis ſanctæ documentis pariter & exemplis imbuens, de morte reuocauit ad
* nanq; vitam. Hic * nempe eſt bonus ille & fidelis ſeruus, qui acceptum Dominici theſauri prudenter ſtuduit duplicare talentum. Vndè
* ſchemate & Euangelico decoratus * ſtemmate, & virtutum efficacia ſublimatus, cum pontificali dignitate Apoſtolicam promeruit accipere poteſtatem. Per Chriſtum.

Poſt Com.

DEVS, qui nos & cęleſtibus paſcere ſacramentis, & beati cóſeſſoris & antiſtitis tui Syri non deſinis fouere pręſidijs: præſta, quęſumus, vt quod illi gloriam contulit ſempiternam, nobis optatam

tam

tam conferat gratiam. Per Dominum.

Eeeeee. DOM. V. DE ADVENTV DOMINI.

Super populum.

PRECES populi tui Domine, quæſumus, clementer exaudi, vt qui de aduentu vnigeniti filij tui ſecundùm carnem lætantur, in ſecundo cùm venerit in maieſtate ſua, præmium capiãt vitæ æternę. Per eund.

Super ſindonem.

DEVS, qui hominem delapſum in mortem conſpiciens, vnigeniti filij tui aduentu redimere voluiſti: pręſta, quæſumus, vt qui eius glorioſam incarnationem fatẽtur, ipſius etiam redemptoris conſortia mereantur. Per eundem.

Super obl.

PROPITIVS intuere Domine, quęſumus, munera, quæ tuis altaribus exhibemus, & quod à noſtra fragilitate defertur, tua virtute ſacretur. Per Dominum.

Præfatio.

PER Chriſtum Dominũm noſtrum. Cuius diuinę natiuitatis potentiã, ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo: Quem ſemper filium & ante tempora æterna generatum, quia tibi pleno atq; perfecto ęterni patris nomen non defuit, prædicamus: Verumetiam honore, maieſtate atq; virtute æqualem tibi cum ſancto ſpiritu confitemur, dum trino vocabulo vnicam credimus maieſtatem. Quam laudant ang. M. S.

Poſt Communionem.

REPLETI cibo ſpiritalis alimoniæ, te Domine ſupplices deprecamur, vt huius participatione myſterij doceas nos terrena deſpicere, & amare cęleſtia. Atq; omni nexu mortiferę cupiditatis abſolutos, regni perpetuę libertatis conſortes efficias. Per Dominum.

ffffff. IN FESTO S. LVCIAE.

Super populum.

DEVS, qui B. Luciæ pro gemina virginitatis & martyrij victoria binam laureolam tua gratia contulisti: da, quæsumus, vt de carne, mundo, & diabolo triumphantes, cęlestem gloriã consequamur. Per Dominum.

Super sind.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui beatam Luciam diræ passionis & virginalis munditię meritis, beatis martyribus & virginibus aggregâsti: da, quęsumus, vt quam festiuis honoribus veneramur, fidei & sanctorum operum gressibus imitemur. Per Dominum.

Super obl.

SIC tibi Domine nostrę deuotionis munera, quæ tibi pro honore B. Lucię offerimus, sint accepta, vt & peccata nostra deleas, & nos per tuam gratiam ad vitam æternam perducas. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus: Qui B. Luciæ in agone martyrij inexpugnabilis fidei fortitudinem tua gratia pręstitisti, per quam contemptas incendij & gladij pœnas constanter superans, de Paschasij tyranni sæuitia feliciter triumphauit. O mira & incompræhensibilis tua Domine potentia, qui ipsam adhuc iuuenculam, in sexu fragili victricem in supplicijs reddidisti, & ingressam regni cęlestis ianuam, pro gemina virginitatis & martyrij victoria, duplici laureola coronâsti. Per Christum.

Post Commun.

PRAESTA, quęsumus, omnipotens Deus, vt sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quod in festiuitate B. Lucię virginis & martyris tuæ sumpsimus, ad salutem nostrarũ proficiat animarum. Per eundem.

gggggg. SAB-

gggggg. SABBATO ANTE DOM. VI. DE ADV. DOMINI.

Super populum.

ADSPICE de cęlo,& veni,& multiplica fidē populi tui, vt per te consequatur augmentum,per quem sumpsit initiū. Qui cum.

Super sind.

CONSCIENTIAS nostras,quęsumus,omnipotens Deus quotidiè visitando purifica,vt veniens filius tuus Dominus noster,paratam sibi in nobis inueniat mansionem. Qui cum.

Super obl.

MVNERA populi tui Domine clementer assume, vt qui primum vnigeniti filij tui aduentum tripudianter celebrare desiderant, in secundo cùm venerit, æternę vitæ remedia percipere mereantur. Per eund.

Pręfatio.

AEQVVM & salutare: Nos B. Mariæ semper virginis solennia celebrare, quæ paruo vtero Dominum cęli portauit, & redemptorem mundi angelo pręnunciante, verbum carne mortali edidit saluatorem. Quem castis concepit visceribus clausa ingrediens,& clausa relinquens. Quem vnà. M. S. aliquid deest.

Post Com.

QVAESVMVS, Domine Deus noster, vt sacrosancta mysteria quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, & pręsens nobis remedium esse facias,& futurum. Per Dominum.

hhhhhh. DOM. VI. DE ADV. DOMINI.

Super populum.

PRECES populi tui,quæsumus Domine,clementer exaudi, & concede propitius, vt gloriosum vnigeniti tui aduen-

tum, per intercesſionem B. & glorioſæ ſemperq́; virginis Mariæ, cum omni pace & gaudio celebremus. Per eundem.

Super ſind.

DEVS, qui de B. Mariæ virginis partum, ſine humana concupiſcentia procreatum, in filij tui membra venientis, paternis feciſti prȩiudicijs non teneri: præſta, quȩſumus, vt eius creaturæ nouitate ſuſcepta, vetuſtatis antiquȩ contagijs eruamur. Per eundem.

Super obl.

ALTARI tuo Domine ſuppoſita munera ſpiritus ſanctus aſſumat, qui B. Mariȩ viſcera ſui ſplendoris veritate repleuit. Per Dominum. in vnit.

Præfatio.

M. s. AEQVVM & ſalutare: nos tibi, Domine Deus omnipotens, gratias agere, & cum tuæ inuocatioue virtutis, B. Mariȩ virginis feſta celebrare. De cuius ventre fructus effloruit, qui panis angelici munere nos repleuit. Quod Eua vorauit in crimine, Maria reſtituit in ſalute. Diſtat opus ſerpentis & virginis. Indè fuſa ſunt venena diſcriminis, hinc egreſſa ſunt myſteria ſaluatoris. Indè ſe prȩbuit tentantis iniquitas, hinc redemptoris eſt opitulata maieſtas. Indè partus occubuit, hinc conditor reſurrexit. A quo humana natura non iam captiua, ſed libera reſtituitur. Quod in Adam perdidit parente, Chriſto recepit authore. Quem vnà.

Poſt Com.

ADESTO nobis omnipotens Deus, vt quæ fideliter ſumpſimus mente & corpore, B. Mariæ piæ matris & perpetuæ virginis intercesſione, cuſtodiamus. Per Dominum.

IIIIII. IN FESTO S. THOMAE.

Super populum.

DEVS,

DEVS, tuorum gloria ſanctorum, præſta, quæſumus, vt beati Apoſtoli tui Thomæ, cuius feſta gerimus, ſentiamus auxilium. Per Dominum.

Super ſind.

ADIVVET familiam tuam tibi Domine ſupplicando venerandus Thomas Apoſtolus, & pius interuentor efficiatur, qui tui nominis extitit prędicator. Per Dominum.

Super obl.

DEBITVM tibi Domine noſtræ reddimus ſeruitutis, ſuppliciter exorantes, vt ſuffragijs beati Thomæ Apoſtoli in nobis tua munera tuearis, cuius honorando confeſsionem, laudis tibi hoſtias immolamus. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui Eccleſiam tuam Apoſtolorum tribuiſti doctrina conſiſtere, de quorum collegio eſt beatus Thomas, cuius hodiè natalitia celebrantes, tua Domine præconia non tacemus. Et ideò.

Poſt Communionem.

CONSERVA Domine populum tuum, & quem ſanctorum tuorum præſidijs non deſinis adiuuare, interceſsione beati Apoſtoli tui Thomæ perpetuis tribue gaudere remedijs. Per Dominum.

kkkkkk. MISSA DE EXCEPTATO.

QVID ſibi hoc velit, neſcio, nisì fortè quòd hęc Miſſa fieret, ſi quandò poſt Dominicam VI. alia Dominica ante Vigiliam Natiuitatis Domini occurreret.

Super populum.

EXCITA Domine, quæſumus, potentiam tuam, & veni, vt ab imminẽtibus peccatorum noſtrorum periculis, te mereamur protegente eripi, & te miſerante ſaluari. Qui cum patre.

Super sind.

PRAESTA, quæsumus, omnipotẽs Deus, vt filij tui ventura solennitas & præsentis nobis vitæ remedia conferat, & pręmia æterna concedat. Per eundem.

Super obl.

HAEC hostia Domine, quæsumus, emundet nostra delicta: vt sicut adoranda filij tui natalitia pręuenimus, sic eius munera capiamus sempiterna gaudentes. Per eundem.

Præfatio.

M. S. AETERNE Deus: Et maiestatem tuam humiliter exposcere, vt ità nos vnigeniti tui in præsenti seculo illustret adspectus, qualiter nos à culpis omnibus emundatos inueniat secundus eius aduentus. Per quem.

Post Communionem.

LAETI Domine frequentamus salutis humanę principia, quę trina celebratio, beatæ complectitur mysterio Trinitatis. Qui viuis & regnas Deus, Per omnia sec.

LIIIII. IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Post I. Lectionem.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in filij tui Dñi nostri natiuitate tribuisti totius religionis initium perfectionemq; constare: da nobis, quęsumus, in eius portionem censeri, in quo totius salutis humanæ summa consistit. Per eundem.

Post II. Lect.

DEVS, qui populo tuo plenæ præstitisti redemptionis effectum, vt non solùm vnigeniti tui natiuitate corporea, sed etiam crucis eius patibulo saluaretur: huius, quæsumus, fidei famulis tuis tribue firmitatem, vt vsque ad ꝓmissum gloriæ tuę pręmium, ipso gubernante, perueniant. Qui tecum.

Post

Post III. Lect.

Exavdi nos Domine redemptor noster beata tempora celebrantes, quibus tua cęlestis æternitas, humanis infusa pectoribus, assumpsit hominem liberandum. Qui cum patre.

Super populum.

Devs, qui hunc diem sacratissimum per incarnationem verbi & partum Mariæ virginis cõsecrâsti, da populis tuis in hac celebritate consortium, vt qui tua gratia sunt redempti, tua sint protectione securi. Per eundem.

Super sind.

Devs, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabiliùs reformâsti: da nobis, quęsumus, Iesu Christi filij tui diuinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrę dignatus est fieri particeps. Qui tecum.

Super obl.

Prae cæteris solénitatibus gloriantes, hodiè tibi Domine vota persoluimus: quia ipse, cuius corpus immolamus, immaculatus agnus est editus, Iesus Christus Dominus noster. Qui tecum viuit.

Præfatio.

Per Christum Dominum nostrum: Cuius hodiè faciem in confessione pręuenimus, & voce supplici exoramus, vt superuenturę noctis officijs nos ità peruigiles reddat, vt sinceris mentibus eius percipere mereamur natale venturum. In quo inuisibilis ex substantia tua, visibilis per carnem apparuit in nostra. Tecumque vnus, non tempore genitus, non natura inferior, ad nos venit ex tẽpore natus. Per quem. M. S.

Post Communionem.

Sacrosancti corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi refectione vegetati, supplices te exoramus omnipotens Deus, vt hoc remedium singulare, ab omnium peccatorum contagione purificet, Per eundem.

mmmmmm. IN NOCTE NAT. DOM.

Super populum.

DEVS, qui hác sacratissimã noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere: da, quęsumus, vt cuius lucis mysteria in terra cognouim⁹, eius quoq; gaudijs in cęlo perfruamur. Qui tecũ.

CONCEDE, quęsumus, omnipotens Deus, vt quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet, eos vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet. Per eundem.

Super obl.

ACCEPTA tibi sit Domine, quęsumus, hodiernę festiuitatis oblatio, vt tua gratia largiẽte, per hæc sacrosancta commercia, in illius inueniamur forma, in quo tecum est nostra substãtia. Qui tecũ.

Præfatio.

M. S. AETERNE Deus: Quia nostri saluatoris hodiè lux vera processit, quę clara nobis oĩa & intellectu manifestauit, & visu. Et ideò.

Post Communionem.

DA nobis, quęsumus, Domine Deus noster, vt q natiuitatem Domini nostri Iesu Christi frequentare gaudemus, dignis cõuersationibus ad eius mereamur pertingere cõsortium. Per eundem.

nnnnnn. IN AVRORA NAT. DOM.

Super populum.

ADESTO Domine supplicationibus nostris, vt populus tuus qui te factore conditus, teq́ue est reparatus authore, te etiam iugiter operante saluetur. Per Dominum.

Super sind.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in filij tui Dñi nostri Iesu Christi natiuitate tribuisti totius religionis initium perfectionemq́; cõstare, da nobis, q̃sumus, vt sup. in vig. Nat. Dñi ad 1. Lect.

Super obl.

DEVS, qui natiuitatis tuę exordium pro nostra necessarium saluatione duxisti, respice propitius ad munus totius Ecclesię tuæ,

&

& quos ſimiles ad imaginem tuam feciſti, ſimiliores obſeruatione perfice mandatorum. Qui cum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Et te in omnibus prędicare myſterijs, hodiè quia noſtri ſaluatoris lux vera proceſsit, quę clauſam nobis omnibus vitam reddidit: vt non ſolùm prę ſentem ſuo ſplendore dirigeret, ſed ad ipſam nos maieſtatis immenſæ gloriam perduceret intuendam. Per Chriſtum.

Poſt Communionem.

PLEBS tua Domine eius participatiõe ſemper gaudeat ſacramenti, quod in Chriſti Domini ſui incarnatione cognouit. Qui tecum viuit.

oooooo. PRO DEFVNCTIS.

QVIA orationes cum Gregorianis penè eædē ſunt, ſolas Præfationes adijciemus.

Pro defuncto Epiſcopo. Præfatio.

AETERNE Deus. Suppliciter deprecãtes, vt famulus tu⁹, cui dediſti Eccleſiæ tuæ gubernacula, dũ viueret in hoc mundo, nũc carnis ergaſtulo liberatus, & p̃ſulibus Apoſtolicę dignitatis cõſociatus, vitæ æternæ præmium conſequi mereatur: vt quorum eſt ſecutus officium, habere poſsit & meritum. Sicq; in beatorũ tabernaculis ſpirituũ cõſtitutus, euaſiſſe ſe carnales glorietur anguſtias, diemq; iudicij cũ fidutia & voto exultatiõis expectet. Per Chriſtũ.

Pro defuncto ſacerdote. Præfatio.

AETERNE Deus: Qui famulum tuum tuæ propitiationis miniſtrum ſacerdotemq; eſſe voluîſti, qui tibi agni tui vnici corpus immolaret & ſanguinem. Petimus ergò immenſam clementiam tuam, vt hoc ſacrificium ſeruitutis noſtrę pro eius amore oblatum, ipſi nunc proſit ad veniam, qui olìm illud pro Eccleſiæ tuæ ſtatu atq; regimine, maieſtati tuæ immolabat.

Pro defuncto, in die ſeptimo vel trigeſimo.

Horũ officiorum apud Ambrosium de obitu Theodosij.

Præfatio.

PER Christum Dominum nostrum: Per quem salus mundi, per quem vita omnium, per quem resurrectio mortuorum. Per ipsum te Domine suppliciter deprecamur, vt animæ famuli tui, cuius diem septimum celebramus, indulgentiam largiaris perpetuam: atque contagijs mortalitatis exutam, in æternæ saluationis partem restituas. Per eundem.

Pro defuncto in eius anniuersario.

Præfatio.

Anniuersarij fit mentio apud eundem de obitu Satyri fratris.

AETERNE Deus. Cuius imperio nascimur, cuius arbitrio regimur, cuius mysterio redempti sumus. Cuius etiam præcepto in terram, de qua sumpti sumus, pręuaricationis lege dissoluimur, atque tuo nutu, resurrectionis ad gloriam, puluis ex homine in hominem reparatur. Nostri est Domine meriti, quòd perimus: tuæ verò pietatis & gratię, quòd morte cõsumpti, rediuiuo cinere perpetuam renouamur ad vitam. Per Christum.

Pro defuncto in die obitûs.

Præfatio.

PER Christum Dominum nostrum. In cuius aduentu, cùm geminam iusseris sistere plebem, iubeas & famulum tuum à numero discerni malorum. Quem vnà tribuas pœnę æternę euadere flammas, & iustę potiùs adipisci pręmia vitæ. Induique iubeas deuicta morte nitorem, semperque inextinctam habere luminis auram. Eique concedere dignare perpetuam pręclaro in corpore vitam, nox vbì nulla suas defendit atra tenebras. Vt securus de salute placidis lętetur in orîs, semperq; victurus, semperque in luce futurus. Per eundem.

Pro pluribus defunctis.

Præfatio.

M. S.

AETERNE Deus. Qui es assumptor animarum sanctarum. Quanuìs enim mortis humano generi illata conditio, pectora huma-

mana mentesque contristet, tamen clementiæ tuę dono, spe futuræ immortalitatis erigimur, vt memores salutis æternę, non timemus lucis huius subire dispendium. Quia misericordiæ tuę munere, fidelibus vita mutatur, non tollitur, & in timoris tui obseruatione defunctis domicilium perpetuæ felicitatis acquiritur. Tibi igitur clementissime pater supplices fundimus preces, & maiestatem tuā deuotis mentibus exoramus, vt animæ famulorum famularumque tuorum, quorum diem commemoratiōis celebramus, mortis vinculis absolutę, transitum mereantur ad vitam. Per Christum.

Alia.

AETERNE Deus. Qui inter tristissimas sęuientis procellas mortis, in te credentibus, sanctorum consortium, & animarum & corporum in beata æternitate vigorem, atque gloriosam nobis sperare resurrectionem, passionis tuæ munere pręstitisti: Te supplices exoramus, vt omni labentis peccati errore discusso, sanctificatas indulgētia tua animas famulorum famularumq; tuorum in sanctorum Patriarcharum sinu suscipias: Quatenùs illic requie fruentes perpetua, ꝓmissæ sibi resurrectionis gloriam cum sanctis tuis pręstolentur æternam. Per Christum.

HACTENVS Missæ Ambrosianæ Orationes & Præfationes, si non in vniuersum omnes, certè pleræque (vt ex notis additis in margine & prolegomenis nostris constat) verè à D. Ambrosio in lucem editæ. Quæ verò sequuntur de ipso diuo Ambrosio & fratre eius diuo Satyro, aut D. Simpliciani sunt, aut alterius cuiuspiam ex proximis diui Ambrosij successoribus. Idem esto iudicium de illis Præfationibus suprà positis, in quibus beati Ambrosij nominatìm fit mentio, quibus ad marginem adiecimus notam hanc, Simpliciani. Existimatur author diuus Simplicianus.

PPPPPP. IN DIE BAPTISMI S. AMBROSII, XXX. NOVEMB.

Super populum.

DEVS, qui per ſanctum baptiſmũ B. Ambroſium tui nominis cõfeſſorem eſſe ſignâſti: pręſta, quęſumus, vt eius meritis protegamur, in cuius feſtiuitate annua deuotione lętamur. Per Dominum.

Super ſind.

DEVS, qui per vndas regenerationis B. confeſſorem tuum Am-
*abluiſti broſium à cõtagiõne vetuſti criminis * diluiſti, ablutumq́; purificationis lauacro, doctorem pręcipuum atque catholicæ fidei propugnatorem efficere dignatus es: præſta, quæſumus, vt ipſo intercedente, vitiorum noſtrorũ poſsimus abluere maculas, & tibi Domino ſinceris mentibus deſeruire. Per Dominum.

Super obl.

DEVS, qui ad laudis tibi hoſtias immolãdas hodiè B. Ambroſium ſacro baptiſmate purificâſti, concede propitius, vt eo pro nobis interueniente, & hęc tibi grata ſint munera, & ad ſanctificationem noſtram proueniant. Per.

MS. Præfatio.

AETERNE Deus: Qui confeſſorem tuum B. Ambroſium tanti pręconij es gratia proſecutus, vt te mirabilem in eius cunctis actibus declarares. Et vt oſtenderes quantum Eccleſiæ doctorem elegeris, circa hunc & ante ſacramenta baptiſmatis operaris inſignia. Et priuſquàm gregis tui conſors exiſteret, eius à populo paſtor expoſcitur. Hodierna deniquè die ſacro purificatum baptiſmate tanto munere cælitùs decorâſti, tantaque virtute ſolidâſti conſtantiæ, vt per eum excluſa torquerentur dæmonia, Arrianorum impietas propulſa tabeſceret, ac ſecu-

fecularium principum colla tuo iugo fubacta, redderentur humillima. Cuius flores eloquij vt fructificarent in populo, eius funt mirifico confirmati exemplo: Quatenùs & officij fui author exifteret, & tibi Domino duplicata reportaret talenta. Per Chriftum Dominum.

Poft Com.

SVMPSIMVS Domine facri dona myfterij, humiliter deprecantes, vt quibus hanc baptifmatis diem B. Ambrofij voluïfti effe folennem, eique adftitifti, in cælefti regno nos iubeas effe confortes. Per Dominum.

qqqqqq. IN VIGILIA ORDINATIONIS S. AMBROSII.

Super populum.

DEVS, qui B. Ambrofium Pontificem fanctorum meritis coæquâfti, concede propitius, vt qui ordinationis eius fefta præcolimus, vitæ quoquè imitemur exempla. Per Dominum.

Super find.

EXAVDI Domine preces noftras, & interceſsione B. facerdotis & confefforis tui Ambrofij, nos tuere vbiquè prȩfidijs. Per Dominum.

Super obl.

HAEC hoftia, quȩfumus Domine, quam in folennitate B. confefforis tui Ambrofij deferimus, & vincula noftræ prauitatis abfoluat, & tuæ nobis mifericordiȩ dona conciliet. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Sancti confefforis tui Ambrofij merita venerantes, tuamque clementiam deprecantes, vt qui donis tuis hîc extitit gloriofus, apud te nofter exiftat interuentor. Per Chriftum.

Post Com.

PER huius Domine operationẽ mysterij, & vitia nostra purgentur, & intercedente B. confessore tuo Ambrosio, iusta desideria compleantur, Per Dominum.

rrrrrr. IN DIE ORDINATIONIS EIVSDEM, VII. DECEMB.

Super populum.

DEVS mundi author & conditor, qui pręsentem diem beati Ambrosij sacerdotij electione consecrâsti: præsta, quæsumus, populo tuo, vt cuius annua celebritate deuotis exultat obsequijs, eius suffragijs tuæ pietatis beneficium consequatur. Per Dominum.

Super sind.

CREATOR & conditor omnium Deus, qui per summum sacerdotem & verum pontificem filium tuum, Dominum nostrũ Iesum Christum sacerdotale culmẽ & pontificale sceptrum in seruo tuo Ambrosio hodierno die consecrâsti: consecrationis ipsius solennia, eo intercedente sanctifica, & plebem tuam benedicere dignare. Per eundem Dominum.

Super obl.

INTERVENTV B. Ambrosij sacerdotis & cõfessoris tui Domine, his muneribus tibi oblatis, benedictionem effunde de cælis. Quô ex eis sumentes, ab omnibns culpis liberemur, & cęlestibus gaudijs repleamur. Per Dominum.

Præfatio.

AETERNE Deus. Qui in Ecclesia tua sancta catholica ità sacerdotes disponis & ordinas, vt efficias tibi Ecclesiam non habentem maculam neque rugam. Inter quos B. Ambrosium Confessorem tuum præcipuum elegisti: vt fasce seculari disposito, & publico honore abiecto, iudicem gregis tui efficeres, & pastorem,

ſtorem. Per Chriſtum.

Poſt Com.

Repleti Domine muneribus tuis, quæ de feſtiuitate beati ſacerdotis & confeſſoris tui Ambroſij percepimus: te ſupplici- ter exoramus, vt eorum emundatos effectu, tibi facias acceptos. Per Dominum.

ſſſſſſ. IN DEPOSITIONE S. AMBROSII, QVAE CELEBRATVR FERIA V. PASCHAE.

Ad 4. April. huius meminerunt Martyrol.

Super populum.

DEVS, qui propter Eccleſiæ tuæ gubernacula diſponenda, ſic eius principes ſublimâſti, vt minimos quoſque non deſeras: præſta, quęſumus, vt Apoſtolicæ fidei doctrinæque veſtigia * vel longè ſequamur imitando, quæ licèt infirmo comitamur officio. Per Dominum. * vel à

Super ſindonem.

Sancti Ambroſij nos Domine iugiter proſequatur oratio, vt quod petitio noſtra non impetrat, ipſo pro nobis interueniente pręſtetur. Per Dominum.

Super obl.

Haec nobis ſacrificia Deus, intercedente beatiſsimo confeſſore tuo Ambroſio, & actione permaneant, & operatione firmentur. Per Dominum.

Præfatio.

Per Chriſtum Dominum noſtrum. In cuius ſalutifera reſurrectione profuſis gaudijs totus in orbe terrarum mundus exultat. Quo etiam præclariſsimæ ſolennitatis die exaggeratis tripudijs ſancta mater lętatur Eccleſia, quòd glorioſus antiſtes Ambroſius æthereum migrauit ad regnum. Et ideò.

Poſt Communionem.

Haec

HAEC nos communio Domine purget à crimine, & intercedente B. Pontifice & Confessore tuo Ambrosio, cælestibus remedijs faciat esse intentos. Per Dominum.

Habet de obit. Satyri Ambr. Orat. funebres duas, quarum secũda de fide resurr. inscribitur.

Tttttt. IN DEPOSITIONE S. SATYRI FRATRIS S. AMBROSII, XVII. SEPTEMBR.

Super populum.

DEVS, qui B. Satyrum tui nominis confessorem mirabiliter effecisti: præsta, quęsumus, vt eum pro nobis iugiter apud te interuẽtorem sentiamus, de cuius hîc mirifico pignore gratulamur. Per Dominum.

Super sind.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui B. Satyro inter procellas maris & turbines naufraganti admirabilem fidei constantiã tribuisti, concede propitius, ipsius nos orationum suffragio, inter mundana discrimina solidissimum semper inuenire tutamen. Per Dominum.

Super obl.

TRIBVE, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, vt beatissimi confessoris tui Satyri dignè venerabilem memoriam recensentes, eius obtentu quod offerimus, fiat munus acceptum, qui se tibi per sanctæ vitæ munditiam obtulit hostiam viuam, hostiam sanctam, hostiam incontaminatam. Per Dominum.

Præfatio.

M. S. AETERNE Deus. Tuam incessanter gloriam collaudantes, tuamq́ue in sanctis tuis magnificentiam prædicantes. Qui tantum fidei cumulum B. confessori tuo Satyro gloriosi Pontificis Ambrosij germano, tua gratia præstitisti, vt eius in multis exercitijs consors effectus, probatissimus athleta Christi filij tui ipsius industria censeretur. Nam & in ipso tyrocinio fidei ità clarus enituit,

vt

vt * cùm in mari naufragium pateretur, quanuìs adhuc nondùm baptiſmate ſancto perfuſus, de tuo tamen non ſit diffiſus auxilio. *Nam ſacramétum Dominici corporis ſudario inditum, collo circundedit, & ſe tali remigio fultum, ſpumanti æquori committere non expauit. Sed tua potentiſsima dextera, quæ Apoſtolorum principem Petrum in fluctibus, nè mergeretur, erexit, hunc quoquè non diſsimili potentia illæſum atque incolumem, perduxit ad littus. Hæc tuæ eſt Domine virtutis operatio. Et ideò cum ang.

* inter vndas pelagi cùm diſſoluta compage nauis, durum fuiſſet ꝑpeſſus excidium.
*Sacramẽtũ deniq;

Poſt Com.

FIANT nobis Domine, quæſumus, ſumpta libamina, intercedente B. confeſſore tuo Satyro, perpetuæ ſalutis commercium, quæ illi inter æquoreas vndas facta ſunt liberationis pręſidium. Per Dominum.

SYNODI PLENARIAE CAPVENSIS PATRVM ALTARIS MINISTERIVM.

QVVM ex his igitur (inquit D. Ambroſius, de Synodo Capuana ad Theophilum ſcribens Alexandrinum, hanc & ſequentem epiſtolam) Synodi conſtitutis ſperaremus iam remedium datum, finemq; oblatum diſcordiæ, ſcribit ſanctitas tua iterùm fratrem noſtrum Flauianum ad precum auxilia, & Imperialium reſcriptorum ſuffragia remeauiſſe. Fruſtrà ergò tantorum Sacerdotum fuſus labor, iterùm ad huius ſeculi iudicia reuertendũ, iterùm ad reſcripta, iterùm vexabuntur ſacerdotes, ſenes transfretabunt maria: iterùm inualidi corpore, patriam peregrino mutabunt ſolo: iterùm ſacroſancta altaria deſerentur, vt in longinqua proficiſcamur.

Ambroſ. epiſt. 78.

MARII VICTORINI APHRI, DE OBLATIONIS ECCLESIASTICAE ORATIONE TESTIMONIVM.

Marius Vict. l. 2. aduer. Arrium.

Ὁμοούσιον lectum negatis, (inquit contra Arrianos scribés Victorinus) sed si aliqua similia, vel similiter denominata lecta sunt, iure pari & istud denominatum accipere debemus. Audi orationem oblationis, quoniã vita est Deus, & æterna vita. Nos Christiani, id est, qui in Christum credimus, docemur in Euangelio: quomodò Deum patrem rogare debeamus: in qua oratione cùm multa petimus, tum petimus panem, qui panis vita est, sic enim dictum est: Hic enim est panis, qui de cælo descendit. Hanc vitã & Christi & Dei, id est, æternam, quo nomine ipse dicit? ἐπιούσιον ἄρτον, ex eadem οὐσίᾳ panem, id est, de vita Dei, consubstantialem vitam. Vndè enim filij Dei erimus, nisì participatione vitæ ęternæ, quam nobis Christus à patre adferens dedit? Hoc ergò est, δὸς ἡμῖν ἐπιούσιον ἄρτον, id est, vitam in eadem substantia: Etenim si quod accipimus, corpus Christi est: ipse autem Christus vita est, quęrimus ἐπιούσιον ἄρτον. diuitiæ enim in Christo corporaliter habitant. Græcum igitur Euangelium habet, ἐπιούσιον, quod denominatum est à substãtia, & vtiquè Dei substantia. Hoc Latini vel non intelligentes, vel non valentes exprimere, non potuerunt dicere, & tantummodò quotidianum posuerunt, non ἐπιούσιον. Est ergò & nomen lectum, & in Deo substantia: & dici potest Græcè, quod etiamsi Latinè non exprimitur, dicitur tamen Græcè, quia intelligitur.

Ioan. 6.

D. SYRICII, PAPAE ROMANI XXXIX. CIRCA MISSARVM CELEBRATIONEM DECRETA.

Ad Missas celebrandas Episcopi authoritas requisita.

HIC constituit (inquit liber Pontificalis) vt nullus presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. Liber Pōtif. c. 39.

QVOD ijsdem verbis D. Iuo repetit. Iuo part. 2. ca. 63.

In canone Missæ additum illud, Communicantes.

SYRICIVS papa (inquit Radulphus Tungrensis) natione Romanus, qui cœpit anno Domini 388. secundùm quædam Chronica, instituit in canone Missæ, Communicantes & memoriam venerantes Radulph. Tungr. de canon. obser. c. 23.

Sacris mysterijs interesse, at non communicare, quibusdam permissum.

DE quibus (inquit Epistola ad Tarraconensem Episcopum) quia iam suffragium pœnitendi non habent, id diximus decernendum, vt sola intrà Ecclesiā fidelibus oratione iungātur: sacrę mysteriorum celebritati, quanuìs non mereantur, intersint: à Dominicę autem mensę conuiuio segregētur, vt hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & alijs exemplum tribuāt, quatenùs ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Syric. papa epist. 1. c. 5.

QVOD à Gratiano repetitur in Decret. Gratiā. 33. q. 2. c. De his verò.

Ad sacrificij oblationem continentia pręscripta.

QVARVM (inquit ibidèm) sanctionum sacerdotes omnes atq; Leuitę insolubili lege constringimur, vt à die ordinationis nostrę, sobrietati ac pudicitię & corda nostra mancipemus & corpora, dummodò per omnia Deo nostro in his, quæ quotidiè offerimus, sacrificijs placeamus. Ibid. c. 7.

AC paulopòst: Hi verò, qui illiciti priuilegij excusatione nituntur, vt sibi asserant veteri hoc lege concessum: nouerint

ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indignè vſi ſunt, Apoſtolicæ ſedis authoritate deiectos, nec vnquàm poſſe veneranda attrectare myſteria, quibus ſe ipſi, dum obſcœnis cupiditatibus inhiant, priuauerunt.

Gratian. 82. diſt. c. Plurimos &c. Quia aliquanti.

QVAE repetuntur etiam in Gratiani Decr.

CONCILII ROMANI SVB EO PONTIFICE STATVTVM, DE SACRIFICII MINISTRORVM CONTINENTIA.

Concil. Rom. c. 9.

PRAETEREA (inquiunt Patres epiſt. citata in Concilio Telenſi, ſeu potiùs Teleptenſi) quod dignum & pudicum & honeſtum eſt, ſuademus vt ſacerdotes & Leuitæ cum vxoribus ſuis non coëant, quia in miniſterio diuino quotidianis neceſsitatibus occupantur. Ad Corinthios nanq; ſic Paulus ſcribit, dicens: Abſtinete vos, vt vacetis orationi. Si ergò laicis abſtinentia imperatur, vt poſsint deprecantes audiri: quanto magìs ſacerdos vtiquè omni momento paratus eſſe debet, munditię puritate ſecurus, nè aut ſacrificium offerre, aut baptizare cogatur?

1. Cor. 7.

CONCILII CARTHAGINIENSIS, QVOD II. NVNCVPANT, DE MISSA CANONES.

Sacrificij miniſtrorum continentia.

Concil. Carth. 2. can. 2.

AVRELIVS Epiſcopus (vtì acta Synodi atteſtãtur) dixit: Quum in pręterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres, conſcriptione quadam, caſtitati, per conſecrationes, annexi ſunt. Fauſtinus Epiſcopus dixit: Placet vt Epiſcopi, presbyteri & Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, ab vxoribus ſe abſtineant. Ac deindè ab omnibus Epiſcopis dictum, Placet, vt Epiſcopi, presby-

presbyteri, & Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant pudicitiæ cuſtodes, etiam ab vxoribus ſe abſtineant: Placet, vt in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altario deſeruiunt.

QVEM ipſum Canonem repetit Balſamon patriarcha in Synodo Carthaginienſi, ex omnibus illic celebratis Synodis in vnum collecta, verbis nonnihil immutatis. Balſ. Syn. Carthag. cã. 3. & 4.

In publica Miſſa pœnitentium reconciliatio, presbytero non permiſſa.

RECONCILIARE (inquit ibidem Aurelius Epiſcopus) quenquam in publica Miſſa, presbytero non licere, hoc omnibus placet. Concil. eiuſd. can. 3.

QVOD explicatur à Balſamone in hæc verba: Illud autem reconciliare in publico rei ſacræ miniſterio, eſt eiuſmodi: Ij quibus pœna, quæ aliâs pœnitentia dicitur, iniuncta eſt, & ab Eccleſia arcentur, non permittuntur cum fidelibus conſiſtere, ſed per ſe Deum laudare non prohibentur. Quandò autem à pœna abſoluti fuerint, tunc conſiſtunt cum fidelibus, & publicè ſeu palàm Deum cum populo laudant. Balſ. Syn. Carthag. can. 6.

Ab excommunicato ſacrificia ſeparatìm non celebranda.

NEC illud prætermittendum eſt, (inquit ibidem Alypius Tagaſtenſis Epiſcopus) vt ſi quis fortè presbyter ab Epiſcopo ſuo correptus, aut excommunicatus, tumore vel ſuperbia inflatus, putauerit ſeparatìm Deo ſacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare, contra Eccleſiaſticam fidem diſciplinamq; crediderit, non exeat impunitus. Concil. eiuſd. can. 8.

AC paulò pòſt: Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Si ſuperbia (quod abſit) inflatus, ſecernendum ſe ab Epiſcopi ſui communione duxerit, ac ſeparatìm cum aliquibus ſchiſma faciẽs, ſacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat.

Balſ. ibid. c. 10. & 11.

EVNDEM verò reperire eſt etiam apud Balſamonem.

Agenda non celebranda à Presbytero, inconſulto Epiſcopo.

Concil. eiuſd. can. 9.

NVMIDIVS (vti ibidèm cõmemoratur) Epiſcopus Maſculitanus (nam ſic legendum, alibì adnotaui) dixit: In quibuſdam locis ſunt presbyteri, qui aut ignorantes ſimpliciter, aut diſsimulantes audaciter, præſente & incõſulto Epiſcopo, complurimis in Domicilijs agant Agenda, quod diſciplinæ incongruum cognoſcit eſſe ſanctitas veſtra. Genedius Epiſcopus dixit: Fratris & coëpiſcopi noſtri dignæ ſuggeſtioni reſpondere non immoremur. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Quiſquis presbyter, incõſulto Epiſcopo, Agẽda in quolibet loco voluerit celebrare, ipſe honori ſuo cõtrarius exiſtit.

Contigit Cõciliũ Hipponẽſe Theodoſio III. & Habũdãtio Coſs. Carthaginienſe verò 3. Cæſario & Attico Coſs. quarto poſt anno.

CONCILII HIPPONENSIS, E QVO IN CONCILIVM, QVOD III. CARTHAGINIENSE NVNCVPATVR, TRANSLATI SVNT, CANONES CIRCA SACRIFICIVM MISSAE.

Lectoribus interdicta populi ſalutatio.

Concil. Hippon. cã. 2. Cõc. Carthag. 3. ca. 4. Balſ. syn. Carthag. 3. can. 16.

LECTORES (inquiunt Patres) populum non ſalutent.

QVOD pulchrè ſic explicat Balſamon: Prohibitum eſt aũt lectoribus, nè, dum miniſterio ſuo funguntur, ad populum conuertantur & adorent: vt qui ſolos tunc debent ſacerdotes & antiſtites adorare, & nõ laicos qui in Eccleſia congregantur. Ipſi enim ſunt ſacrati: populus verò procùl eſt à ſacerdotio & conſecratione.

Catechumeni non communicent.

SACRAMENTA (inquiunt) catechumenis non dentur.

Concil. Hipp. Can. 4. Carthag. 3. ca. 5.

QVOD latiùs ſic habet Carthaginienſe Concilium: Item placuit vt etiam per ſolẽniſsimos paſchales dies ſacramẽtum catechumenis non detur, niſì ſolitum ſal, quia ſi fideles per illos dies ſacramẽtum non mutant, nec catechumenis oportet mutari.

Neque

Neque defunctis Eucharistia detur.

CORPORIBVS (inquiunt) defunctis Eucharistia non detur. Hippon.

AC latiùs Carthag. Item placuit, vt corporibus defunctorum can. 5. Eucharistia non detur. Dictum est enim à Domino: Accipite,& Carthag. 3. ca. 6. edite. Cadauera aũt, nec accipere possunt, nec edere. Cauendum est etiam, nè mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat, cùm Eucharistiam mortuis non dari animaduerterit.

QVOD ijsdem verbis repetit Balsamo. Balf. ibid. c. 18. ac 20.

In precibus semper ad Patrem dirigatur oratio.

NEMO (inquiunt, vtì latiùs habet Carthag. Concil.) in precibus vel patrem pro filio, vel filium pro patre nominet. Et cùm altari assistitur, semper ad patrem dirigatur oratio. Et quicunq; sibi preces aliundè describit, non eis vtatur, nisì priùs eas cum instructioribus fratribus contulerit. Hipp. & Carth. 3. can. 23.

REPETITVR aũt hic ipse Canon à Micrologo in hæc verba: Iterùm tertium Carthaginiẽse Cõcilium c. 23. Nullus ad altare patrem pro filio, vel filium pro patre nominet, sed semper ad Patrem orationem dirigat, nec qualibet oratione vtatur nisì probata. Micr. c. 5.

In sacramentis aliud non offeratur, quàm panis & vinum aqua mixtum.

In sacramentis (inquiunt ibidèm) corporis & sanguinis Domini, nihil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum. Nec ampliùs in sacrificijs offeratur, quàm de vuis & frumentis. Hippon. Concil. can. 25. Carth. 3. ca. 24.

QVI Canon disertis verbis paulo latiùs citatur in Concilio Africano, quod non aliud quàm Centonem Latinum continet Conciliorum omnium Africæ, quomodò dictum est suprà de Cõcilio Carthaginiensi apud Balsamonem. Concil. Afr. cã. 4.

A ieiunis sacramenta altaris celebrentur.

Concil. Hipp. ca. 30. Carth. 3. ca. 29.

SACRAMENTA (inquiunt ibidèm) altaris, non nisì à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo Cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum, pomeridiano tempore defunctorum, siue Episcoporum, seu clericorum, siue cæterorum, commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, iam pransi inueniantur.

Concil. Afric. c. 8.

ET repetitur idem Canon in Concilio Africano.

Vualafr. Strab. de reb⁹ Eccl. ca. 19.

QVEM pulchrè in hæc verba interpretatur Vualafridus Strabus: Hoc quoquè commemorandum videtur, quòd ipsa sacraměta quidam interdùm ieiuni, interdùm pransi percepisse leguntur, vt legitur in Canonibus Concilij Africani, capitulo octauo, his verbis: Vt sacramenta altaris non nisì à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur, & reliqua. Isti quidem eo die post prandium communicandum esse censebant, quia Dominus post legalis Pasche cœnam, noui testamenti sacramenta legitur discipulis tradidisse. Alij verò, secta quadam singulari, non semèl in anno, sicut superiores, sed crebriùs ante Sacramentorum perceptionem cibis corporalibus refici debere iudicătes, post prandia & plenitudinem stomachi, quasi confirmati, sacris rebus necessitate corporea communicabant.

Ibidèm.

ET paulò pòst: Illud verò quod superiores in anniuersario cœnæ Dominicæ pransi, communicare permissi sunt, ex occasione suprà exposita, emersisse videtur. Sed à sequentibus honesta & rationabili deliberatione statutum esse cognoscitur, vt omni tempore à ieiunis sacrosancta celebrentur mysteria. Non enim ideò prandere, & posteà communicare debemus, quia Dominus completor legis, author gratiæ, priùs legale Pascha perfecit, deindè sacramenta euangelica instituit: Sicut nec priùs corporaliter cogimur circuncidi, & postmodùm baptizari, cùm sciamus Dominum nostrum factum ex muliere, factum sub lege, primò secundùm legis statuta circuncisum, ac deincèps ad expletionem omnis iustitiæ,

tiæ, lauacri salutaris subîsse, nobisq; consecrâsse primordia. Ergò à ieiunis semper celebrari debere eadem sacramenta,& generalis totius iam comprobat vsus Ecclesiæ, & dicta Synodi Bracarensis ostendunt. vbì etiam suprà memorata in die cœnæ Dominicæ cõmunicatio, post solutum ieiunium, anathematis interpositione abscinditur.

D. BRICTII TVRONENSIS EPISCOPI MISSARVM SOLENNIA.

BRICTIVS Episcopus Turonis expulsus, (inquit D. Gregorius Turonensis) Romam veniens, cuncta quæ pertulerat, Papę refert. Qui ad sedem Apostolicam residẽs, plerunq; Missarum solennia celebrans, inibì quicquid in sanctum Dei deliquerat, deflendo diluit. Gregor. Turon. hist. frãc. li. 2. c. 10.

D. AVRELII CARTHAGINIENSIS EPISCOPI SACRIFICIVM.

ORATE (inquiũt DD. Augustinus & Alypius ad illum scribentes) pro nobis, digni exaudiri: cum tanto quippe sacrificio acceditis ad Deum syncerissimæ dilectionis & laudis eius in operibus vestris: orate, vt & in nobis hęc luceant, quoniã nouit ille quem oratis, cum quanto nostro gaudio in vobis luceant. August. epist. 77.

D. SIMPLICIANI MEDIOLANENSIS EPISCOPI SACRORVM MINISTERIVM.

DE Donatistis (inquiunt suprascripti Cõcil. Carth. 3. Patres) & pueris qui à Donatistis baptizãtur, placuit vt interrogemus fratres & nostros in sacris cõministros (sic vertit Balsamonis interpres) Syricium & Symplicianum. Concil. Carth. 3. c. 48. Bals. Concil. Carthag. ca. 51.

IN APHRICA SACRA MYSTERIA ANTE PVGNAM CVM GILDONE TYRANNO.

Paul. Orosi.li. 7. ca. 36.

IGITVR Mascelzel iam indè à Theodosio sciés (inquit Paulus Orosius) quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi à clementia Dei impetraret, Caprariam insulam adijt, vndè secum sanctos seruos Dei aliquot permotos precibus suis sumpsit, cum his, orationibus, ieiunijs, psalmis dies & noctes continuans, sine bello victoriam meruit, ac sine cæde vindictam. * Ardalio, fluminis nomen est, quod fluit inter Thebastem & * Metrideram ciuitates, vbì cum parua manu, hoc est, cum quinque millibus (vt aiunt) militum, cōtra septuaginta millia hostium castra metatus, cùm interiecta mora excedere loco, oppositasque prȩiacentis vallis angustias transgredi vellet, intercurrente nocte, beatum Ambrosium Episcopum Mediolani, paulò antè defunctum, per somnium sibi videre visus est, significantem manu, & impacto ad humum ter baculo, dicentem: Hîc, hîc, hîc. Quod ille prudenti coniectura intellexit, merito annunciantis, fidem victoriæ, verbo locum, numero diem significari. Substitit, ac tertio demùm die, per noctem orationibus hymnisque peruigilem, ab ipsis cælestium sacramentorum mysterijs, in hostem circunfusum processit. Et cùm ad eos, qui primi occurrerant, pia pacis verba iactaret, signiferum quendam insolenter obsistentem, & iamiamque pugnam excitantem, gladio percusit in brachio, eumque manu debilem, ipso vulnere coëgit pronum inclinare vexillum. Quo viso, reliquæ cohortes deditionem iam fieri priorum existimantes, certatìm sese ad Mascelzelem signis tradidêre cōuersis.

* Ardalogio.
* Amederam.

IN HISPANIIS, PRVDENTIO TESTE, DAPES AC PRECES MYSTICAE.

Sacrificium cum cereis.

Prudent. Cathemer. hymno 5.

A. Prudentius in hymno cerei Paschalis:

Hæc (inquit) olìm Patribus præmia contulit
  Insignis pietas Numinis vnici,
  Cuius subsidio nos quoquè vescimur,

Pascen-

Paſcentes dapibus pectora myſticis.

Ac paulò pòſt:

Nos feſtis trahimus per pia gaudia
Noctem Concilijs, votaque proſpera
Certatìm vigili congerimus prece,
Extructoque agimus liba ſacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ ſuffixa micant per laquearia:
Et de languidulis fota natatibus,
Lucem perſpicuo flamma iacit vitro.
Credas ſtelligeram deſupèr aream
Ornatam geminis ſtare trionibus,
Et qua Phoſphoreum temo regit iugum,
Paſsìm purpureos ſpargier Heſperos.

Idque in altari.

Huc pertinet, quod habet de D. Vincentio. Idem Peristeph. hymno 5.

Sed mox ſubactis hoſtibus,
Iam pace cunctis reddita,
Altar' quietem debitam
Præſtat beatis oſsibus.
Subiecta nam ſacrario,
Imamque ad aram condita,
Cæleſtis auram muneris
Perfuſa ſubtèr hauriunt.

Item & illud de ieiunio. Idem Cathemer. hymno 7.

Altaris aram quod facit placabilem.

Cantus in diuinis officijs.

Te mente (inquit alibì) pura & ſimplici, Ibid. hymno 2.
Te voce, te cantu pio,
Rogare curuato genu,
Flendo & canendo diſcimus.

CONCILII CARTHAGINIENSIS QVOD IIII. NVNCVNPANT, CANONES CIRCA SACRIFICIVM.

Ordinatio Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris, ac Ostiarij, ad sacrificij ministeria.

Concil. Carth. 4. can. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. LATE, modus ordinandi hos ministros sacrificij, tractatur huius Concilij initio, per septem Canones, quos prolixitatis vitandæ gratia omittimus: suffecerit, locum commonstrâsse Catholico Lectori.

Ad oblationem consecrandam inuitentur Episcopi & Presbyteri in alijs Ecclesijs.

Ibid. c. 33. EPISCOPI (inquiunt) vel presbyteri, si causa visitandæ Ecclesiæ, ad alterius Ecclesiam venerint, in gradu suo suscipiantur, & tam ad verbum faciendum, quàm ad oblationem consecrandam, inuitentur.

Diaconus corpus Domini, iussu presbyteri, in necessitate administret.

Ibid. c. 38. ET Diaconus (inquiunt) præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas coget, iussus eroget.

Diaconus tantùm tempore oblationis aut lectionis Albam induat.

Ibid. c. 41. VT Diaconus (inquiunt) tempore oblationis tantùm vel lectionis alba vtatur.

Cum hæreticis non orandum.

Ibid. c. 72. CVM hæreticis (inquiunt) nec orandum, nec psallendum.

Neque cum excommunicatis.

Ibid. c. 73. QVI communicauerit (inquiunt) vel orauerit cum excommunicato, siue clericus, siue laicus, excommunicetur.

Pro-

Pro pœnitentibus, caſu ante reconciliationem defunctis, oblationes fiant.

Pœnitentes (inquiunt) qui attentè leges pœnitentię exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbì eis ſubueniri non poſsit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur. Ibid. c. 79.

Pœnitentes ſemper genua flectant.

Pœnitentes (inquiunt) etiam diebus remiſsionis genua flectãt. Ibid. c. 82.

Vſq; ad Miſſam Catechumenorum nullus ab Eccleſia arceatur.

VT Epiſcopus (inquiunt) nullum prohibeat ingredi Eccleſiã, & audire verbum Dei, ſiue gentilem, ſiue hæreticum, ſiue Iudęũ, vſq; ad Miſſam Catechumenorum. Ibid. c. 84.

Solennis conuentus Eccleſię non prętermittatur.

QVI die (inquiunt) ſolenni, prętermiſſo ſolenni Eccleſiæ cõuentu, ad ſpectacula vadit, excommunicetur. Ibid. c. 88.

Oblationes diſsidentium non recipiantur.

Oblationes (inquiunt) diſsidentium fratrum, neque in ſacrario, neq; in gazophylacio recipiantur. Ibid. c. 93.

Neq; eorum qui pauperes opprimunt.

EORVM (inquiunt) qui pauperes opprimunt, dona à ſacerdotibus refutanda. Ibid. c. 94.

Oblationes defunctorum, Eccleſijs non negandæ.

QVI oblationes (inquiunt) defunctorum aut negant Eccleſijs, aut cum difficultate reddunt, tanquàm egentium necatores excommunicentur. Ibid. c. 95.

QVINTI A CHRISTO INCARNATO SECVLI SACRIFICII RITVS.

D. ANASTASII ROMANI PAPAE XL. STATVTVM CIRCA SACRIFICIVM.

Standum eſſe dum leguntur Euangelia.

Anaſt.papa epiſt.1. decret.

SIGNIFICASTIS enim (inquit ipſe D. Anaſtaſius, Epiſcopis Germaniæ & Burgundiæ) quoſdam ſacerdotes in Eccleſia, quandò leguntur Euangelia, ſedere, & Domini ſaluatoris verba non ſtantes, ſed ſedentes audire, & hoc ex Maiorum traditione ſe accepiſſe narrant: quod vt nullatenùs deincèps fieri ſinatis, Apoſtolica authoritate mandamus. Sed dum ſancta Euãgelia in Eccleſia recitantur, ſacerdotes & cęteri omnes præſentes, nõ ſedentes, ſed venerabiliter curui, in conſpectu ſancti Euangelij ſtãtes, Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent.

Lib. Pontif. c. 40.

CVIVS ſtatuti mentionem facit & Liber Pontificalis: Hic (inquit) conſtituit, vt quotieſcunquè ſancta Euangelia recitarentur, ſacerdotes non ſederent, ſed curui ſtarent.

Bed. martyrolog. ad VI. Cal. Maij.

QVAE ipſa verba reperiuntur & in Bedæ martyrologio, ſed mendosè hactenùs adſcripta D. Anacleto papæ, atque adeò transferenda ex die VI. ad V. Cal. Maias, vbì huius fit Pontificis mẽtio.

Amal. de offic. diuſ. l.3.c.18.

Citantur etiam ab Amalario Treuirenſi.

Vvalafr. de reb. Eccleſ. c. 22.

ITEM à Vvalafrido Strabo, qui eius ritûs cauſam hanc addit, vt videlicet humilitatem, quæ à Domino Deo docetur, etiam ore demonſtrarent.

A Ma-

A Mariano deniquè Scoto, Radulpho Tungrensi, & Martino Polono ad annum Domini 404. Marian. Chrō.l.2. Radul. de Canon. obseru. c. vlt.

EIVSDEM SIVE ALTERIVS ROMANI PONTIFICIS SACRIFICIA SVPER RELIQVIIS SS. PETRI ET PAVLI.

MALE ergò facit (inquit D. Hieronym. Vigilantium arguens) Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundùm nos, ossa veneranda: secundùm te, vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Hieron. contra Vigilant.

MANICHAEORVM HAERETICORVM FLAGITIOSA MYSTERIA.

ALIQVANTI verò (inquit idem diuus Anastasius) Manichæi, qui ità se demerserunt, vt nullum his auxiliantis remedium posset subuenire, subditi legibus, secundùm Christianorum principum constituta: nè sanctum gregem sua contagione polluerent, per publicos iudices perpetuo sunt exilio relegati: & omnia, quæ tam in scriptis, quàm in occultis traditionibus suis habent prophana vel turpia, vt nôsset populus, quid fugeret aut vitaret, oculis Christianæ plebis certa manifestatione probauimus: adeò, vt ipse, qui eorum dicebatur Episcopus, à nobis tentus, proderet flagitiosa in suis mysterijs, quæ teneret, sicut Gestorum vos series poterit edocere. Anast. papa epist. 1. Decret.

ET Theodoretus: Præstigijs quoquè egregiè vtuntur, scelerata sua mysteria peragentes. Ea de causa valdè difficiliter elui potest, Theod. hær. fab. l. 1. c. vlt.

potest eorum doctrina, & qui execrandis eorum Orgijs interfuerit, eorumq; particeps extiterit, valdè est difficile transmouere à perniciem animis afferentium Dęmonum operatione, qui * ipsos initiantium decantionibus eorum animas alligant.

* ipsis

August. hær. 46.

QVORVM expreßiùs in hæc verba mentionem facit D. Augustinus: Qua occasione (inquit) seu potiùs execrabilis superstitionis quadam neceßitate, coguntur electi eorum, velut Eucharistiã consperſam cum semine humano sumere, vt etiam indè, sicut de alijs cibis, quos accipiunt, substantia illa diuina purgetur. Sed hoc se facere negant, & alios nescio quos sub nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti tamen sunt in Ecclesia, sicutì scis, apud Carthaginem, iam te ibì Diacono constituto, quandò instante Vrso Tribuno, qui tunc domui regiæ pręfuit, aliqui adducti sunt.

Leo papa de ieiun. decimi mensis serm. 5.

D. Leo quoquè: De sacris tamen eorũ, inquit, quæ apud illos tam obscœna sunt, quàm nefanda, quod inquisitioni nostræ Dñs manifestare voluit, non tacemus, nè quisquam putet nos de hac re dubię famæ & incertis opinionibus credidisse. Residentibus itaq; mecum Episcopis ac presbyteris, ac in eundem consessum Christianis viris ac nobilibus congregatis, electos & electas eorum iusßimus pręsentari. Qui cùm de peruersitate dogmatis sui, & de festiuitatum suarũ consuetudine multa reserarẽt, illud quoquè scelus, quod eloqui verecundum est, prodiderunt, quod tanta diligentia inuestigatum est, vt nihil minùs credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Aderant enim omnes personę, per quas nefandum facinus fuerat perpetratum, puella scilicet, vt multùm decennis, & duæ mulieres, quæ ipsam nutrierãt, & huic sceleri pręparârant. Pręstò erat etiam adolescentulus vitiator puellę, & Episcopus ipsorum detestandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum & vna confeßio, & patefactum est execratum, quod aures nostræ vix ferre potuerunt. Qualia repetit ipse epist. 2. & 91. siue 93.

MON-

MONTANISTARVM QVOQVE HAERETICORVM SCELERATA MYSTERIA.

PRAETERMITTO (inquit D. Hieron. aduersùs eos ſcribens) ſcelerata myſteria, quæ dicũtur de lactente puero, & de victuro martyre confarrata. Mâlo, inquam, non credere: ſit falſum omne quod ſanguinis eſt. Hieron. ad Marcellam ad uer. Montan.

Ac Epiphanius: In hac verò (inquit) hęreſi, aut in coniugata eius Quintillianorum, ſiue Priſcillianorum, & * Pepugianorũ appellata, horrendum ac nefarium quoddam opus fieri dicunt. Puerum enim quendam valdè infantem, in feſtiuitate quadam per totum corpus æreis aciculis compungẽtes, ſanguinem ipſius ſibijpſis comparant, ad apparatum videlicet ſacrificij. Epiph. cõtra hęr. li. 2.

Et Theodoretus: De myſterijs autem nonnulla quidam iactitant. Sed illi non fatentur, & ſuî accuſationem, calumniam appellant. Theodor. Fab. hær. l. 3. c. 2.

D. quoquè Auguſt. Sacramenta perhibentur funeſta habere. Nã de infantis anniculi ſanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi Euchariſtiam ſuam cõficere perhibentur, miſcentes eum farinę, panemq́; indè facientes: qui puer, ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre: ſi autem vixerit, pro magno ſacerdote. Aug. hær. 26. & 27.

Atqve adeò ad hæc & Manichęorum ſacrificia hauddubiè alibì quoquè vbiquè alludit D. Hieron. quum hæreticorum polluta vocat ſacrificia aut ſacrilega, cuiuſmodi loci paſsim occurrunt in 12. Prophetas.

D. HIERONYMI STRIDONENSIS PRESBYTERI SACRIFICIA, ET QVAE EODEM PERTINENT.

Quotidiana ſacrificia.

Hierõ qu. 2. ad Hidibiam.

NEC Moyſes (inquit D. Hieron.) dedit nobis panem verum, ſed Dominus IESVS: ipſe conuiua, & conuiuium: ipſe comedens, & qui cõmeditur. Illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare nõ poſſumus, & quotidiè in ſacrificijs eius de genimine vitis veræ, & vineæ Sorec, quæ interpretatur electa, rubentia muſta calcamus, & nouum ex his vinum bibimus de regno patris.

Idem in Ezech. c. 45. l. 13.

HVC pertinet & illud eiuſdem: Qui autem talis extiterit, vt miniſtret in ſanctuario, atrium ingrediatur interius, & offerat ſemper Deo ſacrificium, ità vt verus ſacerdos ſit, immò imitator eius, de quo ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in ęternum ſecundùm ordinem Melchiſedech: iſte nullam habebit hęreditatem, niſì Deum, qui eſt hęreditas eius.

Idem l. 2. in Iſai. c. 5.

ILLVD etiam: Et quotidiè cęleſti pane ſaturati, dicimus: Guſtate & videte quàm ſuauis eſt Dominus.

Idẽ Tract. de duobus filijs.

ITEM illud: Vitulus ſaginatus, qui ad pœnitentię immolatur ſalutem, ipſe ſaluator eſt, cuius quotidiè carne paſcimur, cruore potamur.

Sacerdotum ea de cauſa continentia.

Idem. l. 1. aduerſ. Iouin.

NON (inquit, explicans Apoſtoli locũ) dicit: Eligatur Epiſcopus, qui vnam ducat vxorem, & filios faciat, ſed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina. Certè confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat. Alioquì, ſi depręhenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur. Aut permitte ſacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem ſint virgines quod mariti: aut ſi ſacerdotibus non licet vxores tangere, in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum: Si laicus & quicunque fidelis orare non poteſt, niſì careat officio coniugali: ſacerdoti, cui ſẽper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt.

Si ſemper orandum eſt, ergò ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolùm in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur, ad tempus ab vxoribus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem prouocare.

ET alibì: Quòd ſi indignè accipiunt mariti, non mihi iraſcantur, ſed ſcripturis ſanctis, immò Epiſcopis & Presbyteris & diaconis, & vniuerſo choro ſacerdotali & leuitico: qui ſe nouerunt hoſtias offerre non poſſe, ſi operi ſeruiant coniugali. Idē Apologia aduer. Iouin.

AC rursùm: Si laicis imperatur, vt propter orationem abſtineant ſe ab vxorum coitu, quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidiè pro ſuis populiq; peccatis, illibatas Deo oblaturus eſt victimas? Relegamus Regum libros, & inueniemus ſacerdotem Abimelech de panibus propoſitionis noluiſſe priùs dare Dauid & pueris eius, nisì interrogaret, vtrùm mundi eſſent pueri à muliere: non vtiquè aliena, ſed coniuge. Et nisì eos audîſſet ab herì & nudiuſtertiùs vacâſſe ab opere coniugali, nequaquàm panes, quos priùs negauerat, conceſsiſſet. * Tamen intereſt inter propoſitionis panes & corpus CHRISTI, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quæ per exemplaria præfigurabantur. Idē epiſt. ad Tit. c. 1.

EODEM ſpectat & illud: Apoſtoli, vel virgines, vel poſt nuptias continentes, Epiſcopi: presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt ſacerdotium in æternum pudici. Idē Apol. cit.

ILLVD quoquè: Quid facient Orientis Eccleſiæ? Quid Aegypti & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes: aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt? Idem aduer. Vigil.

Conuentus ad ſacrificium feſtis diebus etiam martyrum.

Idem l. 2. in epiſt. ad Galat. c. 4.

DICAT aliquis: (inquit) Si dies obſeruare non licet, & menſes & tempora & annos, nos quoquè ſimile crimen incurrimus, quartam ſabbati obſeruantes, & paraſceuen, & diem Dominicam, & ieiunium Quadrageſimæ, & Paſchę feſtiuitatem, & Pentecoſtes lætitiam, & pro varietate regionum, diuerſa in honorem martyrũ tempora conſtituta. Ad quod qui ſimpliciter reſpondebit, dicet: nõ eoſdem Iudaicę obſeruationis dies eſſe, quos noſtros. Nos enim nõ azymorum Paſcha celebramus, ſed reſurrectionis & crucis. Nec ſeptem iuxta morem Iſrael numeramus hebdomadas in Pẽtecoſte, ſed ſpiritûs ſancti veneramur aduentum. Et nè inordinata congregatio populi fidem minueret in Chriſto, propterea dies aliqui cõſtituti ſunt, vt in vnum omnes pariter veniremus. Non quô celebrior ſit dies illa qua conuenímus: ſed quô, quacunq; die conueniendum ſit, ex conſpectu mutuo lætitia maior oriatur. Qui verò oppoſitæ quęſtioni acutiùs reſpondere conatur, illud affirmat: oẽs dies æquales eſſe, nec per paraſceuen tantùm Chriſtum crucifigi, & die Dominica reſurgere: ſed ſemper ſanctum reſurrectionis eſſe diem, & ſemper eum carne veſci Dominica. Ieiunia autem. & congregationes inter dies, propter eos à viris prudentibus conſtitutos, qui magìs ſeculo vacant, quàm DEO: nec poſſunt, immò nolunt, toto in Eccleſia vitæ ſuæ tempore congregari, & ante humanos actus, Deo orationum ſuarum offerre ſacrificium. Quotus enim quiſque eſt, qui ſaltem hæc pauca quę ſtatuta ſunt, vel orandi tempora, vel ieiunandi, ſemper exerceat? Itaque ſicut nobis licet vel ieiunare ſemper, vel ſemper orare, & diem Dominicam, accepto DOMINI corpore, indeſinenter celebrare gaudentibus: non ità & Iudæis fas eſt omni tempore immolare agnum, Pentecoſten agere, tabernacula figere, ieiunare quotidiè.

Diſtinctus ſacerdotum à laicis locus.

Idẽ l. 13. in Ezech. c. 43.

FABRICATI ſunt (inquit, verba Ezechielis explicans) limen ſuum,

ſuum iuxta limen meum, vt nihil intereſſet inter ſacrum & prophanum: & poſtes ſuos iuxta poſtes meos, vt vnus laicorum & ſacerdotum eſſet introitus. Vndè & Apoſtolus dicit: Probet autem ſe homo,& ſic accedat ad corpus & ſanguinem Domini. Et vt grauius faceret quod dicebat,ſequentem iungit verſiculum: Et murus erat inter me & eos: vt ſacerdotalia ſacrificia, & loca ſacramentorum corporis & ſanguinis Chriſti,breuiſsimus murus diuideret.

Statio diebus Dominicis & Paſchali tempore.

MVLTA (inquit) quæ per traditionem in Eccleſijs obſeruantur, authoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurpauerunt, velut in lauacro tèr caput mergitare: deindè egreſſos,lactis & mellis prægustare cõcordiam,ad infantię ſignificationem:die Dominico,& per omnem Pentecoſten,nec de geniculis adorare. Idem aduerſ. Lucifer.

CVIVS traditionis rationem reddens alibì: Pentecoſten, (inquit)tempus lætitiæ atque victoriæ,quo non genua flectimus,nec curuamur,ſed cum Domino ad cælorum alta ſuſtollimur. Idẽ Prolog. in Cõm. epi. ad Epheſ.

Alijs diebus genuflexio.

QVOTIDIE (inquit) in oratione flexis genibus loquor. Idem ad Abigan.

Orationis,alię cęremoniæ.

AD orationem (inquit) aſsiſto: non orarem,ſi non crederem: ſed ſi verè crederem, illud cor quo Deus videtur,mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorreſcerem,ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes,eosq́; fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec priùs dimitterem,quàm miſericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea,aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo,aut abductus turpi cogitatiõe,etiam quę dictu erubeſcenda ſunt, gero. Vbì eſt fides? ſíccine putamus orâſſe Ionam? ſic tres pueros? ſic Danielem inter leones? ſic certè latronem in cruce? Idem aduerſ. Lucifer.

Sacrificij ad altare celebratio.

Ibidèm. QVAMOBREM (inquit) oro te, vt aut ſacrificandi ei licentiam tribuas, cuius baptiſma probas: aut reprobas eius baptiſma, quem non exiſtimas ſacerdotem. Neque enim fieri poteſt, vt qui in baptiſmate ſanctus eſt, ſit apud altare peccator.

Idem ad Ruſtic. monach. HVC pertinet & illud:Ità age, & viue in monaſterio, vt clericus eſſe merearis, vt adoleſcentiam tuam nulla ſorde commacules: vt ad altare CHRISTI quaſi de thalamo virgo procedas.

Idem ad Oceanũ. HOC etiam: Herì catechumenus, hodiè Pontifex: herì in amphitheatro, hodiè in Eccleſia: veſperè in circo, manè in altario: dudùm fautor hiſtrionum, nunc virginum conſecrator.

Idem in Iſai. c. 60. lib. 17. ILLVD quoquè: Quòd autem in Hebraico ſcriptum notauimus, Arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi, & offerent ſuper placabili altari meo: propriè ſuper his intelligitur, qui de gentibus electi in ſacerdotium, miniſtri ſunt ſaluatoris.

Idque cum mundis & candidis veſtimentis.

Idem lib. 1. adu. Pelag. QVAE ſunt, rogo, (inquit) inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem: ſi Epiſcopus, presbyter, & diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus, in adminiſtratione ſacrificiorum candida veſte proceſſerint?

Ibì quotidiana ſacerdotum oratio.

Idẽ cõtra eundẽ l. 2. SACERDOTVM (inquit) quotidiè ora concelebrant, ὁ μόνος ἀναμάρτητος, quod in lingua noſtra dicitur: Qui ſolus eſt ſine peccato. Quæ laus, iuxta ſententiam tuam, fruſtrà Deo reputatur, ſi eſt communis cum cæteris.

Concentus in Dei laudibus.

Idẽ ad Damaſc. de duob. fil. MAHALATH, inquit, chorus in vnum concinẽs, dicitur. Malè autem quidam de Latinis, ſymphoniam putant eſſe genus organi, cùm concors in Dei laudibus concentus, hoc vocabulo ſignificetur. συμφωνία quippe, conſonantia exprimitur in Latino.

Amen

Amen Concelebratio.

ROMANAE (inquit) plebis laudatur fides. Vbì alibì tanto ſtudio & frequentia, ad Eccleſias & ad Martyrum ſepulcra concurritur? vbì ſic ad ſimilitudinem cęleſtis tonitrui, Amē reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quòd aliam habeant Romani fidem, nisì hanc quam omnes Chriſti Eccleſię, ſed quòd deuotio in eis maior ſit & ſimplicitas ad credendum. Idē Præfat. in l. 2. cōm. epi. ad Galat.

Lectiones ſcripturarum.

QVID miniſtrum Chriſti, famulum tibi facis? ille in Eccleſia legit. Idem de vitando ſuſp cōtubernio.

LECTIONES etiam à D. Hieronymo in vnum cóllectas, habes infrà Tom. 2. in eiuſdem Lectionario.

Alleluia.

ALLELVIA à D. Hieronymo in Eccleſiam Latinam introductum, habes ſuprà ex verbis ipſius & D. Gregorij I, dum D. Damaſi meminimus. Idē Epiſt. ad Dam. Greg. epi. 62. ad Iohan. Syrac.

EODEM pertinet & illud: Hebræo, Græco, Latino, Syroque ſermone, reſonabāt Pſalmi, & aurata tecta templorum, reſonans in ſublime quatiebat Alleluia. Hierō. in Epitaph. Fabiolę.

ITEM quod Vigilantio inter cætera obijcit: Nunquàm, nisì in Paſcha, Alleluia cantandum dicit. Idē adu. Vigilan.

Lectio Euangelij per Diaconum.

EVANGELIVM (inquit) Chriſti quaſi Diaconus lectitabas. Idē ad Sabinianum Diac.

Idque accenſis cereis.

NAM & abſque martyrum reliquijs (inquit) per totas Orientis Eccleſias, quandò legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria iam ſole rutilante, non vtiq; ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Idē adu. Vigil.

Offerendi mos ad altare.

SED alia, inquit, vt antè perſtrinxi, monachorum eſt cauſa, alia clericorum. Clerici paſcunt oues, ego paſcor. Illi de altario viuunt, Idem ad Heliodorum.

mihi

mihi quaſi infructuoſæ arbori, ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero. Nec poſſum obtẽdere paupertatem, cùm in Euangelio anum viduam duo, quę ſola ſibi ſupererant, æra mittentem, laudauerit Dominus.

Idem ad Nepotiã. EODEM pertinet illud: Sed quaſi Leuíta & ſacerdos viuo de decimis: & altari ſeruiens, altaris oblatione ſuſtentor: habens victum & veſtitum, his contentus ero: & nudam crucem nudus ſequar.

Offerentium nomina, ad id vſque temporis publicata per Diaconum.

Idẽ in Hierem. ca. 11. lib. 2. AT nunc (inquit) publicè recitantur offerentium nomina, & redemptio peccatorum mutatur in laudem: nec meminerunt viduæ illius in Euangelio, quæ in gazophylacium duo æra mittendo, omnium diuitum vicit donaria.

Idem in Ezech. c. 18. lib. 6. ET rursùm: Publicè (inquit) diaconus in Eccleſijs recitat offerentium nomina: tantum offert illa, tantum ille pollicitus eſt, placentq́; ſibi ad plauſum populi, torquente eos conſcientia.

Catechumenorum excluſio, quam Marcion hæreticus improbabat.

Idẽ in c. 6. epiſt. ad Galat. l. 3. MARCION (inquit tractans illud, Communicet autem is qui catechizatur &c.) hunc locum ità interpretatus eſt, vt putaret fideles & catechumenos ſimul orare debere, & magiſtrum communicare in oratione diſcipulis: illo vel maximè elatus, quòd ſequatur, in omnibus bonis: Cùm vtiq; ſi de oratione ſermo fuiſſet, non deberit ei p̄cipi, qui catechizatur: ſed ei, qui ſe catechizat, id eſt, non diſcipulo, ſed magiſtro.

Sanctus, ſanctus, ſanctus.

Idẽ prol. de 42. manſion. HIS (inquit) duabus manibus, quaſi duobus Seraphim, in confeſsionem ſanctę Trinitatis erumpimus, dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Solennis oratio & imprecatio.

SACERDOTES quoquè (inquit) qui Euchariſtiæ ſeruiunt, & ſanguinem Domini populis eius diuidunt, impiè agunt in legem Chriſti, putantes εὐχαριστίαν imprecantis facere verba, non vitam: & neceſſariam eſſe tantùm ſolennem orationem, & non ſacerdotũ merita, de quibus dicitur: Et ſacerdos in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino. Idē in Sophon. c. 3.

AC paulopòſt: Sacerdotes quoq;, qui dant baptiſmum, & ad Euchariſtiam Domini imprecantur aduentũ, faciunt oleum Chriſmatis, manus imponunt, catechumenos erudiunt, Leuítas & alios conſtituunt ſacerdotes.

Corporis & ſanguinis Domini per ſacerdotes confectio.

ABSIT (inquit) vt de his quicquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus. Idē epi. ad Heliod.

ITEM Epiſtola ad Euangelum: (ſic enim MS. cod. pro Euagrium) Ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſq́ue conficitur. Idem ad Euagr.

AC rurſùm: Hilarius (ſiue Hilarus, vt MS. aliquot codices) quum Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſq́ue, vt putat, turba ſit mundi, neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & presbyteros non habens, neque baptiſma ſine Euchariſtia tradere. Idē cōtra Lucifer.

ET iterùm: Quanto magìs Pontifex & Epiſcopus, quem oportet eſſe ſine crimine, tantarumq́ue virtutum, vt ſemper moretur in ſanctis: & paratus ſit victimas offerre pro populo, ſequeſter Dei & hominum, & carnes agni ſacro ore conficiens, quia ſanctum oleum Dei ſui ſuper eum eſt? Idē ad Fabiol. de veſte ſacerd.

Chriſti quoquè immolatio.

HOC conuiuium (inquit) quotidiè celebratur, quotidiè pater filium recipit, ſemper Chriſtus credentibus immolatur. Idem ad Damaſc. de duobus filijs.

Orationis Dominicæ in ſacrificio quotidiana recitatio.

Idem lib. 3. adu. Pelag.

SIC docuit (inquit) Apostolos suos, vt quotidiè in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.

AC paulò pòst: Panem quotidianum, siue super om̃es substantias, venturum Apostoli deprecantur, vt digni sint * assumptione corporis Christi.

Lego: * sumptiõe

ET rursùs: De baptismatis fonte surgentes, & regenerati in Dominum Saluatorem, impleto illo, quod de se scriptum est: Beati quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: statìm in prima corporis communiõe Christi dicunt, Et dimitte nobis debita nostra.

Corporis Domini administratio & sumptio

Idẽ adu. Lucifer.

EPISCOPI (inq̃t) est, corpus Domini adtrectare, & de sublimi loco Eucharistiam ministrare populo.

Idẽ cõtra Iouin. l. 2.

EODEM pertinet illud: Quasi nõ & nos Christi corpus æqualiter accipiamus. Vna est in mysterijs sanctificatio domini & serui, nobilis & ignobilis, regis & militis: quanquàm pro accipientium meritis, diuersum fiat quod vnum est. Qui enim indignè mãducauerit & biberit, reus erit violati corporis & sanguinis Christi.

Manuum extensio & osculum in communione.

Idem ad Theoph. Alexãdr.

QVISQVAM'NE tibi (inquit) inuitus communicat? Quisquam'ne extensa manu vertit faciem, & inter sacras epulas, Iudæ osculum porrigit?

In communicatione responsio, Amen.

Ibid. paulo antè.

SI munera (inquit) nostra absque pace offerre non possumus, quanto magìs & Christi corpus accipere? Qua conscientia ad Eucharistiam Christi accedam, & respondebo, Amen, quum de caritate dubitem porrigentis?

Benedictio sacerdotis.

Si presbyter, (inquit, tractans de sacris ordinibus) Christum cõsecrat, cùm in altario Dei sacramenta benedicit: benedicere populo nõ debet, q Christum etiam meruit cõsecrare? Ac paulopòst: Hoc in Ecclesijs tuis faciant, quod Romæ, siue quod in Oriẽte, quod in Italia, quod in Creta, quod in Cypro, quod in Africa, quod in Illyrico, quod in Hispania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias, quod in omnibus locis vbì humilitas perseuerat. Idẽ epist. ad Rustic. Narbon.

QVEM locum tanquàm ipsius fœtum genuinum, in hæc verba citat Micrologus: Beatus Hieronymus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis presbyter, qui sub beato Damaso, & post ipsum vsq; ad Sixtum successorem eius, Ecclesiasticis institutis inuigilauit: ipse, inquam, Rustico Narbonensi Episcopo, de Ecclesiasticis Ordinibus scribens, presbyteros à benedictione super populum, non prohibendos esse asserit. Microl. de diuin. obseru. c. 21.

Sacrificia diei Dominici.

QVOD si ideò (inquit alibì D. Hieron.) vigilias in Basilicis martyrum existimas respuẽdas, nè sæpè videamur Pascha celebrare, & non solennes post annum exercere vigilias: ergò & die Dominico non sunt Christo offerẽda sacrificia, nè resurrectionis Domini crebrò pascha celebremus, & incipiamus non vnum Pascha habere, sed plurima. Hieron. adu. Vigilant.

Oblatio in reconciliatione Pœnitentium.

SACERDOS quippe (inquit idem alio loco) pro laico offert oblationem suam, imponit manum subiecto, reditum sancti spiritûs inuocat: atq; ità eum qui traditus fuerat satanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus fieret, indicta in populum oratiõe, altario reconciliat, nec priùs vnum membrum restituit sanitati, quàm om̃ia simul membra confleuerint. Idẽ adu. Lucifer.

D. EXVPERII THOLOSAE EPISCOPI SACRAMENTORVM ADMINISTRATIO.

Hieron. Prolog. in Zachar.

QVI Pontifex (inquit, ad eum ſcribens, D. Hieron.) Domini es, & calcas in fine mundi torcularia, vt ſitientibus populis ſanguinis Chriſti vinum tribuas.

Idem ad Ruſtic. monach.

EODEM pertinet illud de eodem, perſecutionis Vandalorum ſiue Gothorum tempore: Nihil illo ditius, qui corpus Domini vimineo caniſtro, ſanguinem portat in vitro.

D. NEPOTIANI PRESBYTERI MINISTERIVM CHRISTI.

In miniſterio certæ tunicæ vſus.

Idē in epitaph. Nepot.

QVIS (inquit idem D. Hieron.) crederet in tali illum tempore noſtræ neceſsitudinis recordari, & luctante anima, ſtudiorum ſcire dulcedinem? Adprehēſa auunculi manu, hanc, inquit, tunicam, qua vtebar in miniſterio Chriſti, mitte dilectiſsimo mihi, ętate patri, fratri collegio.

Altaris, velorum, ſacrarij, vaſorum vſus, & ornatus baſilicarum.

ERAT ergò ſolicitus, (inquit idem) ſi niteret altare, ſi parietes abſq; fuligine, ſi pauimēta terſa, ſi ianitor creber in porta, vela ſemper in oſtijs, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta, & in omnes cęremonias pia ſolicitudo diſpoſita: non minus, non maius negligebat officium: vbicunq; eum quęreres, in Eccleſia inuenires.

AC paulopòſt: Baſilicas item Eccleſiæ, & martyrum conciliabula, diuerſis floribus & arborum comis, vitiumq; pampinis adumbrauit: vt quicquid placebat in Eccleſia, tam diſpoſitione quàm viſu, presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur.

GETARVM RELIGIO IN CIRCVNFERENDIS ECCLESIARVM TENTORIIS.

Idē Epiſt. ad Lætā.

GETARVM (inquit idem D. Hieron.) rutilus & flauus exercitus, Eccleſiarum circūnfert tentoria, & ideò forſitan cōtra nos æqua pugnat acie, quia pari religione confidunt.

RV-

RVFINI AQVILEIENSIS PRESBYTERI SACRIFICIA.

Quotidiana sacrificia.

LATIBVLVM (inquit, psalmi locum explicans) suum tenebras posuit, quia cęleste suum sacramentum nobis in obscuratione constituit. Hinc est, quòd sacramentum corporis & sanguinis Christi quotidiè tractamus: nec tamen lucem, nec gloriam eius, quam fide credimus, oculis adhuc videre valemus. Rufin. com. in Psalm. 17.

EODEM & illud pertinet: Parua (inquit) erat Ecclesia, cùm in vna gente tantùm, id est, in Iudęa notus erat Deus. Modò magna est, quia toto terrarum orbe diffusa: in ea quotidiè laudes Deo referũtur, vota & sacrificia persoluuntur: non in abscondito, propter timorẽ persequentiũ: sed in manifesto, in cõspectu credentiũ. Idem in Psalm. 21.

ITEM illud: Vndè & laudes & sacrificia non cessat celebrare Ecclesia. Idem in Psalm. 26.

In ijs adoratio.

IN eo (inquit alibì) quod ait, Vniuersi fines terræ: &, Vniuersæ familię gentium: insinuat, in omni parte mundi, & in omni gente coli & adorari Dominum. Pręuidebat vir sanctus futurum, quod nos modò videmus adimpletum. Idem in Psal. 21.

AC paulopòst: Gustauerunt & probauerunt, quoniam suauis est Dominus, & ideò adorauerunt. Ibid.

CONCILII CARTHAGINIENSIS, QVOD V. VOCANT, CIRCA SACRIFICIVM CANONES.

Acta huius Synodi post Consulatũ Stiliconis XVI. Cal. Iulias, & sub Vincentio ac Frauitta Consulibus, (qui idem annus est) idibus septembris satìs testãtur, eodẽ tempore publicatos esse Canones illos, qui titulo Concilij V. Carthaginiensis sunt editi, & prò ijsdem habendos: quarè & nos hìc simul, tanquàm eiusdem Concilij, citauimus.

Diebus Paschæ, Dominicis, & alijs celebribus spectacula conuentum Ecclesiæ non impediant.

Concil. Afric. c. 28 Balsam. cōcil. Carthag. c. 64.

NECNON & illud petendum (inquiunt Patres in Actis eius Synodi, vtì in Concilio Africano & apud Balsamonē recitantur) vt spectacula theatrorum cæterorumq; ludorum, die Dominica vel cæteris religionis Christianæ diebus celeberrimis amoueantur, maximè, quia sancti paschæ octauarum die populi ad circum magìs, quàm ad Ecclesiam conueniunt.

Non recitetur Episcopi nomen inter sacerdotes, qui Ecclesiæ hæredes extraneos vel hæreticos seu paganos prętulerit.

Cōc. Afri. c. 48. Balsam. cōcil. Carthag. c. 84.

ITEM constitutum est (inquiunt Patres eiusdem synodi) vt si quis Episcopus hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos aut paganos, Ecclesiæ prętulerit, saltem post mortem anathema ei dicatur, atq; eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.

Altaria, in quibus nullæ sunt conditę martyrum reliquiæ, ab Episcopis euertantur.

Cōc. Cart. 5. c. 14. Afric. cōc. c. 50. Balsam. conc. Carthag. c. 86.

ITEM placuit (inquiūt ijdem, tum locis citatis, tum in ipsis qui extant Canonibus eius Concilij titulo) vt altaria, quæ passìm per agros & per vias, tanquàm memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquię martyrum conditæ probātur, ab Episcopis, qui locis eisdem pręsunt, si fieri potest, euertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, nè illa loca frequentent, vt qui rectè sapiunt, nulla ibì superstitione deuinci teneantur. Et omninò nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisì vbì corpus aut aliquę reliquiæ sunt, aut origo alicuius habitationis, aut possessionis, aut passionis fidelissima origine traditur. Nā quę per somnia & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbicunquè cōstituuntur altaria, omni modo reprobentur.

GREGORII CORDVBENSIS EPISCOPI MISSAE QVOTIDIANAE.

THEO-

THEODOSIVS (inquit Vualafridus Strabo) religiosus imperator, laudauit Gregorium Cordubensem Episcopum, quòd omni die Missas explicans, eorum martyrum quorum Natalitia essent, nomina plura commemoraret. Vualafr. Strab. de reb. Eccl. c.28.

D. INNOCENTII PAPAE ROMANI XLI. DECRETA CIRCA MYSTERIORVM CONFECTIONEM.

In conficiendis mysterijs instituta Apostolorum & Romanæ Ecclesiæ seruanda.

SI instituta (inquit D. Innocentius ad Decennium Eugubinũ Episcopum) Ecclesiastica, vt sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent seruare Domini sacerdotes, nulla diuersitas, nulla varietas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur. Sed dum vnusquisq;, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendũ, indè diuersa in diuersis locis vel ecclesijs aut teneri, aut celebrari videntur: ac fit scandalũ populis, qui dum nesciũt traditiones antiquas, humana pręsumptione corruptas, putãt sibi aut Ecclesias nõ conuenire, aut ab Apostolis vel ab apostolicis viris contrarietatẽ inductã. Quis enim nesciat, aut nõ aduertat, id, quod à principe Apostolorũ Petro Romanæ Ecclesię traditũ est, ac nunc vsq; custoditur, ab omnibus debere seruari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut authoritatẽ non habeat, aut aliũdè accipere videatur exemplũ? p̃sertim cùm sit manifestũ, in oẽm Italiã, Gallias, Hispanias, Aphricã atq; Siciliã, insulasq́; interiacẽtes, nullum instituisse Ecclesias, nisì eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut eius successores, constituerint sacerdotes? Aut legant, si in his prouincijs alius Apostolorum inuenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquàm inueuiunt: oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à quã eos principium Innocent. I. init. Epist. 1.

acce-

accepisse, non dubium est, nè, dum peregrinis assertionibus studét, caput institutionum videantur omittere. Sępè dilectionem tuam ad vrbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia cōuenisse, & quem morem vel in consecrandis mysterijs, vel in cęteris agendis arcanis teneat, cognouisse, dubium non est. Quod sufficere in informationem Ecclesiæ tuæ vel reformationem (si pręcessores tui minus aliquid, aut aliter tenuerunt) satìs certum haberem, nisì de aliquibus consulendos non esse duxisses. Quibus idcircò respondemus, non quòd te aliqua ignorare credamus, sed vt maiori authoritate vel tuos instituas, vel si qui à Romanæ Ecclesię institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, vt scire valeamus, qui sint, qui aut nouitates inducūt, aut alterius Ecclesię, quàm Romanæ, existimant consuetudinem esse seruandam.

Pax indicenda non ante, sed post, confecta mysteria.

Ibid. c. 1. PACEM ergò (inquit ibidèm) asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter sacerdotes tradere: cùm post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessariò indicenda, per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysterijs aguntur, atq; in Ecclesia celebrantur, prębuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentis signaculo demonstrentur.

*Strabi: Vvalafr. de reb. Eccl. c. 22. EODEM pertinet illud de ipso, Vvalafridi *Strabonis: Pacem ante communionem dari, Innocentius papa decretis suis instituit: scilicet, vt quod in oratione sancta sub sponsione remißionis præmittimus, pacatos nos ipso opere demonstremus.

Microlog. c. 18. QVOD paucis repetitur à Micrologo & Mariano Scoto, Sigeberto, ac Martino Polono in Chronicis, item Radulpho Tungrēsi, de canon. obseru. c. vlt.

Nomina recitanda non ante precem sacerdotis, sed inter ipsa mysteria.

Innocent. ibid. c. 2. DE nominibus autem (inquit loco citato D. Innocentius) recitandis

citandis antequàm precem ſacerdos faciat,atq; eorum oblationes, quorũ nomina recitanda ſunt,ſua oratione commendet:quàm ſuperfluum ſit,& ipſe pro tua prudentia recognoſcis,vt, cuius hoſtiã necdùm Deo offeras,eius antè nomen inſinues, quanuis illi incognitum ſit nihil.Priùs ergò oblationes ſunt cõmendandę, ac tunc eorũ nomina,quorum ſunt oblationes,edicẽda: vt inter ſacra myſteria nominentur, non inter alia, quæ antè præmittimus, vt ipſis myſterijs viam futuris precibus aperiamus.

Biduo ante Paſcha ſacramenta non celebranda.

CONSTAT, (inquit ibidèm) Apoſtolos biduo iſto & in mœrore fuiſſe,& propter metum Iudęorũ ſe occuluiſſe. Quod vtiquè nõ dubiũ eſt,intantùm eos ieiunâſſe biduo memorato, vt traditio Eccleſię habeat,iſto biduo ſacramenta penitùs non celebrari. Ibid. c.4.

QVEM locum, vt probent Eccleſię adhuc hodiè obſeruatam conſuetudinem de feria 6. paſsionis Domini,qua conſecratio nulla fit, ſed ſolo corpore communicat ſacerdos à pręcedente die reſeruato: citant Alcuinus de diuinis offic.pag.57. Amalar.l.1.c.53.& l.4.c.20. ac Hrabanus de inſtit.cleric.l.2.c.27.

Conſecrata Epiſcopi oblatio,quam fermentum nuncupabant, ſolis mittatur presbyteris ciuitatis.

DE fermento verò (inquit idem) quod die Dominica per titulos mittimus,ſuperfluè nos conſulere voluiſti, cùm omnes Eccleſiæ noſtræ intrà ciuitatem ſint conſtitutæ. Quarum Presbyteri, quia die ipſa propter plebem ſibi creditam, nobiſcum conuenire non poſſunt,idcircò fermentum,à nobis confectum, per acolytos accipiunt,vt ſe à noſtra communione,maximè illa die,nõ iudicent ſeparatos. Quod per parochias fieri debere non puto,quia nec longè portanda ſunt ſacramẽta: nec nos per cœmeteria diuerſa conſtitutis presbyteris deſtinamus,quum ipſi presbyteri eorum conficiendorum ius habeant atq; licentiam. Ibid.c.5.

QVOD quid ſibi velit,& hîc & ſuprà in decretis Syricij & Melchiadis Auth.incert.de diuĩ.off. l. 1.

chiadis Pontificum, interpretatur Author quidam incertus MS. librorũ quinq; apud doctiss. virum Melchiorẽ Hittorpiũ: Legitur (inquit) constituisse S. Syricius Papa, vt nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentũ: iuxta quod B. Melchiades Papa primũ fecit oblationes cõsecratas ab Episcopis, propter hęreticos per Ecclesias dirigi, quæ certi gratia mysterij declarãtur sub nomine fermenti. Dñs eñ & saluator noster docet cauendũ esse à fermento pharisęorũ, quod Euangelista exponit, doctrinã esse & traditiones eorũ, dicẽs eos sine causa colere Deum, docẽtes doctrinas & mandata hominũ. Qui cùm negligunt azyma synceritatis & veritatis ritè comedere in noua cõspersione, qua per nouitatẽ fidei vnus panis & vnũ corpus multi dicimur existere: nesciunt forsitã discernere vetus fermentũ, quod dicit Apostolus esse fermentũ malitiæ & nequitię. Propter hanc igitur hęresim pharisæorum, qui dicuntur diuisi, ab vnitate s. ordinis Ecclesiastici, siue propter communionẽ episcoporum, qua significatur debere presbyter perseuerare in doctrina Apostolorũ atq; Apostolicorũ virorum, quorum successores sunt Episcopi: ꝓpter hæc, inquã, iubetur, sicut in libro de gestis põtificalibus legitur, vt nullus presbyterorũ Missas celebrare præsumat per omnem hebdomadã, nisi consecratum Episcopi loci designati suscipiat declaratũ, quod nominatur fermentum. Hinc etiam S. Papa Innocentius, scribens ad Decentium Episcopum: De fermento, inquit, quod die Dominico per titulos mittimus &c.

Sacerdotibus etiam à proprijs vxoribus abstinendum propter quotidiana sacrificia.

Idem Innocent. epist. 2. ca. 9. Pręterea (inquit idẽ D. Innocent. scribẽs Victricio Rothomagẽsi Episcopo) quod dignũ & pudicũ & honestũ est, tenere Ecclesia omnimodò debet, vt sacerdotes & Leuitæ cum vxorib9 suis nõ coẽãt, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupãtur. Scriptũ

eſt enim: Sancti eſtote, quoniā & ego ſum ſanctus, Dn̄s Deus veſter. Leuit. 11. g. & 20. b.
Nā ſi priſcis tēporibus, de tēplo Dei ſacerdotes anno vicis ſuæ non
diſcedebāt, ſicut de Zachar[illegible] legimus, nec domum ſuā omninò tā- Luc. 1.
gebant, quibus vtiquè propter ſobolis ſucceſsionē vxorius vſus fue-
rat relaxatus, qui[illegible]lia tribu, & prætercq̄ ex ſemine Aaron, ad ſa- Leuit. 21. c Num. 18.
cerdotiū nullus fuerat preceptus accedere: quanto magìs hi ſacer-
dotes vel Leuitæ pudicitiā ex die ordinationis ſuæ ſeruare debēt,
quibus vel ſacerdotiū, vel miniſteriū ſine ſucceſsione eſt, nec pr-
terit dies, qua vel à ſacrificijs diuinis, vel à baptiſmatis officio va-
cēt? Nā ſi B. Apoſtolus Paulus ad Corinth. ſcripſit, dicēs: Abſtinete 1. Corin. 7.
vos ad tēpus, vt vacetis orationi, & hoc vtiquè laicis pręcepit: mul-
to magìs ſacerdotes, quibus & orandi & ſacrificandi iuge officium
eſt, ſemper debebunt huiuſmodi cōſortio abſtinere. Quòd ſi cōta-
minatus fuerit carnali cōcupiſcentia, quo pudore ſacrificare vſur-
pabit? aut qua conſcientia, quo've merito exaudiri poſſe ſe credit,
quum dictū ſit, Oīa munda mundis, coinquinatis aūt & infidelib⁹ Tit. 1.
nihil mundum? Sed fortè licere hoc credit, quia ſcriptū eſt, Vnius 1. Tim. 3.
vxoris virum. Non permanentē in concupiſcētia generandi, dixit,
ſed propter futuram cōtinentiam. Neq; enim integros corpore nō Tit. 1.
admiſit, qui ait: Vellem autem omnes ſic eſſe, ſicut & ego. Rom. 8.

Alioquì omni Eccleſiaſtico honore priuentur.

Propoſuiſti (inq̄t idē D. Innocēt. epiſt. ad Exuperiū Tholoſanū Idē epiſt. 3. c. 1.
Epiſcopū) quod de his obſeruari debeat, quos in diaconi miniſte-
rio, aut in officio presbyteri poſitos, incōtinentes eſſe aut fuiſſe, ge-
nerati filij ꝑdiderunt. De his & diuinarū legum manifeſta eſt di-
ſciplina, & beatæ recordationis viri Syricij Epiſcopi monita eui-
dentia cōmeârunt, vt incontinentes, in officijs talibus poſiti, ōmni
Eccleſiaſtico honore priuarētur, nec admitterētur accedere ad mi-
niſteriū, qđ ſola cōtinentia oportet impleri. Eſt eñ vetus admodū
ſacrę legis authoritas, iam indè ab initio cuſtodita, quòd in templo Luc. 1.
anno vicis ſuæ habitare præcepti ſunt ſacerdotes, vt ſeruiētes ſacris

oblationibus,puros & ab omni labe purgatos, ſibi vendicent diui-
na miniſteria,, neque eos ad ſacrificia fas ſit admitti, qui exercent
Leuit. 11. vel cum vxore carnale conſortium, quia ſcriptum eſt: Sancti
g.& 20,b. eſtote, quia & ego ſanctus ſum, Dominus DEVS veſter. Qui-
bus vtiquè propter ſobolis ſucceſsionem v[illegible]us vſus fuerat rela-
xatus, quia ex alia tribu ad ſacerdotium nullus fuerat præceptus
Num. 18. accedere: quanto magìs hi ſacerdotes vel Leuitæ pudicitiam ex
die ordinationis ſuæ ſeruare debent,quibus vel ſacerdotium, vel
miniſterium ſine ſucceſsione eſt,nec pręterit dies,qua vel à ſacri-
ficijs diuinis, vel à baptiſmatis officio vacent? Nam ſi B. Paulus
1.Corin.7. Apoſtolus ad Corinthios ſcribit,dicens:Abſtinete vos ad tempus,
vt vacetis orationi:& hoc vtiquè laicis pręcepit:multo magìs ſacer-
dotes,quibus & orandi & ſacrificandi iuge officium eſt,ſemper de-
bebunt ab huiuſmodi cõſortio abſtinere.Qui ſi cõtaminatus fuerit
carnali concupiſcẽtia,quo pudore vel ſacrificare vſurpabit? aut qua
Tit. 1. conſcientia,quo've merito exaudiri ſe credit,quũ dictum ſit, Oĩa
munda mũdis,coinquinatis aũt & infidelibus nihil mundum? Sed
1.Tim.3. fortaſsè hoc licere credit,quia ſcriptũ eſt,vnius vxoris virũ. Nõ de
Tit. 1. permanẽte in concupiſcentia generandi,hoc dixit,ſed propter cõ-
tinentiam futurã.Neq; enim integro corpore non admiſit,qui ait:
1.Corin.7. Vellem autem vos ſic eſſe,ſicut & ego. Quod & apertiùs declarat,
dicens:Qui aũt in carne ſunt,Deo placere nõ poſſunt. Vos aũt iam
nõ eſtis in carne,ſed in ſpiritu.Et,Habentem filios: non,generan-
tem,dixit.Sed ea planè diſpar & diuerſa ſentẽtia eſt.Nam ſi ad ali-
quos forma illa Eccleſiaſticę vitę,pariter & diſciplinę,quę ab Epi-
ſcopo Syricio ad prouincias cõmeauit,non probabitur perueniſſe:
his ignorationis venia remittitur, ità vt decæterò penitùs incipiãt
*retineãt. abſtinere.Et ità gradus,in quibus inuẽti fuerint, ſic * retentent, vt
eis nõ liceat ad potiora cõſcendere.Quibus in beneficio eſſe debet,
quòd huncipſum locũ,quem retinẽt,non amittũt. Si qui aũt ſciſſe
formã viuẽdi,miſſam à Syricio, detegẽtur, neq; ſtatìm cupiditates
libi-

libidinis abiecisse, illi sunt modis omnibus submouendi, quia post admonitionē cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.

EODEM pertinet illud eiusdem ad Maximum & Seuerum de ijs, qui in sacerdotio filios procreārūt: Eos qui talia perpetrâsse dicuntur, iubebitis in medio collocari: discussisque obiectionibus, quæ ipsis presbyteris impinguntur, si conuicti fuerint, à sacerdotali remoueantur officio: quia si sancti non sunt, sancta tractare non possunt, atque alieni efficiantur à ministerio, quod viuendo illicitè polluerunt. Idē epi.5.

In aliena parochia, inconsulto eius loci Episcopo, nè Episcopus quidem diuina mysteria celebret.

NOMENTANAM (inquit idem ad Florentium Tiburtinensem Episcopum) siue Felicientem parochiam, ad suam diœcesim à maioribus pertinentem, inuasisse te, atque illic diuina celebrâsse mysteria, inconsulto eodem ac nesciente, non sine dolore conquestus est. Quod si verum est, non leuiter te culpam incurrisse cognoscas. Idē epi.8.

Communibus orationibus plùs studendum, quàm priuatis.

QVIA (inquit epist.ad DD. Aurelium & Augustinum) communibus & alternis plùs agimus orationibus, quàm priuatis. Idē ep.10.

DE quo eius loco sic Micrologus & post eum Radulphus Tungrensis. Sunt & aliæ (inquit) multæ orationes, quas quidam ad pacem & communionem priuatìm frequētant, sed diligentiores antiquiorum traditionum obseruatores, nos in huiusmodi priuatis orationibus breuitati studere docuerunt, potiusque publicis precibus in officio Missæ occupari voluērunt. Nam beatus Innocentius Papa, scribens sancto Augustino & Aurelio episcopis, asserit ꝙ plùs communibus & publicis, quàm singularibus & priuatis orationibus, proficere poterimus. Microl. de eccl. obser. cap.18. Radulph. ca. vlt.

Laica tantùm tribuatur communio clericis ab hæresi redeuntibus.

Idē epist. 22. ca. 4. NOSTRAE verò lex est Ecclesiæ, (inquit idem ad Episcopos Macedoniæ) venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sint, per manûs impositionem laicam tãtùm tribuere communionem, nec ex his aliquem, in clericatûs honorem vel exiguum subrogare.

Presbyterorum officium, sacramenta conficere, populis distribuere, & Missas complere, secundùm consuetudinem.

Ibid. ca. 5. NVNC illud, (inquit ibidèm) quod superest, interrogo, quum se presbyterum à Bonoso confideret ordinatum, si non sacramēta confecit, si non populis distribuit, si non Missas secũdùm consuetudinem compleuit.

Sub hoc primùm Pōtifice cōtigisse hoc concilium, satìs patet ex epist. Innocentij 24. ad Synodum Toletanam: quam contigisse verisimile est Stilicone II. & Antonino conss.

CONCILII TOLETANI I. DE SACRIFICIO CANONES.

Pœnitentes nō admittãtur ad id officij, vt Apostolum aut Euangelium in Ecclesia legant.

Concil. Tolet. I. can. 2. ITEM placuit, (inquiunt huius Concilij Patres) vt pœnitentes non admittantur ad clerum, nisì tantùm si necessitas aut vsus exegerit: & tunc inter Ostiarios deputentur, vel inter Lectores, ità vt Euangelia aut * Apostolum non legant.

* epistolā

Immò Diaconi post pœnitentiam sacra tractare non permittuntur.

Ibidèm. SI aũt antè (inquiunt) ordinati sunt Diacones, inter subdiacones habeantur, ità vt manum non imponant, nec sacra contingant.

Sacrificio quotidiano intersint omnes clerici.

Ibid. cã. 5. PRESBYTER (inquiũt) vel diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet Ecclesię deputatus clericus, si intrà ciuitatem fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, aut castella, aut vici sunt, aut villæ, si ad Ecclesiam,

clesiam, aut ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur: si castigatus, per satisfactionem veniam ab episcopo noluit promereri.

Nunquàm communicantes, abstineantur.

De his (inquiunt) qui intrant in Ecclesiam, & deprehenduntur nunquàm communicare, admoneantur. Quòd si non communicant, ad pœnitentiam accedant. Si communicant, nō semper abstineant. Si non fecerint, abstineantur. Ibidèm ca. 13.

Acceptā à sacerdote Eucharistiā si quis nō sumpserit, ꝓpellatur.

Si quis aūt (inquiunt) acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur. Ibidèm ca. 14.

CONCILII CVIVSDAM CARTHAGINIENSIS CANON. DE PRECIBVS ET PRAEFATIONIBVS ADPROBATIS.

Contigit hoc Concilium Honor. VII. & Theodos. II. Conss. quod plenarium fuit totius Africæ.

PLACVIT (inquiunt Patres, vtì citatur hic Canon in Africano Concilio & apud Balsamonem) hoc, vt preces quę probatę fuerint in Concilio, siue Pręfationes, siue commēdationes, seu manūs impositiones, ab omnibus celebrētur: nec aliæ omninò contra fidem proferantur, sed quæcunq; cum prudentioribus fuerint collatæ, dicantur. Quem sanè Canonem tanquàm etiam Carthaginiēsis Concilij citat Vualafrid. Strabus de rebus Eccl. c. 22. Afric. cōcil. ca. 70. Balsam. Carthag. Concil. ca. 106.

ALARICI GOTTHORVM REGIS, IN VRBIS ROMAE EXPVGNATIONE, ERGA ECCLESIAS ET VASA SACRA REVERENTIA.

Adest (inqt Paul⁹ Orosius) Alaricus, trepidā Romā obsidet, turbat, irrūpit. Dato tn̄ ꝑcepto priùs, vt si q in sancta loca, ꝑcipueq́; in sanctorū Apostolorū Petri & Pauli basilicas confugissent, hos inprimìs inuiolatos securosq́; esse sinerēt. Et paulopòst: Discurrētibus itaq; ꝑ vrbē barbaris, fortè vn⁹ Gothorū, ideq́; potēs & Christian⁹, Paul. Oros. l. 7. aduers. pag. c. 29.

sacram

ſacram Deo virginem iam ætate prouectam, in quadam eccleſiaſtica domo reperit: cumq; ab ea aurum argentumque honeſtè expoſcere, illa fideli conſtantia eſſe apud ſe plurimum, & mox proferendum ſpopondit, ac protulit. Dumque expoſitis opibus attonitum barbarum magnitudine, & pondere, ac pulchritudine, ignota etiam vaſorum qualitate * videret, virgo Chriſti ad barbarum ait: Hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt. Præſume, ſi audes: de facto tu videris. Ego, quia defendere nequeo, * contendere nõ audeo. Barbarus verò ad reuerentiam religionis, timore Dei & fide virginis motus, ad Alaricum hæc per nuncium retulit, qui continuò reportari ad Apoſtoli baſilicam vniuerſa, vt erant, vaſa imperauit: virginem etiam, ſimulque omnes, qui ſe adiungerent, Chriſtianos eodèm cum defenſiõe deduci. Ea domus à ſanctis ſedibus longo (vt ferunt) & medio interiectu vrbis aberat. Itaque magno ſpectaculo omnium, diſpoſita per ſingulos ſingula, & ſuper capita elata palàm aurea atque argentea vaſa portantur, exertis vndiquè ad defenſionem gladijs, pia pompa munitur. Hymnis Deo Romanis barbariſq; concinentibus, publicè canitur. Perſonat latè in excidio vrbis ſalutis tuba, omneſque etiam in abditis latentes inuitat ac pulſat. Concurrunt vndiquè ad vaſa Petri, vaſa Chriſti: plurimi etiam pagani Chriſtianis profeſſione, ſi non fide, admiſcẽtur: & per hoc tamen ad tempus, quo magìs confundantur, euadunt. Quanto copioſiùs aggregantur Romani confugientes, tanto auidiùs circunfunduntur barbari defenſores. O ſacra & ineffabilis diuini iudicij diſcretio. O ſanctum iſtud & ſalutare flumen, quod * per arua exortum, dum beato alueo in ſanctorum ſedes tendit, oberrantes periclitanteſq; animas in ſalutis ſinum pia rapacitate peruexit.

* teneret,

* intelligere

* parua exortum domo, dũ

DONATISTARVM EPISCOPORVM SACRIFICIA.

SED

SED iterùm attendant, (inquit D. Augustinus, contra Parmeniani epistolam scribens) vtrùm saltem Optatus habuerit aliquam maculam, aut aliquod vitium? Non vsqueadeò cæci sunt, vt istius vitam omninò immaculatam, & omninò vitio carentem fuisse respondeant. Cur ergò accedebat dona offerre Deo, & ab eo cæteri coniunctis manibus accipiebant, quod maculosus & vitiosus obtulerat? August. cōt. Parm. l. 2. c. 7.

ET rursùm contra literas Petiliani: Per hanc sententiam Apostolicam, Omnia munda mundis: etiam vos Optati (Gildonianū illum intelligere videtur) sacrificio non estis polluti, si facta eius displicebant vobis. Nam vtiq; panis illius, luctus erat, sub cuius iniquitatibus Africa tota lugebat: sed panem luctûs omnibus vobis cōmunem esse, omnium vestrûm malum schismatis facit. Idē cōtra Petil. lib. 2. ca. 52.

EODEM pertinet, quòd totiès Donatistis opponit cómunia cū Catholicis sacraméta, vndè & fratres eos nuncupat D. Augustinus.

ET inprimìs illud eiusdem: Pro infirmis, pro carnaliter sapiētibus, pro animalibus & carnalibus, tamen pro fratribus nostris, eadem sacramenta celebrantibus, & si non nobiscum, eadem tamen: vnū Amen respondētibus, & si non nobiscum, vnū tamē: hortamur medullas charitatis vestræ, fundatis ad Deum preces pro eis. Idem in Psalm. 32. concil. 2. sub finē.

EODEM spectat illud, quòd in collatiōe illa celeberrima Donatistarum cum D. Augustino, tanquàm ipsis omnia essent & integra Ecclesiæ sacramenta, Catholicū id volebat nuncupare Gaudentius ipsorū Episcopus, quod sacramētis plenum est, vt ità suam Ecclesiam Catholicam faceret. Acta Collationis MS. apud fr. Balduinum. August. epist. 49.

ILLVD item Patrum Cirthensis Cōcilij (quod perperàm Zerthēse inscribitur) post dictam collationem Cirthę in Numidia celebrati: Si verò id quod vobis pręstitit Deus, non contempseritis, & post causam tam diligēter actam, & tam diligēter manifestatā, peruersam cōsuetudinē relinquētes, paci Christi & vnitati cōsenseritis, de vestra correctione gaudebimus: & sacramēta Christi quę in August. Epist. 152.

ſacrilegio ſchiſmatis ad iudicium habetis, vtilia & ſalubria vobis erunt, cùm in Catholica pace habueritis caput Chriſtum, vbi charitas cooperit multitudinem peccatorum.

EORVNDEM CONTRA SACRIFICIA CATHOLICORVM, CALVMNIA.

Idẽ epiſt. 48. ad Vincent. Rogatiſtam.

QVAM multis (inquit idem D. Auguſt. de iis loquens, qui à Donatiſtis ſeducti erant) aditum intrandi obſerabant (ſic enim lego, pro, obſeruabant) rumores maledicorum, qui neſcio q̃d aliud nos in altare Dei ponere iactitabant.

PAGANORVM ITEM ADVERSVS SACRIFICIVM CALVMNIA.

Idẽ adu. Manich. l. 20. c. 13.

QVOMODÒ ergò (inquit) comparas panem & calicem noſtrum, & parem religionẽ dicis, errorẽ lõgè à veritate diſcretum: peiùs deſipiẽs, quàm nõnulli, qui nos, propter panem & calicem, Cererẽ ac Liberum colere exiſtimãt? Quod ideò commemorandum putaui, vt aduertatis, ex qua vanitate veniat etiam illud veſtrum, quòd propter ſabbatũ, Saturno dicatos fuiſſe patres noſtros putatis. Sicut eñ à Cerere & Libero Paganorũ diis lõgè abſumus, quãuìs panis & calicis ſacramentũ (quod ità laudâſtis, vt in eo nobis pares eſſe volueritis) noſtro ritu amplectamur: ità patres noſtri longè fuerunt à Saturniacis catenis, quãuìs pro tempore ꝓphetiæ, ſabbati vacationem obſeruauerint.

Cõtigit vtrunq; hoc cõc. codẽ tẽpore, vtì ex eorũ epiſt. & reſpõſis patet Innoc. papæ apud D. Aug. ep. 90. 91. 92. & 93.

PATRVM CONCILII CARTHAGINIENSIS CONTRA PELAGIVM ET CAELESTIVM, BENEDICTIONES ET PRECES SVPER POPVLVM.

Cõci. Carthag. epi. ad Innocẽt. papã.

CONTRADICITVR etiam (inquiunt Epiſt. ad D. Innocẽt. papam de Actis eius cõcilii ſcripta) iſtorũ cõtentione Benedictionibus noſtris, vt incaſsùm ſuper populum dicere videamur, quicquid eis à Dño precamur, vt rectè ac piè viuẽdo illi placeant,

vel illa, quę pro fidelibus precatur Apostolus, dicēs: Flecto genua mea ad patrem Dn̄i nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, vt det vobis secūdùm diuitias gloriæ suę, virtute corroborari per spiritum eius. Si ergò voluerimus benedicēdo super populum dicere, Da illi virtutē Dn̄e, corroborari per spiritum tuum, istorum nobis disputatio contradicit, adfirmans liberum negari arbitrium, si hoc à Deo poscitur, quod in nostra est potestate. Ephe. 3.

CONCILII MILEVITANI, IN NVMIDIA CONTRA EOSDEM, CANON QVALIS SVPRA, DE ORATIONIBVS SEV MISSIS ADPROBATIS.

PLACVIT etiā & illud, (inquiunt eius Cōcilij Patres) vt preces vel orationes, seu Missę, quę probatę fuerint in Cōcilio, siue Præfationes, siue commendationes, seu manûs impositiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omninò dicantur in Ecclesia, nisi quę à prudētioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, nè fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum. Concil. Mileu. cap. 12.

QVI citatur non modò à Vvalafrido, etiam huius Cōcilij titulo, sed & à Micrologo ca. 5. Concilij Africanę Prouinciæ octaui titulo, alludens ad Africanorum Conciliorū Centonē Latinum, qui ità collectus videtur à quopiam eius ætatis Episcopo, sicutì à Martino Episcopo Bracarēsi Gręcorum Conciliorum Canones.

D. PAVLINI NOLANI EPISCOPI ARCANORVM DEI MINISTERIVM.

Ad sacerdotium initiatio.

Barchinone (inqt de se D. Paulinus) die Dn̄i quo nasci carne dignat⁹ est, repētina (vt ipse testis est) vi multitudinis, sed credo ipsius Paulin. Nolan. epi. 6. ad Seuerum.

lego * correptus,

ordinatione * correctus, & presbyteratu initiatus ſum. Fateor inuitus, non faſtidio loci, (nam teſtor ipſum, quia & ab æditui nomine & officio optaui ſacram incipere ſeruitutẽ) ſed vt aliò deſtinatus, alibì (vt ſcis) mente compoſitus & fixus, nouum inſperatumq́; placitum diuinę volũtatis expaui. Data igitur ceruice in iugũ Chriſti, video maiora me meritis & ſenſibus opera tractare: iamq́; arcanis & penetralibus Dei ſummi receptum & inſertum communicare cęleſtia, & Deo ꝓpiùs admotũ in ſpiritu ipſo Chriſti & corpore & ſplendore verſari, vix adhuc intellectũ ſacrę molis capio mentis anguſtijs, & onus muneris mei, conſcius infirmitatis, horreſco: ſed is qui ſapiẽtiam paruulis dedit, & ex ore infantiũ atq; lactẽtium ꝑficit laudem ſibi, potẽs eſt in me etiã opus ſuum perficere, & munus ornare, vt ſe dignum faciat, quem ab indigno vocauit. Scito tamen, voti communis, eodem Dño pręſtante, ſaluam eſſe rationẽ. Nam ea cõditione in Barchinonenſi Eccleſia conſecrari adductus ſum, vt ipſi Eccleſię nõ alligarer, in ſacerdotium tantùm Dñi, non etiam in locũ Eccleſię, dedicatus. Veni igitur, ſi placet, ante Paſcha, (quod nobis optatius eſt) vt ſacras ferias, me ſacerdote, concelebres.

Mutilus videtur locus.

Altaris Dei miniſterium, & hoſtiæ immolatio.

Idẽ Epiſt. 4. ad Amandum.

PRAEVENTI igitur (inquit alibì) à Dño, & appræhenſi ab eo, quem necdùm appręhẽdimus, deſeruímus altario Dei, & mẽſis ſalutaribus miniſtramus, iam nomine officioq́; ſeniores, ſenſu adhuc paruuli, & ſermone lactentes. Quod miniſterium vt benè miniſtrẽ, & gradum bonũ mihi acquiram, & ſciam qualiter oporteat me in domo DEI conuerſari, & tractare myſterium pietatis, tu dñe venerabilis & frater, & dñe in Chriſto, nobis ora Dominum.

ET alibì:

Idẽ carm. ad Cyther.

Tunc ambo nexi ad inuicèm dextras damus
In oſculo pacis ſacræ:
Et immolamus hoſtiam laudis Deo,
Grateſque Chriſto reddimus.

Eccleſiæ

Ecclesiæ vniuersę pro defunctis supplicatio.

DIV (inquit ad illum scribens D. Augustinus) sanctitati tuæ coëpiscope & venerande Pauline, rescriptorum debitor fui, ex quo mihi scripsisti per homines filię nostrę religiosissimę Floræ, quærens à me, vtrùm prosit cuiq; post mortem, quòd corpus eius apud Sancti alicuius memoriam sepelitur. Hoc enim abs te vidua memorata petiuerat pro defuncto in eis partibus filio suo, & rescripseras consolans eam, idq́; etiam nuncians de cadauere fidelis iuuenis Cynegij: quod materno & pio affectu desiderauit, esse completum, vt videlicet in beatissimi Felicis confessoris Basilica poneretur. Qua occasione factum est, vt per eosdem perlatores literarum tuarum etiam mihi scriberes, ingerens huiuscemodi quęstionem: atque vt responderem, quid indè mihi videretur, exposcés, nec tacens ipse quid sentias. Nam dicis videri tibi, non esse inanes motus animorum religiosorum atque fidelium, pro suis ista curãtium. Adiungis etiam vacare non posse, quòd vniuersa pro defunctis Ecclesia supplicare cõsueuit: vt hinc & illud conijci possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando eius corpori talis prouideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quęsita sanctorum. August. de cura pro mort. c. 1.

Sacri cœtus in solennitate D. Felicis.

NOSTIS (inquit) eum morem, vt ieiunare solemus Idem nat. 7. B. Felicis.
Ante diem, & sero libatis vespere sacris,
Quisq; suas remeare domos: tunc ergò solutis
Cœtibus à templo Domini, postquàm data fessis
Corporibus requies, sumpta dape: cœpimus hymnis
Exultare Deo, & psalmis producere noctem.

Et alibì.

AVREA nunc niueis ornantur limina velis Idem nat. 3. B. Felic.
Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Nocte dieq; micant, sic nox splendorq; diei
Fulget, & ipsa dies cælesti inlustris honore,
Plus micat, innumeris lucem geminata lucernis.

Basilicarum ad immolationem hostiæ, ædificatio.

Idē epist. ad Amād. PROSPECTVS verò (inquit) basilicæ, non vt vsitatior mos est, orientem spectat, sed ad Domini mei B. Felicis basilicam pertinet, memoriam eius adspiciens, tamen cum duabus dextra leuaq; * chonculis intrà spatiosum suî ambitũ apsis sinuata laxetur: vna earum immolanti hostias iubilationis antistiti patet: altera post sacerdotem capaci sinu receptat orantes.

* cōchulis

Ibid. AC paulopòst, alludens ad cōsuetudinem etiam hodiè vsitatā: Itē dextra lęuaq; crucibus minio superpictis hęc epigrāmata sunt:

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuso tincta cruore rubet.

DEINDE post integram basilicę triplicis descriptionem, mentionem faciēs secretariorũ duorũ, quæ nos hodiè sacraria vocamus: Hi versus (inquit) indicāt officia singulorũ: A dextera apsidis.

HIC locus est, veneranda penus qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerij.

Earundem dedicatio cum reliquijs.

Idē epist. 11. ad Seuerum. TESTIS est Deus mihi, (inquit de eadē basilica loquēs) quòd si vel scrupulũ sacri cineris habuissemus, suprà quàm nobis ad basilicam, quæ proximè in nomine Domini consummabitur, dedicandam necessarium erat, misissemus vnanimitati tuæ.

Idē epist. 13. ad Seuer. ET alibì expreßiùs: Basilica illa, quę ad Dominimediũ (ità D. Felicem plerunq; nuncupat) nostrum communē patronum, in nomine Dñi Christi iam dedicata celebratur, quatuor eius basilicis addita, reliquijs apostolorũ & martyrũ intrà apsidē trichora sub altaria sacratis, nō solo B. Felicis honore venerabilis est. Itē de basilica Fundana: Verùm hanc basiliculā de benedictis Apostolorũ

Ibid.

& mar-

& martyrum reliquijs sacri cineris, in nomine Christi, sanctorum sancti, & martyrum martyris, & Dominorũ Domini, cõsecrabunt.

Idq; etiam cum hostiæ celebratione.

HVC pertinet & illud eiusdem: Idem nat. 10. B. Felicis.

Nanq; hodiè bis eam geminata nouatio comit,
Dum gemina antistes gerit illic munera Christi,
In geminos adytum venerabile dedicat vsus,
Castifico socians pia sacramenta lauacro.
Sic pariter templum nouat hostia, gratia fontem.

Panis benedicti siue Eulogiæ ad amicos missio in vnitatis symbolum.

PANEM (inquit) Campanũ de cellula nostra tibi pro eulogia misimus, tantùm meritis in Domino tuis freti, vt plena ad te perferendum suî gratia crederemus: tu licèt vberioribus micis à Domini mensa iam saturatus sis, dignare & à peccatoribus acceptum in nomine Domini panem, in eulogiam vertere. Idẽ epist. 1. ad Seuc.

AC rursùm: Panem vnum quem vnanimitatis indicio misimus charitati tuæ, rogamus accipiendo benedicas. Idẽ epist. 1. ad D. August.

ALIO loco deniquè: Panem vnum sanctitati tuæ vnanimitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas cõtinetur. Hunc panem eulogiam esse, tu facies dignatione sumendi. Idẽ epist. ad D. Alypium.

ET alibì: Nè vacuum fraternę humanitatis officium videretur, de buccellato Christianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidiè ad fragilitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter & filio nostro Licentio misimus. Nõ enim potuimus à benedictione secernere, quem cupimus eadem nobis gratia penitùs annectere. Idẽ epist. ad Romanian. inter Epist. D. Aug. adscriptus, num. 113.

DELPHINI BVRDEGALENSIS EPISCOPI, ECCLESIARVM AD HOSTIAS DEDICATIO.

Idē Epist. 2. ad Delphin.

VISIBILITER autem (scribit ad ipsum D. Paulinus) nobis operaris in fabricis Ecclesiarum, vt partem nobis facias cum illa, cuius domus à Christo meruit visitari, qui ab ea ędificatione tunc synagogæ, quod nunc Ecclesia est, testimonium religiosæ plebis acceperat. Fatemur venerandę pietati tuæ, legētibus nobis illam epistolę partem, qua Alingonensi Ecclesię nouam filiam te authore progenitam, iam in nomine Domini vsq; ad dedicationis diem creuisse signabas, ità exultâsse spiritum nostrum in Deo saluatore nostro, vt tanquàm in præsenti dedicantium cœtibus interessemus, illa de psalmis prophetici gaudij verba caneremus: Exultate Deo adiutori nostro, sumite psalmum, & date tympanum. Tollite hostias, & introite in atria Domini, adorate Dominum in aula sancta eius.

SEVERI SVLPITII BITVRICENSIS EPISCOPI, AD EVNDEM VSVM BASILICAE, PETITIS AD EAM RELIQVIIS, ERECTIO.

Idē epist. 11. ad Seuerum.

FRATER Victor (inquit ad illum rescribens D. Paulinus) inter alias operum tuorum & votorū narrationes retulit nobis, desiderare te ad basilicam, quam modò apud Primuliacū nostrum, maiorem priore condideris, de sacris sanctorum reliquijs benedictionem, qua adornetur domestica tua Ecclesia, vt fide & gratia tua dignum est.

SED quia nos nō habuimus huius muneris copiā, & ille se spem eiusdem gratię copiosam habere dixit, à sancta Siluia, quæ illi de multorum ex Oriente martyrum reliquijs spopondisset, inuénimus, quod dignè & ad basilicę sanctificationem vobis, & ad sanctorum cinerum cumulandā benedictionem mitteremus, partē particulæ de ligno diuinæ crucis, quod nobis bonum benedicta Melania ab Hierusalem, munere sancti indè Episcopi Ioannis, attulit.

ET

ET alibì: Quòd si Dominus desiderium animę vestræ fecerit, secundùm fidem vestram adijciens ornatui & sanctificationi operum vestrorum, vt sacros cineres de sanctis gloriosorum Apostolorum aut martyrũ reliquijs adipiscamini, qui huius voti præsumptione vos aliam apud Primuliacum nostrum, & priore maiorem basilicam prępparâsse cognouimus, dignum opere fidei vestrę, & operis fideliter elaborati dedicatione proculdubiò celeberrima, sanctorum reliquijs decens arbitramur, vt hoc etiam quod de cruce mi mus, pariter depositum, sacratumq; veneremini. Quod si ità placuerit, placitum vestrum hi (si videbitur) versiculi nunciabunt:

DIVINVM veneranda tegunt altaria fœdus,
 Compositisq; sacra cum cruce martyribus.
Cuncta salutiferi coëunt insignia Christi,
 Crux, corpus, sanguis, martyris ipse Deus.
Illa cibum vitæ mortalibus, illa coronas,
 Quę Domino famulos participant, peperit.
In cruce fixa caro est, qua pascor: de cruce sanguis
 Ille fluit, vitam quo bibo, corda lauo.
Christe, tuo coëant simul hæc tua dona Seuero,
 Porticus & testis sit crucis ista tuæ.
Carne tua viuat, tuus illi pocula sanguis
 Præbeat, in verbo viuat agatq; tuo.

AC paulò pòst: Si verò magìs placeat vobis, hanc de cruce benedictionem ad quotidianam tutelam atque medicinam in promptu habere, nè semèl condita in altario, non semper ad manum, vt vsus exigit, pręstò sit: sufficit & illa ad basilicæ consecrationem gratia, si Dominus eam Apostolis & martyribus †: quorum venerãdus cinis si sine crucis cõsortio subijciatur altaribus, hîc opertos titulus indicabit: Rursùm aliquid deest.

PIGNORA sanctorum, diuinæ gloria mensæ
 Velat apostolicis edita corporibus.

Vota ſacerdotis, viuentum & commoda, paruo
Puluere, ſanctorum mors precioſa iuuat.

D. ITEM VICTRICII ROTHOMAGENSIS EPISCOPI, MORINORVM ET NERVIORVM APOSTOLI, ECCLESIARVM NOVA CONSTITVTIO.

Idẽ epiſt. 2. ad Victric.

IN terra Morinorum (inquit eius laudes prædicans Paulinus) ſitu orbis extrema, quã barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus, gentium populi remotarum, qui ſedebant in latebris, via maris arenoſa, extra Iordanem, antequàm pingueſcerent fines deſerti in ea, orata ſibi per tuam ſanctitatẽ à Domino luce gaudentes, corda aſpera, Chriſto intrante, poſuerunt. Vbì quondàm deſerta ſiluarum ac littorum, pariter in tota aduenæ Barbari (ſic enim lego, pro eo, quod eſt, Barbaria) aut latrones incolę frequentabãt, nunc venerabiles & angelici ſanctorum chori vrbes, oppida, inſulas, ſiluas, Eccleſijs & monaſterijs plebe numeroſis, pace conſona celebrant. Quod quãquàm totius Gallię populis & vbiquè gentiũ Chriſtus operetur, qui totum orbem circuit, quęrens dignos ſe, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, & in vijs directionis oſtendit ſe hilariter, & omni prouidentia occurrit matoribus ſuis: tamen in remotiſsimo Neruici littoris tractu, quem tenui antehàc ſpiritu fides veritatis afflauerat, te (ità enim legendum, pro eo, quod eſt, et) potiſsimùm in vas electionis excerpſit, in te prima refulſit, clariùs inualuit, ardentiùs & propiùs apparuit, & in quo ſanctificaret illic nomen ſuum, & per cuius nomẽ etiam ſolis ab occaſu in oẽm terrã ſonus eius exiret, adſumpſit. Deniquè nunc Rothomagũ & vicinis antè regionibus tenui nomine peruulgatum, in longinquis etiam prouincijs nominari venerabiliter audimus, & inter vrbes ſacratis locis nobiles, cum diuina laude numerari.

Ibid.

Ac paulopòſt: Vbì quotidiano ſapienter pſallentium per frequentes

quentes Ecclesias & monasteria secreta concentu, castissimis ouiũ tuarum & cordibus delectantur & vocibus.

ATQVI locis ijsdem celebrata ab eodem sacrificia, satis indicat epistola suprà citata ad eundẽ D. Victriciũ D. Innocentij papę, scripta de continentia ministrorum Ecclesię ob quotidiana sacrificia. Innocent. Pap. epist. 2. c. 9.

EODEM verò pertinere videtur illud D. Augustini, Ad Oceani etiam littora in Occidentalibus partibus Ecclesiam peruenisse iam nouimus. August. epist. 80. ad Hesych.

FLORENTII TIBVRTINENSIS EPISCOPI OBLATIONES.

DEVS, (inquit ad illum scribens D. Paulinus) qui te amantẽ nostrî facere dignatur, non iuxta meritũ malum faciens, sed secundùm diuitias bonitatis suæ, vt nobis adiutoriũ, de patrocinio orationum tuarũ, tibi merces, de proximorũ etiam minorũ magna charitate cumuletur, memorem te nostrî perpetuò faciat, omnibus orationibus tuis & oblationibus curam nostræ salutis immisceat. Paulin. epist. ad Flor.

EODEM pertinet, quod suprà adduximus ex epistola ad ipsum D. Innocentij papę. Innoc. papa epist. 8.

NICETAE DACORVM ET GETARVM APOSTOLI ET EPISCOPI, SACRA LITATIO.

DIVVS Paulinus ad Nicetam stylũ vertẽs, qui Nolam ad D. Felicis reliquias peregrinatum venerat, sic ipsum alloquitur: Idem nat. 9. D. Felic.

Ingredere hæc, Psalmis recinens antistes & hymnis,
Et mea vota refer Domino, & tua gaudia votis
Iunge meis, celebrans communis festa patroni.
* Hora opportuna pro peccatore rogabis, * Tẽpore oportuno
Gaudentem Dominum te confessoris honore.
Hoc duce, procliui tua tramite vota ferentur.
Felix diuinas tibi præuius ibit ad aures,

Teq́ue ſacris pſalmis, ſimul & deuota litante
Obſequia, placido deſcendet numine Chriſtus,
Vt populum templumq́ue ſacra caligine velet,
Infundens niueam per operta ſacraria nubem.

EODEM pertinet illud D. Paulini, de eiuſdẽ reditu in Daciã:

QVIS mihi pennas daret vt columbę,
Vt choris illis citus intereſſem:
Qui Deum Chriſtum, duce te, canentes
Sidera pulſant?

AVDIENT Amen tremefacta cete,
Et ſacerdotem Domino canentem,
Læta laſciuo procùl admeabunt
Monſtra natatu.

Item illud:

MOS vbì quondàm fuerat ferarum,
Nunc ibì ritus viget angelorum,
Et latet iuſtus, quibus ipſe latro
Vixit in antris.

Illud quoquè:

TE patrem dicit plaga tota Boreæ
Ad tuos fatus Scytha mitigatur,
Et ſui diſcors fera, te magiſtro,
Pectora ponit.

ET Getæ currunt, & vterque Dracus,
Qui colit terrę medio, vel ille
Diuitis multo boue pelleatus
Accola ripæ.

ORBIS in muta regione per te
Barbari diſcunt reſonare Chriſtum
Corde Romano, placidamq́ue caſti
Viuere pacem.

His

His precor, cùm te domus alma ſancto
Cœperit fratrum numeroſa cœtu
In choris, & nos pietate chari
Pectoris abde.

D. AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI SACRIFICIA ET EORVNDEM RITVS.

Sacrificium ſoli Deo offerendum.

SACRIFICIVM certè (inquit D. Auguſtinus) nullus hominum eſt, qui audeat dicere deberi, niſì Domino ſoli. Multa deniquè de cultu diuino vſurpata ſunt, quæ honoribus deferuntur humanis, ſiue humilitate nimia, ſiue adulatione peſtifera: ità tamẽ, vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi: ſi autem eis multùm additur, & adorandi. Quis verò ſacrificandum cenſuit, niſì ei, quem Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit? Auguſt. de ciuit. Dei, lib. 10. ca. 4.

AC poſteà in eodem opere: Quibus igitur (interrogat) angelis de beata & ſempiterna vita credendum eſſe cenſemus? Vtrùm eis, qui ſe religionis ritibus coli volunt, ſibi ſacra & ſacrificia flagitantes à mortalibus exhiberi, an eis, qui hunc omnem cultum vni DEO creatori omnium deberi dicunt, eique reddendum vera pietate pręcipiunt? Ibidèm ca. 16.

DEINDE poſt multa quæſtioni reſpondens: Si qui ergò (inquit) angeli ſibi expetunt ſacrificium: præponendi eis ſunt, qui nõ ſibi, ſed Deo creatori omnium cui ſeruiunt. Hinc enim oſtendũt, quàm ſyncero amore nos diligunt, quandò per ſacrificium non ſibi, ſed ei nos ſubdere volunt, cuius & ipſi contemplatione beati ſunt, & ad eum * non peruenire quęrunt, à quo ipſi non receſſerũt. Ibidèm. *nos

EODEM pertinet illud eiuſdem: Proindè verum ſacrificium, quod vni vero debetur Deo, quo eius altare ſolus Chriſtus impleuit, Idẽ cõtra Fauſt. Manich. lib. 20. ca. 18.

uit, in victimis pecorum imitata dæmonia, sibi arroganter expo-
1.Cor. 10. scunt. Vndè dicit Apostolus: Quę immolāt gētes, dęmonijs immolant, & nō Deo: non quod offerebatur culpans, sed quia illis offerebatur. Hebręi aūt in victimis pecorum, quas offerebāt Deo, multis & varijs modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabāt futuræ victimę, quam Christus obtulit. Vndè iam Christiani, peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.

Idque non inuisibile modò, sed & visibile.

Augu. de ciuit. Dei li. 10. c. 19. QVI autem putant (inquit) hęc visibilia sacrificia dijs alijs congruere, illi verò tanquàm inuisibili inuisibilia, & maiori maiora, meliorīq; meliora, qualia sunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia: profectò nesciunt hęc ità esse signa illorum, sicut verba sonātia, signa sunt rerum. Quocircà sicut orantes atq; laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus: ità sacrificantes, non alteri visibile sacrificium offerendum esse nouerimus, quàm illi, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nosipsi esse debemus. Tunc nobis fauent, nobisq; congaudent, atq; ad hoc ipsum nos pro suis viribus adiuuant angeli quiq;, virtutesq; superiores, & ipsa bonitate ac pietate potentiores. Si aūt illis hęc exhibere voluerimus, non libenter accipiunt, & cùm ad homines ità mittūtur, vt eorū pręsentia sentiatur, apertissimè vetant. Sunt de his exempla in literis sanctis. Putauerunt qui-
Apocal. 19. & 22. dam deferēdum angelis honorē, vel adorando, vel sacrificādo, qui debetur Deo, & eorū sunt admonitione prohibiti, iussiq; sunt hæc ei deferre, cui vni fas esse nouerūt. Imitati sunt angelos sanctos etiam sancti homines Dei. Nam Paulus & Barnabas in Lycaonia facto quodam miraculo sanitatis, putati sunt dij, eisq; Lycaonij immo-
Act. 14. lare victimas voluerūt, quod à se humili pietate remouētes, eisq; in quem crederent, annunciauerunt Deum.

Idē cōtra aduer. le. ET alibì refellens Manichęos, sacrificiū visibile reprobātes: De sacri-

ſacrificio (inquit) iſte valdè nihil ſapit: & ideò fallitur, quia iam ſacrificia talia non offert Dei populus Deo, poſteaquàm venit vnicum ſacrificium, cuius vmbræ fuerunt illa omnia, non hoc improbantia, ſed hoc ſignificãtia. Sicut enim res vna multis locutionibus & multis linguis ſignificari poteſt: ſic vnum verum & ſingulare ſacrificium, multis eſt anteà ſacrificiorum ſignificatum figuris. De q̃bus ſingulis hîc diſputare quàm ſit longum, videtis. Vnum tamen ſciant inſipientes, tardi ad intelligendum, & pręcipites ad repręhẽdendum, ꝙ dęmon ſibi ſacrificium nõ exigeret, nisì Deo vero deberi ſciret. Falſus enim Deus ſic ſe vult honorari ab eis quos decipit, quomodò verus Deus honoratur ab eis quibus conſulit. Et maximè ſacrificium eſt, quod pręcipuè debetur Deo. Nam obſequia cętera, q̃ diuinitati exhibẽtur, auſi ſunt ſibi etiã ſuperbię faſtu homines arrogare. Rariſſimi aũt commemorãtur, qui ſibi vt ſacrificaretur, cùm regia poteſtate poſſent, auſi fuerint imperare. Quicunq; tamẽ auſi ſunt, per hoc ſe deos haberi voluẽrunt. ge & Proph. lib. 1. cap. 18.

AC paulò pòſt: Quod eſt aũt ſacratius laudis ſacrificium, quàm in actione gratiarum? Et vndè maiores agendæ ſunt Deo gratiæ, quàm pro ipſius gratia per Ieſum Chriſtũ Dñm noſtrum? Quod totum fideles in Eccleſiæ ſacrificio fieri ſciunt, cuius vmbræ fuerũt omnia priorum genera ſacrificiorum.

Ad ſacrificij oblationem, templa, altaria, ſacerdotia ſoli Deo inſtituta.

HOC ſanè (inquit) nec in iſta breuitate p̃tereundũ eſt, ꝙ templum, ſacerdotẽ, ſacrificiũ, & alia quæcũq; ad hęc pertinẽtia, nisì vni vero Deo deberi nôſſent dij falſi, hoc eſt, dæmones, q̃ ſunt p̃uaricatores angeli, nũquàm hæc ſibi à cultorib⁹ ſuis quos decipiũt, expetîſſent. Verùm hæc cùm exhibẽtur Deo ſecũdùm eius inſpirationẽ atq; doctrinã, vera religio eſt: cùm aũt dęmonibus ſecũdùm eorũ impiã ſuperbiã, noxia ſuperſtitio. Quapropter qui Chriſtianas literas vtriuſq; teſtamẽti ſciũt, non hoc culpant in ſacrilegis ritibus Idem Epiſt. 49. ad Deogr

Paga-

Paganorum, quòd instruant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia, sed quòd hęc idolis & dęmonijs exhibeant.

Idē de ciuit Dei li. 7. c. 27.

ET alibì: Si templo, si sacerdote, si sacrificio, quod Deo vero debetur, colatur aliquod elementum mūdi, vel creatus aliquis spiritus, etiamsi non immundus & malus, non ideò est malum, quia illa mala sunt quibus colitur: sed quia illa sunt talia, quibus solus ille colendus sit, cui talis cultus seruitusq; debetur.

Idem cōt. Faust. Manich. loco cit.

RVRSVM alio loco: Et tamen volo, mihi dicatis, vndè ista omnia, quæ laudatis in vobis, his nominibus appelletis, vt dicatis templum, aram, sacrificium. Si enim vero Deo ista vera non debentur, cur laudabiliter in vera religione prædicantur? Si autem Deo vero verum sacrificium ritè debetur, vndè etiam diuini honores rectè appellantur: cętera quę dicūtur sacrificia, ad similitudinem fiunt cuiusdam veri sacrificij.

Basilicæ item in honorem martyrum, sed Deo fabricatæ.

Eo. li. c. 21.

POPVLVS (inquit) Christianus, memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ità tamē, vt nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quanuìs in memorias martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum, in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquandò dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit, vt ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum quo adiuuante possumus. Colimus ergò martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorū cor ad talem pro euangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto deuotiùs, quanto securiùs post incerta omnia superata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus, iam in vita feli-

feliciore victores, quàm in ista adhuc vsque pugnantes. At illo cultu, quæ Græcè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cùm sit quędam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisì vnum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificij, vndè idololatria dicitur eorũ, qui hoc etiam idolis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerẽdum pręcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam angelo: & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur. Ipsi enim sancti, vel homines, vel angeli, exhiberi sibi nolũt, quod vni Deo deberi nôrunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, Actor. 14.
cùm cõuicti miraculis, quę per eos facta sunt, Lycaonij, * tãquàm * cis
dijs immolare voluerũt: cõscissis eñ vestimẽtis suis, cõfitẽtes & ꝑsuadẽtes se deos nõ esse, ista sibi fieri vetuerũt. Apparuit & in angelis, sicut in Apocalypsi legimus, angelum se adorari prohibentem, Apocal.
ac dicentẽ adoratori suo: Cõseruus tuus sum & fratrũ tuorũ. Ista si- 19. & 22.
bi planè superbi spiritus exigũt, diaboli & angeli eius, sicut per om̃ia templa & sacra gẽtilium. Quorũ similitudo in quibusdam etiam superbis hominibꝰ expressa est, sicut de Babyloniæ quibusdã regibus memorię commẽdatũ tenemus. Vndè S. Daniel accusatores ac Dan. 4.
persecutores pertulit, ꝙ regis edicto proposito, vt nihil à quoquã deo peteretur, nisì à rege solo, Deũ suum, hoc est, vnũ & verum Deum, adorare deprecariq; depręhensus est. Qui aũt se in memorijs martyrum inebriãt, quomodò à nobis approbari possunt, cùm eos, etiamsi in domibus suis id faciãt, sana doctrina cõdemnet? Sed aliud est, quod docemus: aliud, quod sustinemus: aliud, quod præcipere iubemur: aliud, quod emendare præcipimur: & donèc emendemus, tolerare compellimur. Alia est disciplina Christianorum, alia luxuria vinolentorũ, vel error infirmorũ. Veruntamẽ & in hoc ipso distant plurimùm culpæ vinolentorũ, & sacrilegorum. Longè quippe minoris peccati est, ebrium redire à martyribus, q̃ vel ieiu-

num ſacrificare martyribus. Sacrificare martyribus, dixi: non dixi, ſacrificare Deo in memorijs martyrum, quod frequentiſsimè facimus, illo duntaxàt ritu, quo ſibi ſacrificari noui teſtamenti manifeſtatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, quæ latria dicitur, & vni Deo debetur.

Idẽ de ciuit. Dei li. 8. c. 27. ALIO item loco: Nec tamen nos (inquit) eiſdem martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorũ, tanquàm ſanctorum hoĩm Dei, qui vſq; ad mortem ſuorum corporũ pro veritate certârũt, vt innoteſceret vera religio, falſis religionibus fictiſq; conuictis: quod etiam ſi qui anteà ſentiebant, timendo reprimebant. Quis aũt audiuit aliquandò fideliũ ſtantem ſacerdotẽ ad altare, etiam ſuper ſanctũ corpus martyris, ad Dei honorẽ cultumq́; conſtructũ, dicere in precibus: Offero tibi ſacrificiũ Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cęleſti honore ſociauit: vt ea celebritate & Deo vero de illorũ victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarũ atq; palmarũ, eodem inuocato in auxilium, ex eorũ memoriæ renouatione adhortemur? Quæcunq; igitur adhibẽtur religioſorum obſequia in martyrũ locis, ornaméta ſunt memoriarũ, nõ ſacra vel ſacrificia mortuorũ, tanq̃ deorũ. Quicunq; etiã epulas ſuas eò deferũt, quod q̃dem à Chriſtianis melioribus nõ fit, & in pleriſq; terrarũ nulla talis eſt cõſuetudo: tñ quicunq; id faciũt, quas cùm appoſuerint, orãt, & auferũt, vt veſcantur: vel ex eis etiã indigẽtibus largiantur, ſanctificari ibì eas volũt per merita in nomine Dñi martyrum. Non aũt iſta eſſe ſacrificia martyrum nouit, qui nouit vnũ quod Deo illic offertur, ſacrificium Chriſtianorum.

Ibid. lib. 21. c. 10. ET poſteà in eodem opere: Nos autem martyribus noſtris non templa ſicut dijs, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus: nec ibì erigimus altaria, in qui-

in quibus ſacrificemus martyribus, ſed vni Deo, & martyrum, & noſtro, ſacrificium immolamus: ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſsione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur: non tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, inuocantur. Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quanuis in memoria ſacrificet eorum: quia Dei ſacerdos eſt, non illorum. Ipſum verò ſacrificium, corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi.

Conſecrata iam tum illa omnia ſigno crucis.

CRVCIS (inquit) charactere baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris ſacramẽta cum interpoſitione Dominicorum verborum conficiuntur: ſacerdotes & Leuitę per hoc idem ſignum ad ſacros ordines ꝓmouẽtur. Et vniuerſaliter omnia Eccleſiaſtica ſacramenta, in huius virtute perficiuntur. Idẽ ſerm. 19. de ſanctis.

Etiam reliquijs inſignita.

ACCEPERAT aũt (inquit) ab amico ſuo terram ſanctam, de Hieroſolymis allatam, vbì ſepultus Chriſtus, die tertio reſurrexit: eamq; ſuſpenderat in cubiculo ſuo, nè quid mali etiam ipſe pateretur. At vbì domus eius ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat: quam diutiùs in cubiculo ſuo reuerentiæ cauſa habere nolebat. Fortè accidit, vt ego & collega tũc meus Epiſcopus Synicẽſis Eccleſię Maximinus, in proximo eſſemus: vt veniremus, rogauit: & vénimus. Cumq; nobis oĩa retuliſſet, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubì, atque ibì orationũ locus fieret: vbì etiam poſſent Chriſtiani, ad celebrãda, quæ Dei ſunt, cógregari. Nó reſtitimus, factum eſt. Erat ibì iuuenis paralyticus ruſticanus, qui hoc audito, petiuit à parentibus ſuis, vt illum ad eum locum ſanctũ non cunctanter afferrent. Quò cùm fuiſſet allatus, orauit: atq; indè continuò pedibus ſuis ſaluus abſceſsit. Idẽ de ciuit. Dei l. 22. c. 8.

In vſum quoquè celebrandorum ſacramentorum vaſa conſecrata.

Idem in Psal. 113. Concil. 2. SED ENIM (inquit) & nos pleraque instrumenta & vasa ex huiuscemodì materia vel metallo habemus in vsum celebrandorũ sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur in eius honore, cui pro salute nostra indè seruitur. Et sunt ꝑfectò etiam ista instrumenta vel vasa, quid aliud, quàm opera manuum hominum? Veruntamen nunquìd os habent, & non loquentur? Nunquìd oculos habẽt, & non videbũt? Nunquìd eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo?

Sacrificia quotidiana in Africa.

Idẽ de ciuit Dei l. 10. c. 20. CHRISTVS (inquit) sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentũ quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificiũ, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tã ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri. Huius veri sacrificij multiplicia variaq; signa, erant sacrificia prisca sanctorum, cùm hoc vnũ per multa figuraretur, tanquàm verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multùm commẽdaretur. Huic summo veroq; sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt.

Idẽ ep. 86. ET rursùm: Sacrificiũ laudis ab Ecclesia toto orbe * diffusum, diebus omnibus immolatur.

Alibì Sabbato tantùm & Dominico diebus, vel dominico tantùm.

Idẽ. epist. 118. ad Ianuar. ca. 2. ALII (inqt) quotidiè communicant corpori & sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt. Alibì nullus dies intermittitur, quo non offeratur: Alibì Sabbato tantùm & Dominico, alibì tantùm Dominico.

Populi conuentus ad sacrificia.

Idẽ serm. 254. de tempore. IN cõgregatiõe (inquit) Christiana quãtùm pertinet ad participationẽ & cõmunionẽ sacramẽtorũ, multiplicati sunt suꝑ numerũ.

Idem ad Ianuar. epist. cit. cap. 18. ET alibì: Quandò autem nõ est tempus, quum in Ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi? &c. vt infrà latiùs de psalmorũ & hymnorum cantu.

EODEM

EODEM & illud pertinet: Quærenti peregrino, vbì ad Catholicam conueniatur: nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel locum audebit ostendere. Idem cōt. epist. Manich. c. 4.

ITEM illud: Dies anniuersarius Ordinationis domini senis Aurelij crastinus illucescit, rogat & admonet per humilitatem meã charitatem vestram, vt ad basilicam Fausti deuotissimè venire dignemini. Idē serm. 33. de verbis Domini secundũ Lucam.

In eo pars certa fœminis deputata.

CARTHAGINE (inquit) Innocentia religiosiss. fœmina in mamilla cancrum habebat. Admonetur in somnis appropinquãte Pascha, vt in parte fœminarum, obseruanti ad baptisterium, quæcunque illi baptizata primitùs occurrisset, signaret ei locum signo crucis Christi: fecit, & confestìm sanitas secuta est. Idem de ciuit. Dei l. 22. c. 8.

Stationes Dominicis diebus, & Paschali tempore.

PROPTER hoc (inquit) ieiunia relaxamus, & stantes oramus, quod est signum resurrectionis. Vndè etiam omnibus diebus Dominicis ad altare id obseruatur. Idē epist. 119. ad Ianuar. c. 15.

AC paulopòst: Vt autem stantes in illis diebus & omnibus Dominicis oremus, vtrùm vbiquè seruetur, ignoro: tamen quid in eo sequatur Ecclesia, dixi, vt potui, & arbitror esse manifestum. Ibid. c. 17

Aliâs genuflexio, extensio manuum, prostratio, & similes cęremoniæ.

NAM & orantes (inquit) de membris sui corporis faciũt quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extẽdunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt: quanuìs eorum inuisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit: nec ille indigeat his indicijs, vt humanus ei pandatur animus: sed his magìs seipsum excitat homo ad orandum, gemendumque humiliùs atq; feruentiùs. Et nescio, quomodò, cùm hi motus corporis fieri, nisì motu animi præcedente, non possint, eisdem rursùs exteriùs visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos fecit, au- Idem de cura pro mort. c. 5.

getur: ac per hoc cordis affectus, qui, vt fierent ista, præcesſit, quia facta sunt, crescit.

Oratio Orientem versùs.

Idem l. 2. de serm. Domini in monte c. 9.

Accommodatisſima (inquit) ista similitudo est, vt spiritaliter tantnm interesse videatur inter iustos & peccatores, quantū corporaliter inter cęlum & terram. Cuius rei significādæ gratia, cùm ad orationes stamus, ad Orientem conuertimur, vndè cælum surgit: non tanquàm ibì sit Deus, & quasi cæteras mūdi partes deseruĕrit, qui vbiquè præsens est, non locorum spatijs, sed maiestate potētię: sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorē se cōuertere, id est, ad Dominum, cùm ipsum corpus eius quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est, ad corpus cęleste conuertitur.

Sacrificij ad altare oblatio.

Idem de ciuit. Dei l. 10. c. 5.

HOC est (inquit) sacrificium Christianorum: multi vnū corpus sumus in Christo: quod etiam sacramēto altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, vbì ei demonstratur, quòd in ea oblatione, quam offert, ipsa offeratur.

Idem de Trinit. l. 3. c. 10.

ET rursùm: Sicut infantes nō nouerūt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione cōsumitur, vndè vel quomodò cōficiatur, vndè in vsum religionis assumatur. Et si nunquàm discāt experimento vel suo vel aliorum, & nunquàm illam speciē rerum videant, nisì inter celebrationes sacramentorum, cùm offertur & datur, dicaturq; illis authoritate grauisſima, cuius corpus & sanguis sit: nihil aliud credent, nisì omninò in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de latere tali percusso, liquorem illum omninò fluxisse.

Idē epist. ad Casul. 86.

HVC & illud pertinet de Vrbico calumniatore: Iste autē qui vetera transisse sic dicit, vt in Christo cederet ara altari, gladius ieiunio, precibus ignis, pani pecus, poculo sanguis, nescit altaris nomē magìs legis & prophetarum literis frequentatum, & altare DEO priùs in tabernaculo, per Moysen facto esse collocatum: Aram quo-

quoquè in Apoſtolicis literis inueniri, vbì martyres clamant ſub ara Dei. Dicit ceſsiſſe ieiunio gladium, nõ recordans illũ quo milites Euangelici armantur, ex vtroq; teſtamento gladiũ bìs acutũ. Dicit ceſsiſſe precibus ignem, quaſi non & tunc preces deferebantur in templum, & nunc à Chriſto ignis eſt miſſus in mundũ. Dicit ceſsiſſe pani pecus, tanquàm neſciens, & tunc in Domini menſa panes propoſitionis poni ſolere, & nunc ſe de agni immaculati corpore partem ſumere. Dicit ceſsiſſe poculo ſanguinem, nõ cogitaus etiam nunc ſe accipere in poculo ſanguinẽ. Quanto ergò meliùs & congruentiùs vetera tranſiſſe, & noua in Chriſto facta eſſe ſic diceret, vt cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, pecus pecori, ſanguis ſanguini?

ITEM illud de Martyrum ſepultura ſub altari: Videte autẽ, quem locum martyres apud homines mereantur, qui apud Deum locum ſub altario meruerunt. Dicit enim ſancta ſcriptura: Vidi enim ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum DEI, & propter teſtimonium IESV quod habebant. Sub ara, inquit, Dei vidi animas occiſorum. Quid reuerentiùs, quid honorabiliùs dici poteſt, quàm ſub illa ara requieſcere, in qua DEO ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt ſacerdos, ſicut ſcriptum eſt, Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech? Rectè ſub altario iuſtorum animę requieſcunt, quia ſuper altare corpus Domini offertur. Nec immeritò illic iuſti vindictam ſanguinis poſtulant, vbì etiam pro peccatoribus Chriſti ſanguis effunditur. Conuenienter igitur, & quaſi pro quodam conſortio ibì martyribus ſepultura decreta eſt, vbì mors Domini quotidiè celebratur, ſicut ipſe ait: Quotieſcunquè hęc feceritis, mortem meam annunciabitis donèc veniam: ſcilicet vt qui propter mortem eius mortui fuerant, ſub ſacramenti eius myſterio requieſcant. Non immeritò, inquam, conſortio quodam illic occiſis tumulus conſtituitur, vbì occiſionis Dominicę

mem-

Idẽ ſerm. 11. de ſanctis.

Apoc. 6.

Pſal. 109.

1. Cor. 11.

membra ponuntur, vt quos cum Christo vnius passionis causa deuinxerat, vnius etiam loci religio copularet.

Idq; intùs, populo foris existente.

Idem l. 1. côt. epist. Parm. c. 7. POPVLVS autem, inquit, cuius ille sacerdos est, adhuc foris gemit. Nam cùm Episcopus solus intùs est, populus & orat cum illo, & quasi subscribens, ad eius verba respondet, Amen.

Idem l. de bon. viduit. c. 16. EODEM pertinere videtur illud eiusdem de verbis illis, Sursùm corda, & quæ sequuntur: Hęc verba, vndè sint, intùs, qua sanctione & quanta sanctitate commendentur, agnoscis.

Psalmorum & hymnorum cantus.

Idem lib. retract. 2. c. 21. INTER hęc Hilarius quidam (inquit librum suum citans cōtra eundem scriptum, qui hodiè desideratur) vir Tribunitius laicus catholicus, nescio vndè aduersùs Dei ministros, vt fieri assolet, iritatus, morem, qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, vt hymni ad altare dicerentur de psalmorum libro, siue ante oblationem, siue cùm distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica repræhensione, vbicunquè poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere. Huic respondi iubentibus fratribus, & vocabatur liber ipse, contra Hilarium. Hic liber sic incipit, Qui dicunt mētionem.

Idē epist. 119. ad Ianuar. c. 18. & 19. ET latiùs alibì: Sine dubio (inquit) faciendum est, maximè illud quod scripturis defendi potest, sicut de hymnis & psalmis canendis, cùm & ipsius Domini, & Apostolorum habeamus documenta & exempla & præcepta de hac re tam vtilia. Admouendum piè animum, & accendendum diuinæ lectionis affectum, varia consuetudo est, & pleraque in Africa Ecclesię membra pigriora sunt: ità vt Donatistæ nos repręhendant, quòd sobriè psallimus in Ecclesia diuina cantica Prophetarum, cùm ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment.

Kyrie eleyson, siue, Domine miserere.

SICVT

SICVT enim (inquit sub finem collationis cum Pascétio Ariano) Gręca lingua, quod est homousion, vna dicitur vel creditur à fidelibus Trinitatis omninò substantia, sic vna rogatur, vt misereatur, à cunctis Latinis & Barbaris vnius Dei natura, vt à laudibus Dei vnius nec ipsa lingua barbara sit, vt Latinis, aliena. Latinè enim dicitur, Domine miserere. Idem epist. 178.

Episcopi processio.

INDE (inquit, miraculum narrans factum ante cancellos martyris D. Stephani) ad me curritur, vbì sedebam iam processurus. Idem de ciuit. Dei l. 22. c. 8.

AC paulopòst: Procedimus ad populum. plena erat Ecclesia.

Eiusdem salutatio populi.

SALVTAVI (inquit) populum. Ibid.

Scripturarum diuinarum lectio.

FACTO tandē (inqt) silētio, scripturarū sunt lecta diuina solénia. Ibid.

ET alibì: Intercesserunt, (inquit) vt intermitteremus textum huius Epistolæ, quędam pro diebus festis solennia lectionū, quæ non potuērunt nisì legi, & ipsa tractari. Idē tract. 9. in epist. Ioannis.

Prophetica nempe lectio.

Lectiones (inquit) diuinorum eloquiorum, quum recitarētur, audiuimus. Lectio prima prophetica, quid nobis commendauerit, me commemorante, recolite. Idē serm. 236. de tempore.

Apostolica lectio, Psalmus, Euangelium.

Apostolum audiuimus, Psalmum audiuimus, Euangelium audiuimus: consonant omnes diuinę lectiones. Idē serm. 7. de verb. Apost.

ET latiùs alio loco: Primam lectionem audiuimus Apostoli: Fidelis sermo & omni acceptiōe dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem suam, ad informationem eorū qui crediturì sunt illi in vitam æternam. Hoc de Apostolica lectione percepimus. Deindè cantauimus psalmum, exhortantes nos inui- Ibidèm serm. 10. 1. Tim. 1. Psal. 94.

cèm, vna voce, vno corde dicentes: Venite, adoremus & prosternamur ei, & fleamus corã Domino qui fecit nos, & ibì præueniamus faciẽ eius in confeßione, & in Psalmis iubilemus ei. Post hæc Euãgelica lectio, decem leprosos mundatos nobis ostendit, & vnum ex eis alienigenam, gratias agẽtem mundatori suo. Has tres lectiones, quantùm pro tempore possumus, pertractemus.

Luc. 17.

Idem de verb. Domini, secund. Lucã ser. 33.

ALIBI quoquè: Lectiones sanctæ propositę sunt, & quas audiamus, & de quibus aliquid sermonis, adiuuante Domino, proferamus. In lectione Apostolica gratię aguntur Deo de fide gentiũ, vtiquè ideò, quia ipse fecit. In Psalmo diximus, Deus virtutũ, conuerte nos, & ostẽde faciẽ tuã, & salui erimus. In Euãgelio ad cœnã vocati sumus, immò alij vocati, nos non vocati, sed ducti: nõ solũ ducti, sed etiam coacti. Sed enim audiuimus, quia homo fecit cænã magnam.

Psal. 79.

Idem serm. 49. de tẽpore.

Et rursùm: Diuinæ lectiones omnes ità sibi connectuntur, tanquàm vna sit lectio, quia omnes ex vno ore procedũt. Audiuimus Apostolicam lectionem, & fortè aliquẽ moueat quod ibì scriptum est: Secundùm iustitiam quę ex lege est, qui fuerim sine querela. Audi Psalmum interiora dicentem: Tibi soli peccaui. Audîstis & Euangelium istis lectionibus concordare: Volũtas (inquit) patris est, vt quæ dedit mihi, non pereant.

Philip. 3.

Psal. 50.

Ioan. 6.

Alleluia Dominicis diebus & Paschali tempore.

Idẽ epist. 19. ad Ianuar. c. 17.

VT autem (inquit) alleluia, per illos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non vsq; quaquè obseruatur. Nam & in alijs diebus variæ cantantur alibì, ipsis autem diebus vbiquè.

Ibid. c. 15.

SVAE verò Ecclesię consuetudinẽ explicans: Omnibus, inquit, diebus Dominicis Alleluia canitur, quod significat actionẽ nostrã futuram non esse nisì laudare Deum, sicut scriptũ est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.

Psal. 83.

Idem epist. 86. ad Casul.

ET alibì: Quibus (inquit) tantummodò diebus in multis Ecclesijs, in omnibus autem maximè cantatur alleluia, quam vocẽ laudis esse nullus Christianus, quamlibèt imperitus, ignorat.

Eo-

EODEM pertinet illud: Est enim Alleluia, & bìs Alleluia, quod nobis cantare certo tempore solenniter moris est, secundùm Ecclesiæ antiquam traditionem. Neq; enim & hoc sine sacramento certis diebus cantamus alleluia. Certis quidem diebus cantamus alleluia, sed omni die cogitamus. Idem in Psal. 106.

ITEM illud: Videamus fratres, si his diebus per totum orbem terrarum frustrà dicatur Amen, & Alleluia. Idem in Psal. 21.

Euangeliorum certæ quibusque festis diebus Lectiones.

MEMINIT (inquit) sanctitas vestra, Euangelium secundùm Ioannem, ex ordine lectionum nos solere tractare. Sed quia nunc interposita est solennitas sanctorũ dierum, quibus certas ex Euangelio Lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ità sunt annuę, vt aliæ esse non possint: ordo ille quem susceperamus, necessitate paululùm intermissus est, non omissus. Idẽ prol. in Epist. 1. Ioan.

ET expressiùs alio loco: Resurrectio Dñi nostri Iesu Christi, & hodiè recitata est: sed de altero libro Euãgelij, qui est secundũ Lucam. Primò enim lecta est secundùm Matthęũ: hesterna aũt die secundùm Marcũ: hodiè secundùm Lucã. Sic habet ordo Euangelistarũ. Sicut enim passio ipsius ex oĩbus Euangelistis conscripta est, sic dies isti septem vel octo durant spatiũ, vt secundùm oẽs Euangelistas resurrectio recitetur. Passio aũt quia vno die legitur, nõ solet legi nisì secundùm Matthæum. Voluẽram aliquandò, vt per singulos annos secundùm oẽs Euangelistas etiam passio legeretur: factũ est: nõ audierũt homines quod cõsueuerunt, & pturbati sunt. Idem serm. 144. de tẽpore. Matt. 28. Marc. 16. Luc. 24.

Sermo ad populum in Exedra.

VBI autem (inquit) ventum est ad sermonis mei locum, dixi pauca pro tempore, & pro illius iocunditate lætitiæ. Idem de ciuit. Dei l. 22. c. 8.

AC paulopòst: Sequenti itaq; die, post sermonem redditũ, narrationis libellũ in crastinum diẽ populo recitandũ promisi. Quod cùm ex Dñico Paschæ die tertio fieret, in gradibus Exedræ, in qua

de ſuperiore loquebar loco, feci ſtare ambos fratres, cùm eorũ legeretur libellus.

Poſt ſermonem, Catechumenorum dimiſsio.

Idẽ ſerm. 227. de tẽpore. POST ſermonem (inquit) Miſſa fit Catechumenis: Manebunt fideles, venietur ad locum orationis.

Idẽ tract. 96. in Ioã. CAVSAM verò explicat alibì: Etſi Catechumenis fideliũ ſacramenta nõ produntur, nõ ideò fit, quòd ea ferre non poſſunt, ſed vt ab eis tãto ardẽtiùs cõcupiſcãtur, quãto eis honorabiliùs occultant̃.

Oblationes fidelium.

Idem Epiſt. 187. OBLATIO verò (inquit ad Bonifaciũ comitẽ, qui quẽdam ab Eccleſia rapuerat) domûs tuæ, à clericis nè ſuſcipiatur, indixi: Cõmunionemq; tibi interdico, donèc peracta pro auſibus vel errore à me definita tibimet pœnitentia, & tempore condonato, pro hoc facto, corde contrito & humiliato, dignũ offeras ſacrificiũ DEO.

Idem Epiſt. 122. ET alibì: Ora Deum pro eis (loquitur de captiuis virginibus apud Barbaros) & roga, vt etiam ipſas doceat talia dicere, qualia ſuprà memoratus ſanctus Azarias, inter cætera in oratione & cõfeſsione ſua fudit ad Deum. Sic enim ſunt illæ in terra captiuitatis ſuæ, quo modo erant illi in ea terra, vbì nec ſacrificare more ſuo poterant Domino, ſicut nec iſtæ poſſunt, vel ferre oblationem ad altare Daniel. 3. Dei, vel inuenire ibì ſacerdotem, per quem offerant Deo. Donet ergò eis Dominus, vt ei dicant, quòd Azarias dixit in conſequentibus precum ſuarum: Non eſt in hoc tempore princeps & Propheta & dux, non holocauſta, neq; oblatio, neq; ſupplicationes, nec locus ad ſacrificandum in conſpectu tuo.

Agendi ordo, quem vniuerſa ſeruat Eccleſia.

Idẽ epiſt. 118. ad Ianuar. c. 6. 1. Cor. 11. VNDE intelligi datur, (inquit explicans illud Apoſtoli: Cętera, quũ venero, diſponã) quia multũ erat, vt in Epiſtola totum illum agẽdi ordinem inſinuaret, quem vniuerſa per orbẽ ſeruat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diuerſitate variatur.

Communis oratio, voce Diaconi indicta.

HVC

HVC pertinet illud ſupracitatum: Aut communis oratio voce Diaconi indicitur. Idē epiſt. 119. ad Ianuar. c. 18.

Antiſtitum clara voce deprecatio.

HVC quoquè illud eiuſdem loci: Aut antiſtites clara voce deprecantur.

Precationes ante conſecrationem.

PRECATIONES (inquit, loco etiam longè ſupracitato, de Apoſtolorũ ſacrificio) accipiamus dictas, quas facimus, antequàm illud quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici. Idē epiſt. 59. ad Paul. q. 5.

Exhortationes ad populum, & Orationes pro infidelibus, catechumenis, & fidelibus.

DIC ergò (inquit ad Vitalem fautorem Pelagianorum) apertiſsimè, nos pro ijs, quibus Euangelium prædicamus, non debere orare, vt credant, ſed eis tantummodò prædicare. Exerce cõtra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, & quãdò audis ſacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, ora pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem: & pro catechumenis, vt eis deſiderium regenerationis inſpiret, & pro fidelibus, vt in eo quod eſſe cœperunt, eius munere perſeuerent: ſubſanna pias voces, & dic te non facere quod hortatur, id eſt, Deũ pro infidelibus, vt eos fideles faciat, non rogare, eô quòd nõ ſint iſta diuinæ miſerationis beneficia, ſed humanæ beneficia voluntatis. Idē epiſt. 106.

AC ſub finem eiuſdem epiſtolæ: Nunquid & orare prohibetis Eccleſiam pro infidelibus, vt ſint fideles, pro ijs qui nolunt credere, pro ijs qui ab eius lege doctrinaque diſſentiunt, vt legi eius doctrinæque conſentiant, vt det illis Deus quod per prophetam promiſit, cor cognoſcendi eum, & aures audiendi, quas vtiquè acceperant, de quibus Saluator ipſe dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat? Ibidèm.

ET paulò pòſt: Si autem, quod magìs credo, ſentis atque conſentis, orare nos Deum debere ac ſolere pro nolentibus credere, vt

velint credere: & pro eis qui aduersantur & contradicunt legi eius atq; doctrinæ, vt ei credant atq; sectentur.

Idem de bon. perseu. c. 22. ALIBI quoq;: Atq; vtinàm tardi corde & infirmi, qui nō possunt, nec nondùm possunt, scripturas vel earū expositiones intelligere, sic audirent, vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, vt magìs intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia ab exordijs suis, donèc finiatur hoc seculū. De hac em̄ re, quàm nunc aduersùs nouos hæreticos, non commemorare tantùm, sed planè tueri & defensare compellimur: nūquàm tacuit in precibus suis, etsi aliquandò in sermonibus exerēdam, nullo vrgente aduersario, putauit. Quandò em̄ non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atq; inimicis eius, vt crederent?

Idem hær. 88. RVRSVM de ipsis Pelagianis agens: Destruunt etiam orationes quas facit Ecclesia, siue pro infidelibus & doctrinæ Dei resistentibus, vt conuertantur ad Deum: siue pro fidelibus, vt augeatur eis fides, & perseuerent in * eo.

* ea.

Responsio Amen.

Idē epist. iam cit. NVNQVID vbì audièritis, sacerdotem Dei ad eius altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipsum clara voce orantem, vt incredulas gentes ad fidem suam venire compellat, non respondetis, Amen?

Idem de bon. perseu ca. 23. ET alibì: Aut quis sacerdotem super fideles Dn̄m inuocātem, si quandò dixit, Da illis Dn̄e in te perseuerare vsq; in finem: non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione repræhendere, ac non potiùs super eius talem benedictionem, & corde credēte, & ore cōfitente respondit, Amen?

Adhortatio, Sursùm corda: Responsio, Habemus ad Dominum.

Idē lib. de ver. relig. ca. 3. SI (inquit) per Vrbes & Castella, vicos & agros etiam villasque priuatas, intantùm apertè persuadetur & appetitur à terrenis auersio, & in vnū Deū verumq; conuersio, vt quotidiè per vniuersum orbem

orbem humanum genus vna penè voce respódeat, sursùm corda se habere ad Dñm: quid adhuc oscitamus crapulam hesternam, & in mortuis pecudibus diuina eloquia perscrutamur?

AC alio loco: Vt anima Christiana non frustrà audiat, Sursùm cor, nec frustrà respondeat se habere ad Dominum. Idē epist. 156. ad Probam.

ET rursùm: Et illud quod inter sacra mysteria cor habere sursùm iubemur, ipso adiuuante id valemus, quo iubente admonemur. Idem de bon. vid. c. 16.

ITERVM alibì: Quòd ergò in sacramentis fidelium dicitur, vt corda sursùm habeamus ad Dñm, munus est Domini. Idem de bon. perseu. ca. 13.

TRACTANS etiā illud Psalmi, Quoniam ad te Dñe animam meam leuaui: Certè (inquit) rectè admonet membra sua, vt sursùm corda habeant. Audiant ergò, & faciant: leuent ad cælum, quod malè est in terra. Ibì enim non putrescit cor, si leuetur ad Deum. Idem in Psal. 85.

ALLVDIT eodèm & illud eiusdem: Quum ad illum sursùm est, eius est altare cor nostrum, eius vnigenito cum sacerdote placamur. Idē de ciuit. Dei li. 10. c. 4.

Adhort. Gratias agamus Domino Deo nostro. Resp. Dignum & iustum est.

ET ideò (loco citato de bon. viduit.) sequitur, vt de hoc tanto bono sursùm leuati cordis, nō nobis gloriam, quasi * nostrarū virium tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus. Idem de bon. viduit. c. 16.

LATIVS idipsum habet cit. c. de bon. perseu. De quo (inqt) munere ipsi Dño Deo nostro gratias agere, à sacerdote post hanc vocem, qbus hoc dicitur, admonētur, & dignū & iustū esse respondent. Cùm enī non sit in nostra potestate cor nostrum, sed diuino subleuetur auxilio, vt ascēdat, & quæ sursùm sunt sapiat, vbì Christus est in dextera Dei sedēs, non quę super terram: cui de hac tāta re agendæ sunt gratiæ, nisì hoc faciēti Domino Deo nostro, q nos per tale beneficiū liberādo, de profundo huius mūdi elegit, & prædestinauit ante constitutionem mundi? Idem de bon. perseu. c. cit.

EODEM

Idē epist. 57. ad Dardanum. 1. Cor. 10.

EODEM pertinet & illud: Huius corporis vnitas nostro sacrificio commendatur. Quod breuiter significauit Apostolus, dicēs: Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Per caput nostrum reconciliamur DEO, quia in illo est diuinitas vnigeniti facta particeps mortalitatis nostræ, vt & nos participes ei⁹ immortalitatis essemus. Hoc sacramentum longè est à cordibus sapientium, superborum, & ideò non Christianorum, ac per hoc nec verè sapientium. Illorum etiam dico sapiētium, qui cognouerunt Deum, quia cognoscentes Deum, sicut dicit Apostolus, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerūt. Nôsti autem, in quo sacrificio dicatur, Gratias agamus Domino Deo nostro. A cuius sacrificij humilitate lōgè abest typhus & cothurnus illorum.

Idem de spir. & lit. ca. 11.

ITEM illud: Theosebia, si ad verbi originem Latinè expressam interpretaretur, Dei cultus dici poterat, qui in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata. Vndè & in ipso verissimo, & in singulari sacrificio, Domino DEO nostro agere gratias admonemur.

Idē epist. 120. ad Honor. cap. 19.

ILLVD quoquè libri de gratia noui testamenti: Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum sacramentum in sacrificio noui testamenti: quod vbì, & quandò, & quomodò offeratur, cùm fueris baptizatus, inuenies.

Idē serm. super illud, Cōfiteor tibi Domine pater. Idem Epist. cit.

DENIQVè & illud: Nôrunt fideles, vbì & quandò dicatur, Gratias agamus Domino Deo nostro. Quis autem gratias agit, nisì qui sursùm cor habet ad Dominum?

ALLVDIT huc etiam Epist. ad Vitalem supracitata, sub finē: Si sentis atque consentis, debere nos etiam Deo agere gratias ac solere pro talibus, quòd ad fidem eius doctrinamque conuersi, volentes ex nolentibus fiant, oportet sine dubitatione fatearis volūtates hoīm Dei gratia præueniri, & vt bonū velint homines quod nolebant, Deum facere: qui rogatur vt faciat, & cui nos nouimus agere gratias, dignum esse cùm fecerit.

Oratio

Oratio pro omnibus, & pro Imperatoribus.

HAEC autem causa (inquit) præcipua fuit ista dicendi, vt his breuiter perstrictis atq; significatis, non putaretur negligendũ esse quod sequitur: Pro omnibus hominibus, pro Regibus, & ijs qui in sublimitate sunt. Idẽ epist. 59. ad Paulin. qu. 5.

Memoria martyrum, & nominum eorundem recitatio.

PERHIBET (inquit) præclarissimum testimonium Ecclesiastica authoritas, in qua fidelibus notum est, quo loco martyres, & quo defunctæ sanctimoniales ad altaris sacramenta recitentur. Idem de sanct. virgin. c. 45.

QVOD magis explicat in hæc verba: Ideoq; habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cùm martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbì non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Iniuria est em̃ pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. Idem de verb. apost. serm. 17.

ET eisdem penè verbis alibì: Hoc (inquit) beati martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in conuiuio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet vt quemadmodùm ipsi, & nos talia præparemus. Ideò quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodùm alios qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis, vt orẽt ipsi pro nobis: vt eorum vestigijs adhæreamus, quia impleuerunt ipsi charitatem, qua Dominus dixit non posse esse maiorem. Idem in Euang. Tract. 84.

EODEM & illud pertinet: Ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine martyres recitantur. Idẽ de ciuit. Dei li. 21. c. 10.

Orationes in benedictione siue sanctificatione eius quod oblatum est.

ORATIONES (inquit Epist. citata ad Paulinũ Nolanũ) dicamus, quũ benedicitur & sanctificatᷓ, & ad distribuẽdũ cõminuitur. Idẽ epist. 59. ad Paul. qu. 5.

AC paulò pòst: Ideò in huius sanctificatione & distributionis

præparatione, existimo Apostolũ iussisse propriè fieri προσευχάς, id est, orationes, vel (vt nonnulli minùs peritè interpretati sunt) adorationes : hoc est enim ad votum, quod vsitatiùs in scripturis nuncupatur εὐχή.

Signi crucis adhibitio.

Idem tract. 64. in Euãge. QVID est (inquit) quòd omnes nouerunt, signum Crucis, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credẽtium, siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue oleo quæ Chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur: nihil eorum ritè perficitur. Quomodò ergò per id quod mali faciunt, nihil boni significatur, quandò per crucem Christi, quam fecerũt mali, in celebratione sacramentorum eius bonum nobis omne signatur?

Idẽ serm. 181. de tẽpore, ca. 3. ITEM serm. de Vigilia Pẽtecostes: Elegit verò crucem, quæ levi motu manûs exprimitur, qua & contra inimici versutias munimur. Hoc enim signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiã presbyteri & cæteri gradus Ecclesiastici, & omnia quęcunq; sanctificantur, hoc signo Dominicæ crucis cum inuocatione nominis Christi, consecrantur.

Idẽ serm. 19. de sanct. EODEM pertinet illud supracitatũ: Crucis charactere altaris Sacramenta cum interpositione Dñicorum verborũ, conficiuntur.

Mystica consecratio.

Idem de Trinit. lib. 3. c. 4. POTVIT tamen (inquit) Apostolus Paulus significando prædicare Dñm Iesum Christũ, aliter per linguã suam, aliter per Epistolã, aliter per sacramentũ corporis & sanguinis eius. Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentũ, nec significãtes sonos lingua editos, nec signa literarũ cõscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinẽ dicimus, sed illud tãtùm, quod ex fructibus terræ acceptũ, & prece mystica consecratũ, ritè sumimus ad salutẽ spiritalẽ in memoriam pro nobis Dñicæ passionis: Quod cùm per manus hoĩm ad illam visibilẽ speciẽ perducitur, nõ significatur vt sit tam magnũ sacramentũ, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei.

ET alibì: Cur autem arbitretur Faustns parem nobis esse religionem circa panem & calicem, nescio: cùm Manichęis vinum gustare non religio, sed sacrilegium est. In vna enim agnoscũt Deum suum, in cupa nolunt, quasi aliquid eos calcatus & inclusus offenderit. Noster autem panis & calix, nõ quilibet quasi propter Christum in spicis & in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proindè quod non ità fit, quanuìs sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis. Idẽ cõtra Faust. Manich. lib. 20. cap. 13.

EODEM pertinet illud eiusdem: Precẽ sacerdotis, verbis & mysterijs Euangelicis confirmatam.

Panis & vini in corpus & sanguinem Domini conuersio.

DOMINVS (inquit apud Bedam D. August. in 1. Cor. 10.) Iesus, ab eis quorum oculi tenebantur nè illum agnoscerent, in fractione panis voluit agnosci. Nouerunt fideles, sciũt quid dicam. Nouerunt Christum in fractione panis. Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem, fit Corpus Christi. Beda cõ. ex Augu. ad ca. 10. Epist. 1. ad Cor.

QVAE postrema periodus citatur etiam de Consecr. dist. 2. c. Non omnis.

EODEM pertinet & illud lib. Sententiarũ D. August. per Prosperũ, iuxta quod à Gratiano citatur: Nos aũt in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est, carnẽ & sanguinẽ honoramus: nec similiter cõpręhẽdimus has duas species, quemadmodùm ante consecrationẽ cõpręhẽdebamus: cùm fideliter fateamur ante consecrationme panem esse & vinum quod natura formauit, post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Gratian. de Consecr. dist. 2. c. Nos.

Christi immolatio.

NONNE semèl (inqt) Christus immolatus est in seipso, & tamẽ in sacramẽto non solùm per oẽs Paschæ solennitates, sed omni die Idẽ epist. 23. ad Bonif.

populis immolatur: nec vtiq; mentitur, qui interrogatus, eum respõderit immolari? Si enim sacramenta quandam similitudinem earũ rerũ, quarum sacramẽta sunt, non haberẽt, omninò sacramenta non essent.

Idẽ epist. 86. ad Casul.

ET alibi: Sacrificium laudis ab Ecclesia, toto orbe diffusa, diebus omnibus immolatur.

Idẽ cõtra adu. leg. & proph. l. 1. ca. 20.

ITEM alio loco latiùs: Sanè de apocryphis iste posuit testimonia, quę sub nominibus Apostolorũ, Andreæ, Ioannisq́; cõscripta sunt. Quæ si illorũ essent, recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorũ temporibus per Episcoporũ successiones certissimas, vsq; ad nostra & deincèps tempora perseuerat, & immolat Deo in corpore Christi sacrificiũ laudis, ex quo Deus deorum locutus, vocauit terrã à solis ortu vsq; ad occasum. Hæc quippe Ecclesia est Israel secũdùm spiritũ, à quo distinguitur ille Israel secũdùm carnẽ, qui seruiebat in vmbris sacrificiorũ, q̃bus significabatur singulare sacrificium, quod nũc offert Israel secũdùm spiritũ, cui dictũ atq; prędictũ est: Audi populus meꝰ, & loquar tibi: Israel, & testificabor tibi: & cætera quæ iã suprà cõmemoraui. De huius enĩ domo nõ accipit vitulos, neq; de gregibꝰ eius hircos. Iste immolat Deo sacrificiũ laudis, nõ secũdùm ordinẽ Aaron, sed secũdùm ordinẽ Melchisedech. Quod in Psalmo positũ est, quẽ Dñs Iesus in Euãgelio de se cõscriptum esse testatur, quærẽs à Iudæis respondẽtibus Christũ filium esse Dauid, quod solũ de illo carnaliter nouerãt, quomodò eum Dauid in spiritu dixerit Dñm. Tunc enĩ huius psalmi cõmemorauit exordiũ: Dixit Dñs Dño meo, sede à dextris meis, Donèc ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorũ. Ibì quippe & hoc dictũ est, Iurauit Dñs, & nõ pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternũ secũdùm ordinem Melchisedech. Nouerũt qui legũt, quid protulerit Melchisedech, quãdò benedixit Abraham. Et qui iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nũc offerri Deo toto orbe terrarum.

Psal. 49.

Idem de cataclysmo ca. 4.

ET libro seu potiùs sermone de Cataclysmo, tractans illud: Nec relin-

relinquetis quicquam vſque ad manè: Hoc (inquit) nunc agitur. Comeditur enim agnus nunc per noctem huius ſeculi, vt cùm manè illud venerit, quod veſperum non habebit, non iam offeratur ſacrificiũ imaginis agni, ſed * ipſum agnum, quem quotidiè immolamus, comedimus, & cuius ſanguinem bibimus. forſ. *ipſe agnus, quẽ

Corporis Domini adoratio.

EXPLICANS illud Pſalmi: Et adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt: Quid (inquit) habemus adorare? Scabellum pedum eius. Suppedaneum dicitur ſcabellum. Quod dicunt Græci ὑποπόδιον, dixerunt Latini ſcabellum: & alij dixerunt ſuppedaneum. Sed videte fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco ſcriptura dicit, Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Ergò terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quòd ſit ſcabellum pedum Dei? Et quomodò adorabimus terram, cùm dicat apertè ſcriptura, Dominũ Deum tuum adorabis: & hic dicit, Adorate ſcabellum pedum eius? Exponens autem mihi, quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit: Terra autem ſcabellum pedum meorum. Anceps factus ſum, timeo adorare terram, nè damnet me, qui fecit cælum & terram. Rursùm timeo non adorare ſcabellũ pedum Domini mei, quia Pſalmus mihi dicit: Adorate ſcabellum pedum eius. Quæro, quid ſit ſcabellum pedum eius, & dicit mihi ſcriptura: Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans, conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum * quæro hîc, & inuenio, quomodò ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem iſtam carnem manducat, niſi priùs adorauerit: inuentum eſt, quemadmodùm adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Nunquid autem caro viuificat?

Idem in Pſal. 98.
Eſai. 66.
Matth. 5.
Deut. 6.
Matth. 4.
* hoc quæro,

 uificat?

uificat? Ipse Dominus dixit,cùm de ipsa commendatione eiusdem terræ loqueretur: Spiritus est qui viuificat,caro autem nihil prodest. Ideò & ad terram quamlibet cùm te inclinas atque prosternis,non quasi terram intuearis,sed illum sanctum, cuius pedũ scabellum est quod adoras:propter ipsum enim adoras:ideò & hîc subiecit: Adorate scabellum pedum eius,quoniã sanctum est.Quis sanctus est? In cuius amore adoras scabellum pedum eius. Et cùm adoras illum,nè cogitatione remaneas in carne.& à spiritu non viuificeris.

Idem in Psal. 21. enarrr.1.

ITEM super illud alterius Psalmi: Manducauerunt & adorauerunt. Manducauerunt(inquit)corpus humilitatis Domini sui etiã diuites terræ,nõ sicut pauperes saturati sunt vsq; ad imitationẽ,sed tamen adorauerunt.

Idem in Psal.48. conc.1.

ET alio loco hoc ipsum tractans: Quomodò manducabũt pauperes? Edent pauperes,& saturabuntur: Quid edunt? Quod sciunt fideles. Quomodò saturabuntur? Imitãdo paßionem Domini sui, & non sine causa accipiendo precium suum. Edent pauperes,& saturabuntur,& laudabũt Dominũ qui requirũt eum. Diuites quid? Etiam ipsi edunt.Sed quomodò edunt? Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Non dixit,Manducauerunt & saturati sunt:sed, manducauerunt & adorauerunt. Adorant quidem Deũ, sed humanitatem nolunt exhibere fraternam. Manducant illi, & adorant: manducant illi,& saturantur,tamen omnes manducant.

Idẽ epist. 120.ca.27.

LATIVS verò ad ipsum lib. de gratia noui testamẽti ad Honoratum,vbì eundem Psalmum pulchrè explicat: Neq; enim frustrà ità distincti sunt,vt de pauperibus suprà diceretur: Edent pau-

Psal.21.

peres,& saturabuntur. Hîc verò,Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi,& accipiũt de corpore & sanguine eius: sed adorant tantùm,non

1.Pet.2.

etiam saturantur, quoniam non imitantur. Manducantes enim pauperem,dedignantur esse pauperes.

AC paulopòst: Sed quia Deus excitauit eum à mortuis,& donauit ei nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu flectatur omne genu cælestium,terrestrium,& infernorum: fama celsitudinis eius, & gloria nominis eius in Ecclesia vsq;quaquè diffusa,permoti,& ipsi veniunt ad mensam, manducant & adorāt, non tamen saturantur,quia non esuriunt & sitiunt iustitiam. Philip.2.

Commemoratio mortis,resurrectionis,& ascensionis Domini.

D. Augustinum hac de re citat Micrologus in hæc verba: Item ibì: Vndè & memores Domine nos serui tui, quidam Natiuitatē Domini commemorant,cùm iuxta Apostolum in eiusmodi sacrificio,non Natiuitatem Domini, sed mortem eius annunciare debemus. Vndè & sanctus Ambrosius in libris Sacramentorū: Quotiescunquè, inquit,offertur sacrificium,mors Domini, resurrectio Domini,ascensio Domini significatur. Quod & S. August. sua attestatione confirmat. Quapropter & nos ibì tantùm * passionis, resurrectionis,& ascensionis commemoramus. Microl.de Eccl. ob. seru.c.13.

*passionē, resurrectionem & ascensionem

ATQVI hoc hodiè quidē reperitur in serm. 28. de verb. Dñi, verùm nō aliud est,quàm rhapsodia ad verbū descripta ex l.5. Ambrosij de sacram. c. vlt. desideratur itaq; quod ille citauit.

Memoria defunctorum.

HVC inprimìs pertinēt quædam loca supracitata de memoria sanctorum,quæ indicant, alio loco martyrum, alio defunctorum memoriam fieri.

ITEM, In libris (inquit) Machabæorum legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed & si nusquàm in scripturis veteribus omninò legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas: vbì in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Idem August. l. de cura pro mort. c.1.

Ac

Ibid. c. 4. AC paulopòst: Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorũq;, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia: vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicunq; cognati, vel amici, ab vna eis exhibeantur pia matre communi.

Idẽ serm. de verb. Apostoli 34. ET alibì: Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, & pro illis quoquè id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorũ causa opera misericordiæ celebrãtur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur?

Idem de ciuit. Dei l. 20. c. 9. RVRSVM alio loco: Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Christi.

Idem Cõfess. l. 9. c. 11. QVA traditione instructa D. Augustini mater Monica, iam moritura hoc vnum petijt: Ponite corpus hoc vbicunquè, nihil vos eius cura conturbet. Tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare, memineritis meî vbì fueritis.

Ibid. c. 13. QVOD repetens D. August. Tantummodò (inquit) memoriã suî ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruiĕrat, vndè sciret dispensari victimam sanctam, qua deletũ est chirographum, quod erat contrarium nobis.

ATQVE adeò eius dicti memor, sic Deum precatur: Inspira Domine Deus meus, inspira seruis tuis fratribus meis, filijs tuis dominis meis, quibus & voce & corde & literis seruio, vt quot-

quot

quot hæc legerint, meminerint ad altare tuũ Monicę famulæ tuæ, cum Patricio quondàm eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodùm, nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, & fratrum meorum sub te patre in matre catholica, & ciuium meorum in æterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu vsq; ad reditum: & quod à me illa poposcit extremum, vberiùs ei prę stetur in multorum orationibus, tam per confeßiones, quàm per orationes meas.

Comminutio ad distribuendum.

HVC pertinet illud supracitatum: Et quum ad distribuendum comminuitur. Idē epist. sęp̀ecit. ad Paulin.

ITEM illud ex sententijs D. August. à D. Prospero collectis, citatum à Gratiano: Quum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusq; sanguinis de latere effusio designatur? Gratian. decr. de consecr. dist. 2. c. Cùm frāgitur.

Deindè Oratio Dominica.

QVAM totam (inquit) petitionem ferè omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. August. ad Paulin. loco cit.

ET alibì: Scitis quò accessuri sumus, quòd priùs dicturi sumus, Dimitte nobis debita nostra. Idē serm. 237. de tēpore.

ITEM alio loco: In Ecclesia enim ad altare Dei quotidiè dicitur ista Oratio Dominica, & audiunt istam fideles. Non ergò timemus nè minùs illam teneatis diligenter, quia etsi quis vestrûm non poterit tenere perfectè, audiendo quotidiè tenebit. Idē epist. 42. inter homil. 50.

ET rursùm: Eccè vbì peracta est sanctificatio, dicimus orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis. Idē serm. de Vigil. Paschæ.

Tunsio pectoris ad illud eiusdem orationis, Dimitte nobis debita nostra.

SI falsum est, (inquit) vndè quotidiè tūdimus pectora? Quod nos quoq; Antistites ad altare aßistentes, çum omnibus facimus. Idē serm. 10. inter homil. 50.

AC paulo pòst: Nam si nō habemus peccata, & tundētes pectora dicimus, Dimitte nobis debita nostra: ex hoc ipso certè & grauiter, nullo dubitante, peccamus, cùm inter ipsa sacramenta mentimur.

Post hanc, pacis osculum.

Idē serm. cit. de Vigil. Pasch. POST ipsam (inquit) dicitur, Pax vobiscum: & osculantur se Christiani in osculo sancto. Sed pacis Christi signum, quod ostēdunt labia, fiat in conscientia: id est, quomodò labia fratris tui accedunt, sic cor à corde non recedat.

Benedictio super populum.

Idē epist. sępè cit. ad Paulin. Interpellationes autem (inquit) siue, vt veteres codices habent, postulationes, fiunt, cùm populus benedicitur. Tunc enim Antistites vulut aduocati, susceptos suos per manûs impositionem misericordissimæ offerunt potestati.

Amalar. in Prolog. de Eccles. offic. QVEM locum satìs aptè sic interpretatur Amalarius: In oratione (inquit) quam dicit sacerdos post comminutionē (ità enim prorsùs legendum, pro eo quod est, communionem) dicit S. Augustinus, benedicere sacerdotem populum, & transire populum ad manus sacerdotis. Hæc consuetudo nō obseruatur apud nos vsq;quaquè: nisì fortè id sit transire populū ad manus sacerdotis, quod est, accipere ab eo sacramenta corporis Domini, quod penè om̄is Romana Ecclesia & Oriētalis per omnes solēnes dies agit: & id sit benedici, quòd comeditur cibus Dominicus.

Idem l. 1. c. 34. AC rursùm alibì: Simulq; hoc notandum, quòd orationē illā quam Episcopi, sicut (nam & sic legendum, pro, siue) aduocati, solent facere super populum cum signo sanctæ crucis, ille solebat facere eam, postquàm comminuebat corpus Domini ad distribuendum: quam orationem vocat Postulationes.

Psalmus in distributione eius quod oblatum est.

August. l. Retract. 2. c. 21. HVC pertinet illud supracitatum contra Hilarium Tribunitium de psalmis & hymnis: Siue ante oblationem, siue quum distribueretur populo quod oblatum est.

Par-

Partem etſi quilibet accipiat, Chriſtus tamẽ permanet integer.

INVITAT (inquit quodam ſerm. de verbis Euangelij, qui deſideratur) Dominus ſeruos, vt præparet eis cibum ſeipſum. Quis audeat manducare Dominum ſuum? & tamen ait, Qui manducat me, viuit propter me. Quandò manducatur, vita manducatur: nec occíditur vt manducetur, ſed mortuos viuificat. Quandò manducatur, reficit, ſed non deficit. Manducatur Chriſtus: viuit manducatus: quia reſurrexit occiſus: nec quandò manducatur, partes de illo facimus. & quod in ſacramento ſic fit, nôrunt fideles, quemadmodùm manducent carnem Chriſti. vnuſquiſq; partem ſuam accipit. per partes manducatur, & manet integer totus: per partes manducatur in ſacramento: manet integer totus in cælo: manet integer totus in corde tuo.

Apud Bedam in c. 10. ep. 2. ad Corinth. Et Gratiã. de cõſecr. diſt. 2. c. Inuitat.

Viris in manus, fœminis in linteo mundo traditum corpus Domini.

OMNES viri (inquit D. Auguſt.) quandò communicare deſiderãt, lauãt manus ſuas, & oẽs mulieres nitida exhibẽt linteamina, vbì corpus Chriſti accipiãt. Non eſt graue, quod dico, fratres: quo modo viri lauãt aqua manus ſuas, ſic eleemoſynis lauẽt conſcientias ſuas. Similiter & mulieres, quomodò nitidum linteolum, vbì corpus Chriſti accipiant: ſic corpus caſtum & cor mundũ exhibeãt, vt cum bona conſcientia Chriſti ſacramenta ſuſcipiant.

Auguſt. ſerm. 251. de tẽpore.

Paruuli etiam communicabant.

VNDE & ipſi paruuli (inquit idem) ſi in illa parua ætate moriũtur, vtiquè ſecundùm ea quæ per corpus geſſerũt, id temporis quo in corpore fuerunt, quandò per corda & ora geſtantium crediderunt, vel non crediderũt, quandò baptizati, vel non baptizati ſunt, quandò carnem Chriſti manducauerunt, vel non manducauerũt, quandò & ſanguinem biberunt, vel non biberunt: ſecundùm hęc ergò quæ per corpus geſſerunt, nõ ſecundùm ea, quæ, ſi diù hîc viuerent, geſturi fuerant, iudicantur.

Idẽ epiſt. 106. ad Vital.

Yyy 2 Eo-

Idē epist. 23. ad Bonif.

EODEM pertinet illud, vbì Cyprianum interpretatur: Isto sensu rectè intelligi potest, quod scripsit beatus Cyprianus in epistola de Lapsis, cùm eos qui tempore persecutionis, idolis immolauerant, arguens: Ac nè quid deesset, inquit, ad criminis cumulum, infantes quoquè parentum manibus impositi vel attrectati, amiserunt paruuli, quod in primo statìm natiuitatis exordio fuerant consecuti. Amiserunt, dixit, quantùm attinuit ad illorum scelus, à quibus amittere coacti sunt. Amiserunt in eorum mente ac voluntate, qui in illos tantum facinus commiserunt. Nam si in seipsis amisissent, remansissent vtiquè diuina sententia, sine vlla defensione, damnandi. Quòd si sanctus Cyprianus arbitraretur, non eorum defensionem continuò subijceret, dicens: Nónne illi, cùm iudicij dies venerit, dicent: Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo vel poculo DOMINI, ad prophana contagia spontè properauimus: perdidit nos aliena perfidia: parentes sensimus parricidas. Illi nobis Ecclesiam matrem, illi patrem DEVM negauerunt, vt dum parui & improuidi, & tanti facinoris ignari, per alios ad consortium criminis iungimur, aliena fraude caperemur. Hanc defensionem non subnecteret, nisì iustissimam crederet, & in DEI iudicio paruulis profuturam. Si enim verè dicitur, Nos nihil fecimus: anima quæ non peccauerit, ipsa cur morietur? nec illi peribunt sub Dei iusto iudicio, quos parentes suo scelere, quantùm ad seipsos attinet, perdiderunt. Illud verò, quod in eadem commemoratur Epistola, quandam paruulam, turbatis in fugā parentibus, nutrici derelictā, atq; ab eadē nutrice dæmonū sacrilegijs impactā, posteà in Ecclesia, illatā sibi Eucharistiam, miris motibus respuisse: Ideò mihi videtur diuinitùs factum, nè maiores putarent nihil se in paruulos in illa iniquitate peccare, sed potiùs intelligerent, per illum significantem quodam modo gestum corporis eorum, qui loqui nō poterāt, se mirabiliter admoneri, quid ipsi facere deberēt,

Cypr. lib. de lapsis.

Cyprian. ibidèm.

qui

qui post tantum illud nefas sacramentis salutaribus irruebant, vndè se vtiquè pœnitendo abstinere deberent. Nec cùm tale aliquid diuina prouidentia per infantulos agit, ipsos id agere scientia vel ratione credendum est. Neque enim, quia cuiusdam prophetæ dementiam Deus voluit, etiam asina loquente coërcere, ideò admiranda est asinorum sapiẽtia. Porrò sicut per animal irrationale sonuit aliquid homini simillimum, quod miraculo diuino, non cordi asinino, tribuendum sit: ità potuit omnipotens per infantis animam, non vbì ratio nulla erat, sed vbì adhuc sopita erat, gestu corporis eius ostendere, quid illi, qui & in se, & in paruulos suos peccauerant, curare deberent.

ITEM illud quod suprà de sacrificio ad altare, ex lib. 3. de Trinit. adduximus.

Gratiarum actio post communionem.

QVIBVS peractis (inquit) & participato tanto sacramẽto, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apostolus. Idẽ epist. sæpè cit. ad Paulin.

QVEM locum sic explicat D. Amalarius: Iuxta (inquit) Augustinum, quartus ordo Orationum, gratiarum actione omnia concludit: hoc est, quandò populus respondet, Deo gratias. Amal. in prol. & li. 1. de Eccl. offic. c. 34.

Catechumenis etiam traditus panis sanctificatus, alius à corpore Christi.

NON vniusmodì (inquit) est sanctificatio. Nam & Catechumenos secundùm quendam modum suum, per signum Christi, & orationem manûs impositionis puto sanctificari, & quod accipiunt, quamuìs non sit corpus Christi, sanctũ est tamen, & sanctius, quàm cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est. Idẽ li. de pecc. merit. & remiss. lib. 2. ca. 26.

Post sacrificium Agapes.

NEC sacrificia (inquit) eorum vertimus in Agapes, sed sacrificium illud, quod pauloantè commemoraui, intelleximus, dicente Domino: Misericordiam volo * quàm sacrificium. Agapes enim Idẽ cõtra Faust. lib. 20. ca. 20. Matt. 12.

Osee 6. nostrę pauperes pascunt, siue frugibus, siue carnibus. Pascitur enim creatura Dei, quæ hominis dapibus congrua est.

AC paulopòst: Quoniam plerunq; in agapibus etiã carnes pauperibus erogãtur, misericordiã Christianorũ similem dicitis sacrificijs Paganorum, quorum nonnullis in hoc quoq; similes estis.

Per sacrificium vera peccatorum remißio.

Idẽ in Leuit. qu. 57. Ioan. 6. SED quum Dñs dicat, (inq̃t) Nisi mãducaueritis carnẽ meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quid sibi vult, quòd à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantoperè populus prohibetur, si illis sacrificijs vnum hoc sacrificium significabatur, à quo vera fit remißio peccatorũ: à cuius tamen sacrificij sanguine in alimentum sumẽdo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur, qui volunt habere vitam?

Idẽ de ciuit. Dei li. 20. c. 25. 1. Ioan. 4. ET alibì: Filios aũt Leui, & Iuda, & Hierusalem, ipsam Dei Ecclesiam debemus accipere, non ex Hebræis tantùm, sed ex alijs etiam gentibus congregatã, nec talem, qualis nũc est, vbì si dixerimus, quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est: sed qualis tũc erit velut area per ventilationẽ, ità per iudiciũ purgata nouißimũ, eis quoq; igne mundatis, quibus talis mundatio necessaria est: ità vt nullus omninò sit, qui offerat sacrificium pro peccatis suis. Omnes eñ qui sic offerunt, profectò in peccatis sunt, pro quibus dimittendis offerũt, vt cùm obtulerint, acceptumq́ue Deo fuerit, tunc dimittantur.

Sacrificia malorum, bonis non obsunt.

Idem cõt. Parmen. lib. 1. c. 6. SACRIFICIA ergò (inquit) impiorũ eisipsis oberunt, qui offerunt impiè. Nam vnum atq; idem sacrificiũ, propter nomen Dñi quod inuocatur, & semper sanctũ est, & tale cui fit, quali corde ad accipiendum accesserit. Qui eñ manducat & bibit indignè, iudiciũ 1. Cor. 11. sibi manducat & bibit. Non ait alijs, sed sibi. Qui ergò manducat dignè & bibit, gratiam sibi manducat & bibit.

AC rursùm: Nos (inquit) dicimus tale cuiq; ſacrificium fieri, qualis accedit vt offerat, & qualis accedit vt ſumat, & eos de ſacrificijs talium manducare, qui ad illa tales accedunt, quales & illi ſunt. Itaque ſi offerat Deo malus, & accipiat indè bonus, talis cuiq; eſſe, qualis quiſque fuerit: quia & illud ſcriptum eſt, Omnia munda mundis.

Idẽ cõtra Petilian. lib. 2. c. 52.

Tit. 1.

A ieiunis offerendum, nisì fortè feria V. Cœnæ Domini.

ILLVD (inquit) magìs mouere debet homines, vtrùm iam refecti illa die, vel offerrent vel ſumerent Euchariſtiam &c. vt ſuprà de ſacrificio Apoſtolico, p. 51.

Idẽ epiſt. 118. ad Ianuar. c. 6.

ET deindè: Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectauit, vt vno certo die per annũ, quo ipſam cœnam Dñs dedit, tanquàm ad inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri & accipi liceat corpus & ſanguis Dñi. Honeſtiùs aũt arbitror ea hora fieri, vt qui etiam ieiunauerit, poſt refectionem quæ hora nona fit, ad oblationem poſsit occurrere. Quapropter neminem cogimus Dñica illa cœna prandere, ſed nulli etiam contradicere audemus: hoc tamen non arbitror inſtitutum: nisì quia plures & propè omnes in pleriſq; locis eo die cœnare conſueuerunt. Et quia nonnulli etiam ieiunium cuſtodiunt, manè offertur Chriſto, propter prandentes, quia ieiunia ſimul & lauacra tolerare non poſſunt: ad veſperam verò, propter ieiunantes.

Idem c. 7.

Eo die, an manè & veſpere, an verò veſpere duntaxàt offerendum.

SI verò (inquit) in aliena patria cùm peregrinetur, vbì maior & frequentior eſt populus Dei, vidit, verbi gratia, bìs offerri quinta ſabbati hebdomadæ vltimæ quadrageſimæ, & manè & ad veſperã, veniensq; in patriã ſuã, vbì fine diei mos eſt offerri, malè illiciteq; fieri contendat, quoniam alibì aliter ipſe viderit: puerilis eſt ſenſus ille, cauendus in nobis, tolerandus & corrigendus in noſtris.

Ibid. c. 4.

AC paulò pòst: Quæris enim his verbis, quid per quintam feriam vltimæ hebdomadis Paschæ fieri debeat: An offerendum manè, & rursùs post cœnam, propter illud quod dictum est: Similiter postquàm cœnatum est: An ieiunandum, & post cœnam tantummodò offerendum: An etiam ieiunandum & post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum. Ad hæc itaque respondeo, vt quid horum sit faciẽdum, si diuinæ scripturæ præscribit authoritas, non sit dubitandum, quin ità facere debeamus vt legimus, & iam non quomodò faciendum, sed quomodò sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam si quid horum, tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam hoc quin ità faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. Sed neque hoc, neque illud inest in eo quod tu quæris. Restat igitur vt de illo tertio genere sit, quod per loca regionesque variatur. Faciat ergò quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, inuenerit. Non enim quicquam eorum contra fidem fit, aut contra mores, hinc vel indè meliores. His em̃ causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperàm fiebat, vel institui quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat. Quapropter quæ vtilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est. Nec ideò putari debet institutum esse multis locis, vt illo die post refectionem offeratur, quia scriptum est identidèm: Et calicem accipiens post cœnam, dicens, &c. Ipsam enim potuit appellare cœnam, qua iam corpus acceperant,
1. Cor. 11. vt deindè calicem acciperent. Apostolus nanque alibì dicit: Conuenientibus ergò vobis in vnum, non est Dominicam cœnam mãducare, Hanc ipsam acceptionem Eucharistiæ, Dominicam cœnam vocans.

Sacrificium priuatum.

Idẽ de ciuir. Dei l. 22. ca. 8. VIR Tribunitius (inquit) Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, Cubedi appellatum: vbì cùm afflictio-

flictione animalium & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente, presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibì sacrificium corporis Christi, orans, qutàùm potuit, vt cessaret illa vexatio. Deo protinùs miserante, cessauit.

Sacrificium in designatione Episcopi.

AVGVSTINVS (vtì est in gestis designationis Eradij successoris eius) Episcopus dixit: Benè habet, vt ea quæ Dei sunt, circa sacrificium eius agere valeamus, in qua hora supplicationis nostrę, maximè commẽdo charitati vestrę, vt omnes vestras causas & negocia intermittatis, & pro ista Ecclesia & pro me, & pro presbytero Eradio, Domino precem fundatis. Apud eũdẽ ep. 100.

Sacrificia pro defunctis.

NEQVE negandum est, (inquit) defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerent, vt hæc sibi posteà prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat: & est rursùs talis in malo, vt nec his valeat, cùm hęc vita transiërit, adiuuari. Quocircà hîc omẽ meritum comparatur, quo poßit post hanc vitam relèuari quispiam vel grauari. Nemo autem se speret, quod hîc neglexerit, cùm obiërit, apud Deum promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sentẽtiæ, qua dictũ est: Omnes eñ adstabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; secundùm ea quæ per corpus geßit, siue bonum, siue malum: qa etiam hoc meritum sibi quisque, cùm in corpore viueret, comparauit, vt ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quarè non omnibus pro- In Enchi. ad Laur. cap. 109. 2. Cor. 5.

prosunt, nisi propter differentiam vitæ quam quisque gesśit in corpore? Cùm ergò sacrificia siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis, propitiationes sunt: pro valdè malis, & si nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque viuorum cõsolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remisśio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Idẽ lib. de cur. pro mort. c. 4. ET alibì: Hæc ità (inquit) soluitur quæstio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore viuitur, vt aliquid adiuuent ista defunctos: ac per hoc secũdùm ea quæ per corpus gesserunt, eis, quæ post corpus religiosè pro illis facta fuerint, adiuuentur. Sunt enim quos nihil omninò adiuuant ista: siue pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, vt neq; talibus digni sint adiuuari: siue pro eis, quorum tam bona, vt talibus non indigeant adiumentis. Genere igitur vitæ, quod gesśit quisque per corpus, efficitur, vt prosint vel non prosint, quæcunq; pro illo piè fiunt, cùm reliquerit corpus. Nam meritum, per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustrà quæritur post hãc vitam. Ità fit, vt neque inaniter Ecclesia vel suorũ cura pro defunctis, quod potuerit religionis impendat: & tamen ferat vnusquisq; secundùm ea quæ per corpus gesśit, siue bonũ, siue malũ, reddẽte Dño vnicuiq; secũdùm opera eius. Vt enĩ hoc quod impẽditur, posśit ei ꝓdesse post corpus, in ea vita acquisitũ est, quam gesśit in corpore.

DEINDè quum verba sua citâsset ex lib. 1. de Ciuit Dei, ca. 12. de sepultura quæ mortuis rectè impenditur, & deindè explicâsset, tum quòd prosit sepultura apud Memorias martyrum, tum alia multa eodèm spectantia, sic tandèm concludit: Quæ cùm ità sint, non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire, nisi quod pro eis siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificijs solenniter supplicamus; quanuis non pro

Idem ibidèm c. 18.

quibus fiunt, omnibus prosint, sed ijs tātùm, quibus, dum viuunt, cōparatur vt prosint. Sed qa non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorū ꝑtermittatur, ad quos hęc beneficia poßint & debeant peruenire. Meliùs enim supererūt ista eis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quàm eis deerunt quibus prosunt. Diligentiùs tamen facit hæc quisq; pro necessarijs suis, quòd pro illo fiat similiter à suis.

AC rursùm quęstionem tractans: Vtrùm oblatio quæ fit pro quiescentibus, aliquid eorum conferat animabus, nihil aliud adfert, quàm locos iam citatos de Cura pro mortuis ad Paulinum Nolanum, ac ex Enchiridio ad Laurentium. Idē q. 2. ad Dulcitiū.

EODEM pertinet illud ad Aurelium Carthaginiēsem Episcopum, vbì per Concilium prohibenda censet conuiuia à sacris locis & defunctorum exequijs: Sed quoniam (inquit) istæ in Cœmeterijs ebrietates & luxuriosa conuiuia, nō solùm honores martyrum à carnali & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum: mihi videtur faciliùs illis dissuaderi posse istam fœditatem ac turpitudinem, si & de scripturis prohibeatur, & oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adiuuare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atq; omnibus petentibus sine typho & cum alacritate præbeantur, neq; vendantur. Sed si quis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluērit, in præsenti pauperibus erogetur. Ità nec deserere videbuntur memorias suorū, quod potest gignere non leuem cordis dolorē: & id celebrabitur in Ecclesia, quod piè honesteq; celebratur. Idem epi. 64.

ITEM quod de funere narrat suæ matris Monicę: Psalterium (inquit) arripuit Euodius, & cantare cœpit Psalmum. Cui respondebamus omnis domus: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Audito autem quid ageretur, conuenerunt multi fratres ac religiosę fœminę, & de more illis, quorum officium erat, funus curantibus, &c. Idē Confess. lib. 9. cap. 12. Psal. 110.

AC deindè: Quum eccè corpus elatum eſt, imus & redimus ſine lachrymis. Nam neq; in eis precibus quas tibi fudimus, cùm offerretur pro ea ſacrificium precij noſtri, iam iuxta ſepulcrum poſito cadauere, priuſquàm deponeretur, ſicut illic fieri ſolet, nec in eis precibus ego fleui, ſed toto die grauiter in occulto mœſtus eram, & mente turbata rogabam te, vt poteram, q̄ ſanares dolorem meum, nec faciebas.

Poſſid. in vit. Aug. ILLVD deniquè, quod de ipſius D. Auguſtini funere narrat D. Poſsidius: Membris om̃ibus ſui corporis incolumis, intergro adſpectu atq; auditu, & vt ſcriptum eſt, nobis adſtantibus & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace cum patribus ſuis, enutritus in bona ſenectute: & nobis coràm poſitis, pro eius commẽdanda corporis depoſitione, ſacrificium Deo oblatum eſt, & ſepultus eſt.

Pro non baptizatis verò, ſacrificium non fiat.

Idem de anim. & eius orig. lib. 1. c. 11. SALVA (inquit) fide Catholica & Eccleſiaſtica regula, nulla ratione conceditur, vt pro non baptizatis cuiuſlibet ætatis hominibus, offeratur ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti.

Idem lib. 2. cap. 15. ET poſteà: Nec quiſquam pro eis obtulit, vel oblaturus eſt ſacrificium, quod iſte etiam pro non baptizandis cenſuit offerendum.

Ibidèm. li. 3. ca. 12. AC latiùs: Noli credere, nec dicere, nec docere, ſacrificiũ Chriſtianorum pro ijs, qui non baptizati de corpore exiĕrint, offerendum, ſi vis eſſe catholicus. Quia nec illud quod de Machabæorum libris commemorâſti, ſacrificium Iudęorũ, pro eis qui non circuncisi de corpore exiĕrint, oſtendis oblatum. In qua tua ſentẽtia tam noua, & cõtra Eccleſię totius authoritatẽ diſciplinamq; prolata, verbo etiã inſolẽtiſsimo vſus es, dicẽs: Pro his ſanè oblatiões aſsiduas, & offerẽda iugiter ſanctorũ cenſeo ſacrificia ſacerdotũ: vt te homo laicus ſacerdotibus DEI nec diſcendo ſubderes, nec ſaltem ſimul quærendo miſceres, ſed cenſendo præponeres.

EODEM

EODEM pertinet illud: Non omninò ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ità vixerint ante mortẽ, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, eiusque sacramentis de corporibus exierũt, frustrà illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius, dum hîc essent, pignore caruerunt.

Idẽ serm. de verb. Apostoli 34.

D. ZOZIMI ROMANI PAPAE XLII. STATVTVM DE ECCLESIASTICIS MINISTERIIS.

HAEC autem (inquit D. Zozimus ad Hesychium Salonitanum episcopum) in singulis gradibus obseruãda sunt tempora. Si ab infantia Ecclesiasticis ministerijs nomen dederit, inter lectores vsq; ad vicesimum ætatis annum, cõtinuata obseruatione, perduret. Si maior iam & grandęuus accesserit, ità tamen, vt post baptismum statìm se diuinæ militiæ desideret mãcipari, siue inter lectores, siue inter exorcistas quinquennio teneatur: exindè acolytus, vel subdiaconus, quatuor annis, & sic ad benedictionem diaconatûs (si meretur) accedat: in quo ordine quinque annis, si inculpatè se gesserit, hærere debebit. Exindè suffragantibus stipẽdijs, per tot gradus datis propriæ fidei documẽtis, presbyterij sacerdotium poterit promereri. De quo loco (si eò illũ exactior ad bonos mores vita perduxerit) summum pontificatum sperare debebit.

Zozim. pap. epist. 1.

D. EVODII VZALENSIS IN AFRICA EPISCOPI SACRAMENTORVM CELEBRATIO, DVM IN AFRICAM AB OROSIO PRESBYTERO ADFERRENTVR D. STEPHANI RELIQVIAE.

Author miracul. D. Steph. apud Vzalin. c. 1. inter Serm. D. August. recèns editos à I. Vlimmerio.

ALIA (inquit author miraculorum D. Stephani in Ecclesia Vzalensi, iussu ipsius Euodij conscriptorum) virgo sacra ad locum antiquorum martyrum in suburbio ciuitatis constitutorum, qui Felix & Gemnadius nuncupantur, videbatur sibi iter facere per somnium, non ea via qua de ciuitate pergi assolet compendiosa, sed (id enim desiderabatur) aliquantulùm deuia & flexuosa. Per hanc videt aduentare innumeros populos, gaudentes sanè atq; psallêtes, & cęteros luminaria cum grandi celebritate gestantes, & quasi quendam candidatum comitantes, eiq; iteratis vocibus inclinantes, Confessor Christi, confessor Christi.

IGITVR post quadraginta fermè dies, ex quo ista reuelata sunt, in loco memoratorũ Martyrum (nam & hoc deerat) nostrorum, quò illa pergentem se viderat, susceptis ibì reliquijs, atq; sacramentis fidelium celebratis, exindè cantantes atque psallentes, cum immensæ multitudinis choris ad ciuitatem regredi cœpimus, per illam verè (sic enim lego, pro, verò) viam, quæ puellæ monstrata est. Portabantur autem sancti Episcopi gremio residentis in vehiculo, sanctę reliquiæ.

IAM verò sicut ostensum erat puellę. ità cereis luminaribusq; fulgebant. Eandem quoquè, quam illa per visionem viderat, nos etiam intrauimus Ecclesiam.

EODEM pertinet quod sequitur: Eodem nanque die quo ingreßi sunt Ecclesiam beati Stephani sanctę reliquiæ, in ipso principio canonicarum lectionum, epistola quoquè ad nos delata cuiusdam sancti Episcopi, Seueri nomine, Minoricensis insulæ, de pulpito in aures Ecclesiæ cum ingenti fauore recitata est. Quæ continebat gloriosi Stephani virtutes, quas in insula memorata per præsentiam reliquiarum suarum in salutem omnium illic credentium perfecerat Iudęorum.

CONCILII

CONCILII TELENSIS (SEV POTIVS TELEPTENSIS) STATVTVM, DE SACERDOTVM, OB QVOTIDIANA SACRIFICIA, CONTINENTIA.

PERTINET huc, quòd confirmetur hoc Concilio, epistola Decretalis D. Syricij papæ ad Episcopos per Africã: cuius verba videre est suprà, de sacerdotum & Leuitarum etiam cum suis vxoribus continentia. Cõcil. Telens. Act. Syricij papæ epist. ad Afric. episc.

ATQVI neque in Hispaniæ oppido Tela, neque in Latij oppido Telleno, hoc Concilium cõtigisse, sed potiùs in Telepte Byzacenę prouinciæ ciuitate, colligere est: tum quòd in actis Byzacenum hoc Concilium nuncupetur, tum quòd illi pręsederit Donatianus ille senex Teleptensis Episcopus, primas Byzacenę prouincię, cuius frequens mentio est in cæteris Africæ concilijs.

D. BONIFACII XLIII. PAPAE ROMANI SACRA MYSTERIA, ET STATVTA DE IIS-DEM.

Inter ipsa mysteria preces pro Imperatoribus.

ECCE enim (inquit D. Bonifacius Papa epistola ad Honorium Augustum) inter ipsa mysteria, inter preces suas, quas pro vestri felicitate dependit imperij, teste (apud quem & de cuius sede agitur) S. Petro, solicitis pro religionis obseruantia vocibus clamat, cum solicita petitione miscetur oratio, nè nos in varias res semèl euulsa, distrahat à DEI cultu solito, tentatore solicitante, discordias. Bonifac. pap. epist. 1.

Oblationes discordantium non recipiantur.

Discordantium (inquit alibì) fratrum oblationes, iuxta antiqui canonis diffinitionem, nullo modo recipiendas esse censemus. Ex libr. 4. Can. antiqu. c. 21.

Ante

Ibid. Ante reconciliationem nemo communicet.

PERSONIS tamen diſcordantibus, id ſpeciali diffinitione prę-cipimus, vt eos antè reconciliatio vera innectat, quàm vllus eorum accedere ad altare Domini audeat, vel gratiam cõmunionis ſanctæ percipiat: ſed geminato tempore per pœnitentiam compenſabunt, quo diſcordiæ ſeruiêrunt.

Pallam ſacratam etiam monacha nè contingat.

Lib. Pontif. c. 42. HIC Bonifacius (inquit author libri Pontificalis) conſtituit, vt nulla mulier, etiam (ſic enim legendum, pro eo quod eſt, aut) monacha, pallam ſacratam contingeret aut lauaret, aut incenſum poneret in Eccleſia, niſì miniſter.

QVOD repetitur à Sigeberto in Chronicis, Radulpho Tungrenſi, c. vlt. & Martino Polono in Chronicis.

D. MAXIMI TAVRINENSIS EPISCOPI DIVINAE FVNCTIONES ET RELIGIONIS ARCANVM.

Sacerdotum diuinæ functiones.

Maximus homil de dict. Iſai. Caupones tui &c. HOC increpat (inquit D. Maximus) in eis, quòd quum functionum diuinarum eſſent præſules, ſectatores rerum facti ſunt terrenarum.

Religionis arcanum.

Idem hom. 7. de Epiph. QVOD aquæ (inquit) transformantur in vinum, religionis deſignatur arcanum.

Ibid. hõ. 1. ET alibì explicatiùs: Quòd aquę nouo ſunt ordine in vina mutatę, noui nobis poculi prælibatum eſt ſacramentum.

Idẽ hom. ex Iſaia suprà cit. EODEM pertinet & illud de ſacerdotibus: Qui ſitientibus populis miniſtrant poculum ſaluatoris.

Ritus ſolennitatis Paſchalis & Pentecoſtes.

Idem hom. 1. de Pentec. Nôſſe (inquit) vos credo fratres, quæ ſit ratio, quòd venerabilẽ hanc Pentecoſtes diem non minore lætitia celebramus, quàm ſan-

ctum Paſcha curauimus: & quòd eadem deuotioue huius ſolénitatis obſeruantiam decurrimus, ſicut illius obſequia feſtiuitatis impleuimus. Tunc enim, ſicut modò fecimus, ieiunauimus ſabbato, vigilias celebrauimus, orationibus pernoctanter inſtitimus.

Paſchali tempore & Dominicis diebus ſtationes.

SCIRE debet (inquit) ſanctitas veſtra, fratres, hanc ſanctã Pentecoſtes diem qua ratione curemus, vel cur iſtorum quinquaginta dierum numero ſit nobis iugis & continuata feſtiuitas, ità vt hoc omni tempore neq; ad obſeruandũ indicamus ieiunia, neq; ad exorandum Deum genibus ſuccidamus: ſed, ſicut Dominica ſolemus facere, erecti & feriati reſurrectioné Domini celebramus. Dominica enim nobis ideò venerabilis eſt atq; ſolennis, quia in ea ſaluator velut ſol oriens, diſcuſsis infernorum tenebris, luce reſurrectionis emicuit: ac propterea ipſa dies ab hominibus ſeculi, dies Solis vocatur, quòd ortus eam ſol iuſtitiæ Chriſtus illuminet. Inſtàr ergò Dominicæ, tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes iſti dies, velut Dominici, deputantur. Reſurrectio enim Dominica eſt. Nam in Dominica reſurgens Saluator, reuerſus ad homines eſt: & poſt reſurrectionem, tota quinquageſima cum hominibus commoratus eſt. Aequalis ergò eorum, neceſſarium, vt eſſet feſtiuitas, quorum æqualis eſſet quantitas. Idem de ead. hom. 3.

Aliæ in Eccleſiarum frequentatione cęremoniæ.

RECTE (inquit) frater frequentabis Eccleſiam, ſi greſſus tuos lethalibus laqueis auida illa non implicet & inuoluat vſura. Rectè orabis Dominum tuum, ſi precibus tuis obuia tibi cordis tui non obſiſtat inuidia. Rectè contundes manibus pectus, ſi omnem indè furorem malignę voluntatis excuſſeris. Idē hom. 3. de quadrag.

In oratione etiam manuum eleuatio.

IPSIVS enim (inquit) inceſſus hominis, cùm manus leuauerit, crucem pingit: atque ideò eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipſo quoquè membrorum geſtu paſsionem Domini fateamur. Idem de Cruce & ſepult. Domini homil. 2.

Tunc enim citiùs noſtra exauditur oratio, cùm Chriſtum quem mens loquitur, etiam corpus imitatur. Hoc etiam exemplo Moyſes ſanctus, cùm contra Amalech bellum gereret, non armis, non ferro, ſed eleuatis ad Deum manibus, eum ſuperauit.

Altare priuſquàm quis accedat communicaturus, reconcilietur fratri.

Idē hom. de S. Stephan.

AVDIAT (inquit) non me, ſed ipſum Dominum ſuum: Si (inquit) offers munus tuum ad altare, & ibì recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersùm te, relinque ibì munus tuum ante altare, & vade: priùs reconciliare fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum. At nos pugnas habentes intrinſecùs, & dolos in corde verſantes, quaſi qui bonam conſcientiam habeamus, præſumimus accedere ad altare, non timentes quod ſcriptū eſt: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.

D. CAELESTINI ROMANI PAPAE XLIIII. SACRIFICIA, ET CIRCA EA CONSTITVTVM.

In Romana Eccleſia Antiphonæ ex Pſalmis ante ſacrificium inſtitutæ.

Author l. Pontif. c. 42.

HIC (inquit de D. Cęleſtino papa liber Pontificalis) conſtituit, vt Pſalmi Dauid 150. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatìm ex omnibus: quod anteà non fiebat, ſed tantùm Epiſtolę B. Pauli recitabantur, & ſanctum Euangelium. Hic fecit cōſtitutum de omni Eccleſia, maximè & de religionibus, quod hodiè archiuis Eccleſiæ tenetur reconditum.

Alcuin. de diuin. off. p. 78.

QVOD ſic pulchrè interpretatur Alcuinus: Hoc officium (inquit) Miſſæ addidit Cęleſtinus papa, & cōſtituit, vt pſalmi CL. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatìm ex omnibus, quod anteà non fiebat, nisì tantùm Epiſtola Pauli recitabatur, & ſanctū Euāgelium,

gelium,& ſic Miſſa celebrabatur. Quod nos ità intelligimus,quia ex omnibus pſalmis excerperet antiphonas,quæ pſallerentur in officio Miſſæ: nam anteà inchoabatur Miſſa à lectione,Qui mos adhuc retinetur in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes.

Amala. de Eccl.offic. l.1.c.5.

IDIPSVM ijſdem verbis repetit Amalarius.

Hraban. de inſtit. cler. l.2.c. 32.

Conſentit & Hrabanus Maurus in hęc verba:Sedenim in initio mos iſte cantandi non erat, qui nunc in Eccleſia ante ſacrificium celebratur, ſed tantùm (ſic enim lego, pro, tamen) epiſtolæ Pauli recitabantur,& ſanctum Euangelium. Cæleſtinus autem XLV. Epiſcopus poſt Petrum Romanę Eccleſiæ,traditur primus ſtatuiſſe, vt pſalmi CL. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatìm ex omnibus.

Vualafr. de reb. Eccleſ. c. 22.

ET Vualafridus Strabus: Antiphonas(inquit)ad Introitum dicere Cæleſtinus papa inſtituit,ſicut legitur in geſtis Pontificũ Romanorum, cùm ad eius vſq; tempora, ante ſacrificium lectio vna Apoſtoli tantùm,& Euangelium legeretur.

Repetuntur item verba Pontificalis libri à Bernone Augienſi de Miſſa c.1.& Mariano Scoto l.2.hiſt.

Sigebert. ad an.416.

SIGEBERTVS & poſt eum Martinus Polonus de eodem ſcribunt in hæc verba: Hic conſtituit, vt pſalmi Dauid, ante ſacrificium canerentur antiphonatìm ex omnibus: quod antè nõ fiebat,nisì tantùm epiſtola B.Pauli & ſanctum Euangelium recitabatur. Ex hoc inſtituto,excerpti ex pſalmis introitus, Gradalia, Offertoria ante ſacrificium,communiones(ſic enim MS.codices, pro,communionis) inter communicandum, cum modulatione, ad Miſſam in Eccleſia Romana cantari cœperunt.

Idem ad an. 688.

ET alibì: Cæleſtinus papa, Introitus, Gradalia, Offertoria & Communiones,ex pſalmis modulari antiphonatìm inſtituit.

Radulph. ad obſeru. can.c.23.

RADVLPHVS deniquè Tungrenſis latiſsimè.Cęleſtinus(inquit) primus natione Romanus,qui cœpit anno Domini 418.cõſtituit, vt pſalmi Dauid C.& L. ante ſacrificiũ canerẽtur antipho-

natìm ex omnibus, quod antè non fiebat, nisì tantùm epiſtola beati Pauli,& ſanctum Euangelium recitabatur. Ex hoc inſtituto excerpti ex pſalmis Introitus,Gradualia, Offertoria ante ſacrificium,communiones inter communicandum, cum modulatione ad Miſſam in Eccleſia Romana cantari cœperũt ſecundùm Sigebertum & alios in Chronicis. Non autem intelligendum,quòd Cæleſtinus primò introduxit pſalmos dici particulatìm ante ſacrificium, immò ab initio diù ante eum à patribus ſunt ſeruati. Vndè Caſsianus libro tertio de inſtitutis monachorum,c. decimo. Verùm ne hoc quidem ignorandum, die Dominica vnam tantummodò Miſſam ante prandium celebrari. In qua Pſalmorum atque orationum ſeu lectionum pro ipſius collectæ vel communionis Dominicæ reuerentia ſolennius aliquid impendentes, in ipſa tertiam ſextamq́ue pariter conſummatam reputãt. Quotiès igitur idem à diuerſis conſtitutum reperitur, intelligi debet, quòd poſterior conſtitutum vel obſeruatum à prioribus, vel innouauit, vel authorizauit, vel emendauit, declarauit, publicauit, aut quid ſimile fecit.

In obſecrationibus ſacerdotalibus die Paraſceues orationes ſolennes.

Cæleſt. pap epiſt. 1.

QVVM enim (inquit ipſe D. Cęleſtinus papa epiſtola ad Epiſcopos Galliæ contra Pelagium & Cęleſtium) ſanctarum plebium præſules mandata ſibimet legatione funguntur: apud Diuinam clementiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum cõgemiſcente Eccleſia, poſtulant & precãtur: vt infidelibus donetur fides, vt idololatrę ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, vt Iudęis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat: vt hæretici, catholicę fidei perceptione, reſipiſcant: vt ſchiſmatici ſpiritum rediuiuæ charitatis accipiant: vt lapſis pœnitentiæ remedium conferatur: vt deniquè catechumenis, ad regenerationis ſacramenta perductis, cęleſtis aula miſericordiæ reſeretur.

HVNNI,

HVNNI, SVEVI, VANDALI ET BVRGVNDIONES, IN HISPANIIS ET GALLIIS, AD CATHOLICAE ECCLESIAE RITVM CONVERSI.

QVANQVAM (inquit Paulus Orosius) si ob hoc solùm Barbari Romanis finibus immissi forent, quod vulgò per orientem & occidentem Ecclesiæ Christi Hunnis, Sueuis, Vandalis,& Burgundionibus, diuersis & innumeris credentium populis replentur, laudanda & adtollenda misericordia DEI videretur: quandoquidem, &si cum labefactatione nostrî,tantæ gentes agnitionem veritatis acciperent,quam inuenire vtiq;, nisì hac occasione,non possent. Paulus Orof. l.7. c.41. cōtra Pagan.

ET alibì expresśiùs de Burgundionibus:Burgundionū(inquit) nouorum hostium nouum nomen, qui plùs quàm octoginta millia(vt ferūt)armatorum,ripę Rheni fluminis insederūt. Hos quōdàm, subacta interiore Germania,à Druso & Tiberio adoptiuis filijs Cæsaris, per castra dispositos, aiunt in magnam coaluisse gentem : atque etiam ità nomen ex opere præsumpsisse, quia crebra per limitem habitacula constituta, Burgos vulgò vocant, eorumq; esse præualidam & perniciosam manum, Galliæ hodieque testes sunt,in quibus pręsumpta possessione consistunt:quanuìs prouidentia Dei oēs Christiani modò facti,catholica fide, nostrisque clericis quibus obedirent receptis, blandè, mansuetè, innocenterque viuant,non quasi cum subiectis Gallis,sed verè cum fratribus Christianis. Ibi.ca.32.

QVO loco dum clericorum sit mentio,nō dubium quin & illis sacrificia vsitata fuerint.

D. AMATORIS ANTISSIODORENSIS EPISCOPI SACRAE BENEDICTIONES IN ORDINATIONE D. PATRICII EPISCOPI.

Beda vit. D. Patricij lib. 1.

PATRICIVS aũt(inquit ven. Beda)& qui cum eo erant, declinauerunt iter ad quendam miræ ſanctitatis hominẽ, ſummum epiſcopum, Amatorẽ nomine, in propinquo loco habitantem: vbì S. Patricius ſciens, quæ ſuperuentura eſſent illi, epiſcopali gradu ab eodem archipræſule Amatore ſublimatus eſt. Sed & alij nonnulli clerici ad officium inferioris gradûs ordinati ſunt. Eodem verò die, quo S. Patricius ſacris benedictionibus conſecratus eſt, conuenienter hoc pſalmiſtæ canticum, in choro pſallentium clericorum decantatum eſt: Tu es ſacerdos in æternum ſecũdùm ordinem Melchiſedech.

D. PATRICII SCOTORVM APOSTOLI SACRIFICIVM.

Idẽ Beda loco cit.

HVC inprimìs pertinet, quod de illius aduentu Magi prędicebant, teſte eodem Beda: Adueniet totius artis magiſter cum ſigno ſuæ crucis, & de altari ſacramentorum conuertet animas ad Chriſtum, & omnis populus Chriſtianorum reſpondebit, Amen.

Ibidèm.

DEINDè & illud eiuſdẽ Bedæ: Appropinquauit aũt Paſcha, (inquit) quod primùm in hac inſula, non ſicut quondàm in terra Geſen celebratũ eſt, ſed ſicut Dei filius in cœna ſua cùm diſcipulis corpus & ſanguinem ſuũ in redemptionẽ noſtram cõſecrauit.

AC paulopòſt: Venerunt (inquit) in campum illũ maximum, Breg nũcupatum, fixoq; ibì tentorio, debita Paſchæ vota in ſacrificium laudis, cum omni deuotione S. Patricius cum ſuis omnibus altiſsimo Deo, ſecũdùm prophetę vocem, reddidit.

EIVSDEM MISSA IN SYNODO.

Ibid. l. 2.

DEINDè(inquit idẽ ven. Beda) ſanctiſsimus Patricius Epiſcopus venit ad fontẽ, qui dicitur Debach, in lateribus Crochon cõtra ortũ ſolis, cum tribus epiſcopis & multis clericis, vt haberent conciliũ de Eccleſiaſticis rebus, & ſederũt iuxta fontem.

ET

ET non multò pòst: Tunc baptizauit filias Regis duas S. Patricius, & induit eas veste alba & candida. Quę cùm essent baptizatæ, postulauerunt videre faciem Christi. Et dixit eis S. Patricius episcopus: Nisì gustaueritis de corpore & sanguine Christi, & nisì mortem corporis senseritis, non potestis Christum videre in gloria sua. Dixerũt, Da nobis sacrificium corporis & sanguinis Christi, vt soluamur à corruptione carnis, & videamus sponsum nostrum qui in cęlis est. Tunc Missam celebrante sancto Patricio, communicauerunt filię regis cum spe magna & fide perfecta: & cùm communicâssent, statìm requieuerunt in pace. Ibidèm.

VANDALORVM ARRIANISMO IAM INFECTORVM, IN ECCLESIAS AFRICAE, SACRIFICIIS SVBLATIS, CRVDELIS GRASSATIO.

BREVI consequenti tempore (inquit Diuus Posidius Calamensis Episcopus) diuina voluntate & potestate euenit, (sic enim lego, pro, pręuenit) vt manus ingens, diuersis telis armata & bellis exercitata, immanium hostium Vandalorum & Alanorum, commixtam secum habentes Gothorum gentem, aliarumq; diuersarum gentium personas, ex Hispanię partibus transmarinis, nauibus Africę influxisset & irruisset: vniuersa per loca Mauritaniarum, etiam ad alias nostras transiens prouincias & regiones, omni sæuiens crudelitate & atrocitate, cuncta quę potuit, expoliatione, cędibus, diuersisque tormentis, incendijs, alijsque innumerabilibus & infandis malis depopulata est, nulli sexui, nulli parcens ętati, nec ipsis DEI sacerdotibus vel ministris, nec ipsis Ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel ędificijs. Et hanc ferocissimam hostium grassationem & vastationem ille homo Dei Augustinus, & factam fuisse & fieri, non vt cęteri homines, sentiebat & cogitabat: sed altiùs & profundiùs eam considerans, Possid. sub finem vitæ D. Augustin.

& in

& in his animarum præcipuè vel pericula, vel mortes præuidens, solito ampliùs (vt scriptum est, Qui apponit sciétiam, apponit dolorem: & cor intelligens, quasi tinea ossibus) fuerunt ei lachrymæ panes die ac nocte, amarissimamque & lugubrem, præ cæteris suæ senectutis, iam penè extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ille homo Dei ciuitates excidio perditas pariter cum ædificijs, villarumque habitatores alios hostili nece extinctos, alios effugatos atque dispersos: Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesq; sacras & quosq; continentes vbiq; dissipatos: & in his alios defecisse tormentis, alios gladio interemptos esse, alios in captiuitate, perdita animi & corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hostibus deseruire. Cernebat etiam hymnos Dei & laudes de Ecclesijs deperîsse, ędificia Ecclesiarum quamplurimis locis ignibus concremata esse: solennia quoquè, quæ Deo debentur, de proprijs locis defecisse: sacrificia ac sacraméta diuina vel non quæri, vel quærenti qui tradat, non facilè reperiri: in ipsas montium syluas & cauernas petrarum & speluncas confugientes, vel ad quascunque munitiones, alios fuisse expugnatos & interfectos, alios necessarijs sustentaculis euolutos atq; priuatos, vt fame contabescerét: ipsosq; Ecclesiarum præpositos & clericos, qui fortè Dei beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes euaserant, rebus omnibus expoliatos atque nudatos, egentissimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia, quibus fulciendi essent, subuenire posse. Vix tres superstites videbat ex innumerabilibus Ecclesijs, hoc est, Carthaginiensem, Hipponensem, & Cirthensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt, & earũ permanent ciuitates, & diuino & humano fultæ præsidio, licèt post eius obitũ vrbs Hipponẽsis incolis destituta, ab hostibus fuerit concremata.

Victor Vticens. lib. 1. de persec. Vandal.

ET post eum Victor Vticensis: Sexagesimus (inquit) nunc, vt clarum est, agitur annus, ex quo populus ille crudelis ac sæuus Vandalicæ gentis, Africæ miserabilis attigit fines, transuadens facili

cili transitu per angustias maris, qua inter Hispaniam Africamque æquor hoc magnũ & spatiosum bissenis millibus, angusto se limite coarctauit. Transiens igitur quantitas vniuersa calliditate Geiserici regis, vt famam terribilem suæ faceret gentis, ilicò statuit om̃em multitudinem numerari vsque ad illam diem, quam huic luci vterus profuderat ventris. Qui reperti sunt senes, iuuenes, paruuli, serui vel domini, octoginta millia numerari. Quæ opinio diuulgata vsque in hodiernum, à nescientibus armatorum tantus numerus æstimatur, cùm sit nunc exiguus & infirmus. Inuenientes igitur pacatam quietamque prouinciam, speciositatem totius terræ florentis, quaquauersùm impietatis agminibus impendebant, deuastando depopulabãtur, incendio atque homicidijs totum exterminantes. Sed nec arbustis fructiferis omninò parcebãt, nè fortè quos antra montium aut prærupta terrarum, vel seclusa quæque occultauerant, post eorum transitum illis pabulis nutrirentur: & sic eadem atque iterùm tale crudelitate furentibus, ab eorum contagione nullus remansit locus immunis. Præsertim in Ecclesijs basilicisque & cœmeterijs & monasterijs sceleratiùs sæuiebant, & cum maioribus incendijs domus orationis magìs quàm vrbes cunctaq; oppida concremarent, vbì fortè venerabilis aulæ clausas repererũt portas, certatìm ictibus dextralium aditum reserabant, vt rectè tũc diceretur: Quasi in sylua lignorum securibus cõscidere ianuas eius inidipsum, in securi & ascia deiecerunt eam, incenderunt igni sanctuarium tuum, & in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Psal. 73.
Quanti tunc ab eis preclari pontifices & nobiles sacerdotes, diuersis pœnarum generibus extincti sunt, vt traderent si quid auri vel argenti proprium vel Ecclesiasticum haberent? Et dum hec quæ erant, vrgentibus pœnis faciliùs proderentur, iterùm crudelibus tormentis oblatores vrgebant, autumantes quandam partem, non totum, esse oblatum: & quanto plùs dabant, tanto ampliùs quempiam habere credebãt. Alijs palorũ vectibus ora reserantes, fœtidum

cœnũ ob cõfeſsionem pecuniæ, faucibus ingerebant. Nonnullos in frontibus & tibijs neruis remugientibus torquendo cruciabant. Pleriſq; aquam marinam, alijs acetũ, amurcam, liquamenq́;, & alia multa atq; crudelia, tãquàm vtribus imbutis ori impoſitis, ſine miſericordia porrigebant. Non infirmior ſexus, nõ conſideratio nobilitatis, nõ reuerẽtia ſacerdotalis, crudeles animos mitigebat: quinimmò ibì exaggerabatur ira furoris, vbì honorem conſpexerant.

CAELII SEDVLII PRESBYTERI, LIBAMINA SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDECH.

Sedul. oper. Paſch. libr. 3.

DEniquè (inquit) Pontificum princeps ſummusq́; ſacerdos,
Quis nisì Chriſtus adeſt? gemini libaminis author,
Ordine Melchiſedech, cui dantur munera ſemper
Quæ ſua ſunt, ſegetis fructus, & gaudia vitis.

Eodèm pertinet illud de Chriſto:

Ibid. li. 4.

Nam corporis atque
Sanguinis ille ſui poſtquàm duo munera ſanxit,
Atque cibum, potumq́ue dedit, quo perpete nunquàm
Eſuriant, ſitiantq́ue animæ ſine labe fideles:
Protinùs in Iudam, ſedes vbì liuor habebat,
Spiritus intrauit teterrimus.

Ibidèm.

Item illud:

Corpus, ſanguis, aqua, tria vitæ munera noſtræ:
Fonte renaſcentes, membris & ſanguine Chriſti
Veſcimur, atque ideò templum Deitatis habemur.

DIVI SIXTI III. PAPAE XLV. ROMANI, BASILICARVM ET ALTARIVM ERECTIO.

Hic

HIC (inquit Author libri Pontificalis) fecit basilicam sanctæ Mariæ matris Domini, quę ab antiquis Liberi cognominabatur, iuxta macellum Libyæ, vbì obtulit hæc: Altare argenteum purißimum, pēsans libras 300. Calices ministeriales aureos *duos, pensantes singuli libras singulas. Calices ministeriales argēteos 10, pensantes singuli libras 3. Auth. lib. Pontif. cap. 45. *tres

AC non multò pòst: Item fecit Sixtus Episcopus cōfeßionem beati Laurentij martyris cum columnis porphyreticis, & ornauit *transennam, & altare & confeßionem S. martyris Laurentij de argento purißimo. Fecit altare pensans lib. 50. *exedrā *suggestū

CASTI EPISCOPI, A SYNODO ROMANA HIEROSOLYMAM DESTINATI MISSAE.

VENIENTES autem in vrbem Hierusalem, (sicutì est in Actis Synodi) introiērunt feria VI. Castus, Felix, & Abundius Episcopi, Archidamus, Petrus, & Demetrius presbyteri, & Lollianus ac Leo Diaconi, cum Euphemio Episcopo, & iam sabbato suspenderunt eos ab inuicèm à communione. Feria autem prima, celebratæ sunt Missæ à Casto Episcopo, qui directus fuerat à Sixto Episcopo & coëpiscopis suis, & à Synodo. Act. Syn. Rom. sub Sixto papa.

CARTHAGINI A VANDALIS EREPTA VASA SACRA, ET DIVINI CVLTVS LOCA.

AETIO (inquit D. Prosper Rhegiēsis Episcopus) rebus, quæ in Gallijs componebātur, intento, Gensericus, de cuius amicitia nihil metuebat, XIIII. KAL. Nou. Carthaginē dolo pacis inuadit, omesq́; opes eius, excruciatis diuerso tormētorū genere ciuibus, in ius suū vertit, nec ab Ecclesiarū spoliatione abstinēs, quas & sacris vasibus exinanitas, & sacerdotum administratione priuatas, non iam diuini cultùs loca, sed suorum iusit esse habitacula: in Prosper in Chron. ad ann. 442.

vniuersum captiui populi ordinem ſęuus, ſed pręcipuè Nobilitati & religioni infenſus, vt non diſcerneretur, hominibus magìs, an Deo, bellum intuliſſet.

QVAE ipſa verba repetit Marianus Scotus hiſt. ſuę lib. 2.

MYSTERIORVM DIVINORVM, ECCLESIIS IAM ABLATIS, VBI POTERANT, PER EPISCOPOS AFRICAE CELEBRATIO.

Vict. vtic. libr. 1. de perſecut. Vandal.

RECEDENTES (inquit idem Victor) qui ſupererant magni ſacerdotes, à Geiſerico duce, triſtitia & mœrore confecti, cœperunt, qualiter poterant & vbì poterant, ablatis Eccleſijs, diuina myſteria celebrare.

INDE CONSECVTVM NOVVM GEISERICI FERALE DECRETVM, VT NVLLVS IMMOLANDI NOSTRIS CONCEDERETVR LOCVS.

Ibidèm.

ET vt ad id redeamus, (inquit deincèps idem Victor) vndè digreſsi ſumus, terret præceptis feralibus, vt in medio Vandalorum noſtri nullatenùs reſpirarent, neque vſquàm orandi aut immolandi concederetur gementibus locus, vt manifeſtè tunc prophetiæ vaticinium compleretur: Non eſt in hoc tempore princeps aut propheta vel dux, neque locus ad ſacrificandum nomini tuo. (Dan.)

RHEGIENSIS CONCILII, DE OBLATIONE CANONES.

Chorepiſcopo non niſì in abſentia Epiſcopi ante presbyteros offerre liceat.

ADDI-

ADDITVR (inquiunt Patres eius Synodi) nè vnquàm in ciuitatibus, nisì sub Episcoporum absentia, offerre presumat, nec ordinare vel vltimū clericū, nec in ea (ità nãq; lego, pro, eadé) quidem Ecclesia, quæ illi cuiuscunq; misericordia fuerit attributa, nec vlli episcoporum vel succedente ætate, assumpto aliquo, in rudimentis suis huic in aliquo quasi pro ætatis reuerentia, cedere liceat: nec vsquàm ipsi quidpiam de episcopalibus officijs vsurpare, preterquàm in Ecclesia, quam cuiusquã misericordia fuerit *indeptus, in qua ei solùm neophytos confirmare, & ante presbyteros offerre conceditur. Concil. Reg. c. 8. * adeptus

Liceat illi etiam in Ecclesia benedicere populo, quod presbyteris priuatìm duntaxàt concessum erat.

ET inter minutas (inquiunt) has discussiones & indefinitas, visum est, omni presbytero per familias, per agros, per priuatas domos pro desiderio fidelium habere facultatem benedictiones aperire, quod nonnullas iam prouincias habere occurrit. Huic autem etiam in Ecclesiarum plebibus, per loca tamen magìs, quàm per vrbes, hoc idem visum esse tribuendum. Ibid. c. 4.

PER GALLIAS ID TEMPORIS, MISSARVM PSALMODIAE ET SACRIFICII RITVS, A MONASTERIIS ORIENTIS DIVERSVS.

Clausula Psalmi, Gloria Patri, quum in Oriente oratio Psalmo succedat, & glorificatio Antiphona terminetur.

ILLVD etiam (inquit Ioannes Cassianus) quod in hac prouincia vidimus, vt vno cantante, in clausula psalmi, omnes adstantes concinant cum clamore, Gloria patri & filio & spirituisancto, nusquàm per omnem Orientem audiuimus, sed cum omniũ silétio ab eo qui cãtat, finito psalmo, orationé succedere: hãc verò glorificationé Trinitatis, tantũmodò solere antiphona terminari. Ioan. Cassian. de instit. cœnob. l. 2. c. 8.

Canonicæ Orationes quotidianæ ad Horas, tertiam, sextam, & nonam: illic verò Sabbato & Dominica tantùm quum communicant.

Ibid. l.3.c. 2.

PRECES (inquit idem) & Orationes per singula momenta miscentes, in his officijs quæ nos statuto tempore celebramus, totum diei tempus adsumunt. Quamobrem, exceptis vespertinis horis ac nocturnis congregationibus, nulla apud eos per diem publica solennitas, absq; die sabbati vel Dominica celebratur, in quibus hora tertia sacræ communionis obtentu conueniunt.

Ad Collectam post Psalmum genuflexio, quum alibì statio seruaretur.

Ibid. l.2.c. 7.

HAS igitur prædictas orationes (inquit idem Cassianus primùm Constantinopolitanus, deindè Lirinensis insulæ monachus & Eremita) hoc modo incipiunt atque consummant per Thebaidem & Aegyptum constituti, vt finito psalmo non statìm ad incuruationem genuum corruant, quemadmodùm faciunt in hac regione nonnulli, qui nedùm benè finito Psalmo in orationẽ procumbere festinamus, ad celeritatem Missæ quantocyùs properantes. Cuius dum volumus excedere modũ, q̃ antiquitùs à maioribus statutus est, supputantes residuorum psalmorum numerũ, ad finem tendere perurgemur, de refectione potiùs lassi corporis cogitantes, quàm orationis vtilitatem & commoda requirentes. Apud illos ergò non ità est, sed antequàm flectãt genua, paulispèr orant: & stantes, in supplicatione maiorem temporis partem expendunt. Itaque post hæc puncto breuissimo procidentes humì, velut adorãtes tantùm diuinam clemẽtiam, summa velocitate cõsurgunt, ac rursùs erecti, expansis manibus, eodem modo quo priùs stantes orauerant, suis precibus intentiùs immorantur. Cùm autẽ is qui orationem collecturus est, è terra surrexerit, omnes pariter surgunt: ità vt nullus, nec antequàm inclinetur ille, genuflectere: nec, cùm è terra surrexerit, remorari prȩsumat, nè non tam secutus

tus

tus fuisse illius conclusionem qui precem colligit, quàm suam celebrâsse credatur.

EODEM & illud pertinet: Hoc quoquè nôsse debemus, à vespera Sabbati, quæ lucescit in diem Dominicum, vsq; in vesperam sequentem, apud Aegyptios genua non curuari: sed nec totis quidem quinquagesimæ diebus. Ibid. c. 18.

Dominicis diebus, quum plures nonnunquàm in Occidente, apud Aegyptios vna duntaxàt Missa celebrata.

VERVM (inquit) ne hoc quidem ignorandum, die Dominico vnam tantummodò Missam (hîc hauddubiè de Missę sacrificio loquitur, quam alibì sacrosancta mysteria nūcupauit, dicēs à Christo esse cœnantibus Apostolis initiata) ante prandiū celebrari: in qua psalmorum atq; orationum seu lectionum pro ipsius collectæ vel communionis Dominicę reuerētia, solennius aliquid ac propēsius impendētes, in ipsa tertiam sextamq; pariter consummatā reputāt. Ibid. l. 3. c. 11. Ibid. c. 3. & coll. 22. c. 4. 6. & 8.

D. LEONIS MAGNI XLVI. PAPAE ROMANI, SACRIFICII RITVS.

Basilicæ vni Deo dedicatæ in honorem martyrum.

QVOD nōnulli etiam (inquit D. Leo papa) Christiani adeò se religiosè facere putant, vt priusquàm ad B. Petri Apostoli basilicā, quæ vni DEO viuo & vero est dedicata, perueniant, superatis gradibus, quibus ad suggestū arę superioris asscenditur, cōuersò corpore ad nascentē se solē reflectant, & curuatis ceruicibus in honorē se splendidi orbis inclinent. Quod fieri passìm ignorantiæ vitio, partìm paganitatis spiritu, multùm tabescimus & dolemus. Leo papa serm. 7. de nat. Dom.

Earundem ornatus.

SI (inquit alibi) ipsam Orationis domū propēsiore tunc cura & ampliore Idē serm. 3. de Quadrag.

ampliore cultu, quantùm possumus, adornamus: nónne dignum est, vt anima Christiana, quę verum viuumq; Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, redemptionis suæ celebratura sacramentum?

Conuentus ad Ecclesiam, etiam in Natalibus Martyrum.

Idē serm. de Maschab. GRATIAS (inquit) dilectissimi, agamus Dño Deo nostro, quòd quanta sit huius diei solennitas, etiamsi ego taceam, cōuentus vester ostendit. Tam enim conspiranti studio & deuoto animo conuenistis, vt festiuitatis magnificentiam, etsi sermo nó indicet, congregatio tamen ipsa testetur, & rectè.

Oblatio Domini, quę veteribus succeßit sacrificijs.

Idē serm. 8. de pasch. Dom. TRAXISTI (inquit) Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudęæ tēplo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoq; sacramento, vniuersarum vbiquè nationum deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio sacerdotum: quia crux tua omniū fons benedictionum, omnium est causa gratiarū, per quam credenti[illegible] datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differētias hostiarum, vna corporis & sanguinis tui implet oblatio, quoniam tu es verus agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ità in te vniuersa perficis mysteria, vt sicut vnum est pro omni victima sacrificium, ità vnum de omni gente sit regnum.

Sacrificium iteretur in festiuitatibus, si vnicum populis non sufficiat.

Idē epist. 79. seu 81. ad Diosc. Alexand. VT autem (inquit) in omnibus obseruātia nostra cōcordet, illud quoquè volumus custodiri, vt quum solénior festiuitas cōuentum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenerit, quam recipere basilica simul vna non poßit, sacrificij oblatio indubitàter iteretur, nè his tantùm admißis ad hanc deuotionem,

tionẽ,qui primi aduenerint,videãtur hi,qui poſtmodùm cõfluxerint,non recepti: quum plenũ pietatis atq; rationis ſit,vt quotiès baſilicam,in qua agi , præſentia nouæ plebis impleuerit, totiès ſacrificium ſubſequens offeratur. Neceſsè eſt autem, vt quædam pars pupuli ſua deuotione priuetur, ſi vnius tantùm Miſſæ more ſeruato, ſacrificium offerre non poſsint, niſi qui prima diei parte conuenerint.Studiosè ergò dilectionem tuam & familiariter admonemus,vt quod noſtræ conſuetudini in forma paternæ traditionis inſedit, tua quoquè cura non negligat, vt per omnia nobis & fide & actibus congruam. Propter quod remeanti filio noſtro Poſsidonio presbytero, hanc ad fraternitatem tuam epiſtolam dedimus perferendam,qui noſtris proceſsionibus atq; ordinationibus frequeuter interfuit.

Etiam ſeptiès aut nouiès vno die à D.Leone aliquandò celebrata Miſſarum ſolennia.

FIDELIVM (inquit Vualafridus Strabus) relatione virorũ in noſtram vſq; peruenit notitiam,Leonem papam (ſicut ipſe fatebatur) vna die vij.vel ix. Miſſarum ſolennia ſæpiùs celebrâſſe. Vualafr. de reb. Eccleſ. c. 21.

Apoſtolica lectio.

Prædicaturus verbis (inquit ſupradictus D.Leo papa) dilectiſſimi,ſacratiſsimum maximumq́ue ieiunium, quo aptiùs vtar exordio,quàm vt verbis Apoſtoli, in quo Chriſtus loquebatur, incipiam,dicamq; quod lectum eſt: Eccè nunc tempus acceptabile,eccè nunc dies ſalutis? Leo ſerm. 4. de quadrag.

Euangelica lectio.

QVANVIS (inquit)ſciam dilectiſsimi, quòd ſanctitatem veſtram hodiernæ feſtiuitatis cauſa non lateat,eamq; ſecundùm cõſuetudinem Euangelicus vobis ſermo reſerauit. Idẽ ſerm. 3. de Epiphan.

ET alibì: Cuius facti memoriã meritò placuit honore annuo celebrari,vt dũ Euangelica hiſtoria inceſſanter recẽſetur, ſemper ſe intelligentiũ ſenſibus inferat ſalutiferũ myſteriũ per inſigne miraculũ. Idẽ ſerm. 5. de eadẽ.

SIMILES sunt loci (vt nè sim prolixior) serm. 1. & 13. de pass. Domini. Serm. 2. de Pascha, & serm. de transfigurat. Domini, qui potiùs inscribi debet iuxta Micrologum de eccl. obser. c. 29. De verno ieiunio in Dominica.

Post sacram lectionem sacerdotis exhortatio.

Idē serm. 2. de Pascha iam citat.

SED adijciendum est etiam (inquit) nostri sermonis officium, vt sicut pia expectatione deposcere vos consuetudinis debitū sentio, ità solennitati sacratissimæ lectionis subiungatur exhortatio sacerdotis.

Incensum post Offertorium.

Radulph. Tungr. de can. obser. c. vlt.

IN quibusdam Chronicis (inquit Radulphus Tungrensis) legitur, quòd Leo primus, de quo infrà, constituit, vt finito Offertorio, super oblatam incensum in memoriam mortis Christi ponatur.

Illud, Orate pro me &c. D. Leoni adscriptum.

Ibid.

ERECTVS autem (inquit idem) presbyter, populum hortatur ad orandum, dicens: Orate pro me. Quod Leoni Papæ adscribitur.

Natiuitatis Christi in sacrificio crebra mentio.

Leo serm. 6. de nat. Domini.

Omnibus quidem (inquit) diebus, dilectissimi, atque temporibus, animis fidelium diuina meditantiū, Domini & Saluatoris nostri ex matre virgine ortus occurrit, & mens ad confessionem sui authoris erecta, siue in gemitu supplicationis, siue in exultatione laudis, siue in sacrificij oblatione versetur, nihil crebriùs, nihilque magìs fidenter spiritali attingit intuitu.

Supplicatio Ecclesiæ pro Imperatoribus.

Idē epist. 24. & 25. ad Theod. Imper.

Cupiensq; (inquit) per omnia placere DEO, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur.

Nominum Episcoporum Catholicorum ad altare recitatio.

DE nominibus autem (inquit) Dioscori & Eustatij ad sacrum altare nō recitandis, dilectionem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidèm constituti, faciendum esse direxerint, quodque honorandæ sancti Flauiani memoriæ non repugnet, & à gratia tua Christianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum nimìs est atque incongruum, eos qui innocentes & catholicos sua persecutione vexârunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri: cùm damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua prauitate condemnēt, quos conuenit aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia. Idē epist. 38. siue 40. ad Anatol. Cōstantin.

EODEM & illud pertinet: Neque priùs in Ecclesia, cui te Dominus voluit præsidere, cuiusquam talium (vt antè iam scripsimus) nomen ad altare recitetur, quàm, quid de eis constitui debeat, rerum processus ostendat. Idem ad eundem ep. 44. seu 46.

Si de veritate corporis & sanguinis Domini ambigatur, non sunt vera sacrificia.

ALITER enim (inquit) in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisì in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet. Qui licèt in patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex virgine, sacramentum propitiationis exequitur. Idem dicta Epist. 40. c. 2.

ET apertiùs alibì: Tunc enim & sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quandò ij, qui ista dependunt, quid operētur, intelligunt. Nam dicente Dño, Nisì mādu caueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsùs de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Idē serm. 6. de ieiū. 7. mensis.

Additum illud Canoni à D. Leone, Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

HIC (inquit libri Author Pontificalis) constituit, vt intrà Auth. l. Pontif. c. 46.

Actionem sacrificij diceretur: Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, & cætera.

QVOD ijsdem verbis repetõt Ven. Beda in martyrologio, Berno Augiensis de Missa c. 1. Marianus Scotus hist. l. 2. Sigebertus in Chronicis ad annũ Dñi 442. Microl. de Eccl. obseru. c. 12. Martinꝰ Polonus ad annum 444. Actionẽ sacrificij, Canonẽ interpretãtes.

Vvalafr. de eccl. reb. c. 21. Vvalafridus verò Strabus paulò latiùs: Leo quoquè (inqt) apud Romanos Pontificatum agens, cõstituit, vt intrà Actionẽ sacrificij diceretur: sanctum sacrificiũ, & reliqua. De hoc etiã queri potest, vtrùm ab eo loco, quæ sequũtur, addiderit, vel ipsa tantùm verba, id est, sanctum sacrificiũ, immaculatã hostiã, eo loco intermiscuerit. Quod quia manifestè non legimus, nolumus diffinire.

Benedictio sacerdotum.

Microl. de Eccl. obseru. c. 21. MAGNVS Leo (inquit Micrologus) & B. Gelasius papa Damasi successores, in ecclesiasticis officijs apprimè eruditi, in decretis suis, vbì diligentissimè, quid presbyteris liceat, quid've non liceat, describunt: nullatenùs illis benedictionem, nisì episcopo pręsente, interdicunt.

Responsio, Amen, post communionem.

Leo papa serm. 6. de ieiun. 7. mensis. HOC enim (inquit dictus Leo papa) ore sumitur, quod fide creditur: & frustrà ab illis Amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur.

Diuinorum mysteriorum in Pascha communis celebratio.

Idẽ serm. 10. de quadrag. Cognoscimus (inquit idem) ad celebrandum Paschæ diem, meritò nos quadraginta dierum ieiunio pręparari, vt digni possimus diuinis interesse mysterijs. Non enim summos tantùm antistites, aut secundi ordinis sacerdotes: non solos sacramentorum ministros, sed omne corpus Ecclesiæ, vniuersumque fidelium numerum, ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatum.

CON-

CONCILII ARAVSICANI I. CANONES CIRCA SACRIFICIVM.

Energumeni iam baptizati, ſi purgari ſe curent, ad communionem admittendi.

ENERGVMENI (inquiunt Hilarius Arelatenſis, Eucherius & Salonius, cæterique eius Synodi Patres) iam baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſolicitudini clericorum tradant, monitisq; obtemperent, omnimodò communicent, ſacramēti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonum, quo infeſtantur, vel purgandi, quorum iam oſtenditur vita purgatior. Concil. 1. Arauſic. cap. 14.

In vnum propoſitio Sacramenti conſecretur.

ADMIXTIONEM (inquiunt) Euchariſtiæ, ſimul ſacrandam cenſuimus. Ibid. c. 17.

AVT iuxta aliam editionē: Cùm capſa & calix inferendus eſt, & admixtione Euchariſtiæ conſecrandus.

Euangelia audiant etiam Catechumeni.

EVANGELIA (inquiunt iuxta editionem meo iudicio caſtigatiorem) placuit deincèps catechumenis legi, apud om̄es prouinciarum noſtrarum Eccleſias. Ibid. c. 18.

Ad fidelium verò benedictionem etiam domeſticam non admittantur.

AD fidelium (inquiunt iuxta eandem editionem) benedictionem, etiam inter domeſticas orationes, inquantùm caueri poteſt, ſegregandi: informandiq; ſunt, vt ſe reuocent, ad ſignandos vel benedicendos ſe, ſemotè offerant. Ibi. c. 20.

D. EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI OBLATIO DOMINICA.

Suprà pa. 7. ex cõment. Eucherij in Genes. HVC pertinet inprimìs, quod suprà adduximus, de sacrificio secundùm ordinem Melchisedech, quod à Christianis offertur toto orbe terrarum.

Idē Euch. qu. 2. in epist. 1. ad Corinth. DEINDÈ & istud super illo Apostoli, Nunquid domos non habetis &c. Quod in hæc verba explicat: Apud Corinthios quondàm, sicut alibì asserunt, praua inualuerat consuetudo, Ecclesias passìm dehonestare conuiuijs, in quibus vescebantur ante Dominicam oblationem.

Ibi. l 3. in Genes. cap. 49. EODEM pertinet illud eiusdem: Aser Christus est, cuius panis pinguis factus est, caro scilicet eius, quę est esca sancta sanctorum, quam quisquis manducat, viuet in æternum.

Idem in Euang. Matth. quæst. 11. ITEM illud: Regnum DEI Ecclesia est, in qua quotidiè bibit sanguinem suum Christus per sanctos suos, tanquàm caput in membris suis.

CONCILII VASENSIS I. CANONES DE DEFVNCTORVM OBLATIONIBVS.

Pœnitentium subitò defunctorum Oblationes accipiantur, & commemorationes eorum fiant in salutaribus sacris.

Concil. Vasens. cap. 2. HORVM (inquiunt Patres) qui pœnitentia accepta, bono vitæ cursu, satisfactoria compunctione viuentes, sine communione, inopinato nonnunquàm transitu, in agris aut in itineribus, præueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deincèps memoriam, Ecclesiastico affectu prosequendam: Quia nefas est, eorũ cõmemorationes excludi à salutarib9 sacris, q̧ ad eadẽ sacra fideli affectu cõtendentes, dum se diutiùs reos statuũt, & indignos salutiferis mysterijs iudicant, ac dum purgatiores restitui desiderãt, absq; sacramentorũ viatico intercipiũtur, q̧bus fortassè nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putâsset.

Qui defunctorum retinent oblationes, excommunicentur.

QVI oblationes(inquiunt) defunctorum retinent,& Ecclesijs tradere demorantur, vt infideles sunt ab Ecclesia abijciendi: quia vsq; ad inanitionem fidei peruenire certum est hanc diuinæ pietatis exacerbationem: quia & fideles de corpore recedentes, votorum suorum plenitudine,& pauperes consolatu alimoniç,& necessaria sustentatione fraudantur. Ibid.ca.4.

PATRVM CONCILII ARAVSICANI II. BASILICAE DEDICATIO.

QVVM ad Dedicationem (inquiunt) basilicæ, quam Illustrissimus præfectus & patricius, filius noster Liberius in Arausica ciuitate,fidelissima deuotione construxit,Deo propitiante,& ipso inuitante, conuenissemus. Concil. Arausic. II.in initio.

CONCILII VASENSIS II. CIRCA MISSAS CANONES.

ET hoc placuit (inquiunt Cæsarius & D. Prosper, cæterique eius Concilij Patres)vt omes presbyteri,qui sunt in parochijs constituti,secundùm consuetudinem, quam per totam Italiam satìs salubriter teneri cognouimus, iuniores Lectores quantoscunq; secum in domo,vbì habitare videntur, recipiant:& eos quomodò boni patres, spiritualiter nutrientes, psalmos parare,diuinis lectionibus insistere,& in lege Domini erudire contendant. Concil. Vasens.2. cap.1.

A Diaconis Euangelia & Homiliæ SS. Patrum recitentur.

SI (inquiunt)presbyter,aliqua infirmitate prohibente, per seipsum non potuerit prędicare, sanctorũ patrum homiliæ à diaconibus recitentur. Si enim digni sint Diaconi,quæ Christus in Euangelio locutus est,legere: quarè indigni iudicẽtur sanctorum patrum expositiones publicè recitare? Ibid.ca.2.

Ky-

Kyrie eleyson in omnibus Ecclesijs frequentiùs dicatur.

Ibid.ca.3. ET quia (inquiunt) tam in sede Apostolica, quàm etiam per totas Orientales atq; Italiæ prouincias, dulcis & nimiùm salubris cõsuetudo intromissa est, vt Kyrie eleyson frequentiùs cum grandi affectu ac compunctione dicatur: placuit etiã nobis, vt in omnibus Ecclesijs nostris ista cõsuetudo sancta, & ad matutinum, & ad Missas, & ad vesperam, Deo propitiante, admittatur.

In omnibus Missis, etiam pro Defunctis, tèr Sanctus, dicatur.

Ibid. c.4. ET in omnibus Missis (inquiunt) siue matutinis, siue Quadragesimalibus, siue in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiũt, semper SANCTVS, Sanctus, Sanctus, eo ordine, quo ad Missas publicas, dici debeat: q̀a tam dulcis & desiderabilis vox, etiamsi die noctuq; possit dici, fastidium non poterit generare.

Nomen papæ Romani recitetur.

Ibidèm. ET hoc nobis (inquiunt) iustum visum est, vt nomen Domini Papæ, quicunq; sedi Apostolicę præfuerit, in nostris Ecclesijs recitetur.

Post, Gloria patri, semper addatur, Sicut erat in principio.

Ibid. c.5. ET quia non solùm (inquiunt) in sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam vel Italiam, propter hęreticorum astutiam, qua Dei filium non semper cum patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post GLORIA patri &c. SICVT erat in principio, dicitur: etiam & nos in vniuersis Ecclesijs nostris hoc ità dicendum esse decreuimus.

D. PROSPERI RHEGIENSIS EPISCOPI, ORATIONVM COMMVNIVM CELEBRATIO, ET SACRIFICIVM.

Lex supplicationis Ecclesiæ pro omnibus.

QVAM

QVAM legem ſupplicationis (inquit D. Proſper, explicans locum Apoſtoli 1.Tim.2.) ità omnium ſacerdotum & om̃ium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mũdi ſit, in qua huiuſmodi Orationes non celebrẽtur à populis Chriſtianis. Supplicat ergò vbiq; Eccleſia Deo, non ſolùm pro ſanctis & in Chriſto iam regeneratis, ſed etiam pro omnibus infidelibus, & inimicis crucis Chriſti, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Chriſtum in membris ipſius perſequuntur, pro Iudæis, quorum cæcitati lumen Euangelij non refulget, pro hæreticis & ſchiſmaticis, q ab vnitate fidei & charitatis alieni ſunt. Quid aũt pro iſtis petit, niſì vt relictis erroribus ſuis, cõuertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris liberati, ad agnitionem veniant veritatis? Proſper de vocat. gẽt.l.1. cap.4.

Sacrificij extra Eccleſiam Catholicam locus non eſt.

SICVT (inquit, verba D. Auguſtini citans) vidẽdum eſt, quid, & cui offeras: ità etiam conſiderandum eſt, vbì offeras. Quia veri ſacrificij extra Catholicam Eccleſiam locus non eſt. Idẽ ſentẽ. ex D. Auguſt.c. 15.

Quod ipſe ſic carmine reddidit:

Sic tamen, vt nôrit, qui reddit vota Tonanti, Idẽ epigr. 15.
Vnum diuinis cultibus eſſe locum
In toto mundo, quem vera Eccleſia præbet,
Et ſine quo nullum iuſtitiæ eſt meritum.

Sacro libamine paſci, magnum præſidium.

Magnum (inquit) præſidium eſt, ſacro libamine paſci, Ibi. epigr. 70.
Si cor participis crimina nulla premunt.
Nam geminat ſibimet peccati pondera, quiſquis
Quæ bona ſunt, * ſumit: quæ mala, non refugit. *ſpernit:

Oblationes fidelium quotidianæ.

LAC (inquit) & lanas ouium Chriſti, oblationibus quotidianis ac fidelium gaudentes, accipimus. Idẽ de vita cõtẽpl. li.1.ca.21.

Per ſacerdotes Deus placatur.

Ibid. c.25. PER tales (inquit) Deus placatur populo, populus inſtruitur Deo.

Deum faciliùs placabunt, qui vltrò ob peccata occulta, ſe ab altaris miniſterio ſeparant.

Ibidèm li.2.ca.7. QVAPROPTER Deum (inquit) ſibi faciliùs placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, ſed vltrò crimen cognoſcunt, quia aut proprijs illud confeſsionibus produnt, aut neſcientibus alijs, quales occulti ſunt, ipſi in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiã ferunt, ab altari cui miniſtrabant, non animo, ſed officio ſeparati.

CARPENTORACTENSIS CONCILII, DE MISSIS STATVTVM.

Concil. Carpẽtor. epiſt. ad Agretiũ. QVAPROPTER (inquiunt) hoc communi in Chriſto deliberatione ſancimus, vt, quia filium noſtrum Protadium ſtatuta canonibus per vos inſerta, & vos ſimili ſententia conſtringũt: vſq; emiſſo anno Miſſas facere non præſumas: quia æquum eſt, vt quod apud Antiſtites Deo medio ſtatuitur, inuiolabiliter Deo propitio conſeruetur.

PRISCILLIANISTARVM SACRA INCESTA.

Leo papa epiſt.91. ſiue 93. QVOD autem (inquit D.Leo papa ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopũ) de Manichæorũ fœdiſsimo ſcelere, hoc etiã de Priſcillianiſtarũ inceſtiſsima conſuetudine olìm repertum, multumq; vulgatum eſt. Qui enim per omnia ſunt impietate ſenſuum pares, non poſſunt in ſacris ſuis eſſe diſsimiles.

AD ILLOS DENVO INVESTIGANDOS INDICTA HISPANIARVM SYNODVS.

HA-

HABEATVR ergò (inquit ibidèm) inter vos episcopale Cõcilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum prouinciarum conueniãt sacerdotes, vt secũdùm ea, quę ad tua cõsulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, vt si sint aliqui inter episcopos, q hui⁹ hęreseos cõtagio polluantur, à communiõe sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum prauitates damnare noluerint. Ibidèm.

MANICHAEORVM ROMAE SIMVLATA COMMVNIO IN PVBLICIS CONVENTIBVS.

QVVM (inquit idem) ad tegẽdam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysterijs, ità in sacramentorum communione se temperãt, vt interdùm tutiùs lateant: ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò declinãt. Quod ideò vestram volumus scire sanctitatem, vt nobis huiuscemodi homines & his manifestẽtur indicijs, & quorum depręhensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi, à sanctorum societate, sacerdotali authoritate pellantur. De talibus enim B. Paulus Apostolus Ecclesiam Dei prouidè monet, dicens: Rogamus autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciũt, & declinate ab illis. Huiuscemodi enim Christo Domino non seruiũt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Idẽ serm. 4. de Quadrag.

CL. MARII VICTORIS MASSILIENSIS, DE ECCLESIAE SACRIFICIO TESTIMONIVM.

MElchisedech (inquit) vinumque & panem ab cæde reuerso
Obtulerat, rex ille Salem, qui munere tali
Mystica præmisit summi libamina Christi:

Cl. Mar. Victor. li. 3. in Gen.

Cuius de manibus sumens Ecclesia corpus
Viuificum panem, cælesti pota cruore est.

Idē epist. ad Salmonem Abbat.

Eodèm pertinet illud eiusdem:
Si Domini templum supplex orator adîsti,
Immò & custodem templi, populique magistrum,
Quot tu isthic homines, tot Christi altaria cernis.

SYNODI ROMANAE CONTRA PRAEDATORIAM EPHESINAM SYNODVM, ERRORIS EVTYCHETIS PER MYSTERIVM CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI CONFVTATIO.

Concil. Rō. epist. apud Leon. papā 22. siue 23.

IN quibus (inquiunt, præside D. Leone papa, eius Concilij Patres) isti ignorantiæ tenebris, in quo hactenùs desidiæ torpore iacuêre, vt nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quòd in Ecclesia DEI in omnium ore tam consonum est, vt nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei taceatur? Quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniæ hoc impartitur, hoc sumitur, vt accipientes virtutem cælestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.

ATTILAE HVNNORVM REGIS IN SACERDOTES ET ECCLESIAS GALLIARVM, PRAESERTIM IN METENSI VRBE, CRVDELITAS.

Greg. Turon. hist. Franc. lib. 2. cap. 7.

IGITVR * Chuni (inquit Diuus Gregorius Turonēsis) à Pannonijs egressi, vt quidam ferunt, in ipsa sanctæ Paschæ vigilia, ad Metensem vrbem, reliqua depopulando, perueniunt, tradētes vrbē incen-

incendio,& populum in ore gladij trucidantes,ipsosq; sacerdotes Domini ante sacrosancta altaria perimentes.

D. NICASII RHEMENSIS EPISCOPI MISSARVM SOLENNIA.

RHEMIS (inquit Vsuardus in Martyrolog.) passio S. Nicasij martyris,qui Missarum solennibus pactis, à Vuandalis (seu potiùs Hunnis) intrà Ecclesiam Rhemensem passus est martyrium. Vsuard.in martyrol. 14.Deceb.

VASATENSIS EPISCOPI GRATIARVM ACTIONIS MISSA.

PVLLVLANTE (inquit Sigebertus) intrà Gallias Arriana hæresi,quæ inęquales credēs esse personas sanctę Trinitatis,dicebat filium minorem esse patre,spiritū verò sanctum minorem patre & filio,Dominus errantes corrigit,ostendens plano miraculo Deum in tribus personis vnius & æqualis esse substātiæ,nec debere ab indignis de diuinitate tractari. Nam Vasatensi vrbe ab Hunnorum obsidione liberata per diuinum auxilium,cùm Episcopus pro gratiarum actione Missam populo celebraret, respiciēs sursùm,vidit desuper altare, quasi de camera templi cadere ęqualiter tres guttas ęqualis magnitudinis crystallo clariores,quę simul defluentes & in vnum coniunctæ,quasi vnam gemmā pulcherrimam effecerūt,qnam cùm in medio crucis aureæ & gemmatæ posuissent,alię gemmę ceciderūt:seorsùm verò posita, infirmis dabat sanitatem. Adorantibus verò imaginem sanctæ crucis,augebat deuotionē:quia pijs & mundis clara,& immūdis obscura videbatur. Sigebert. in Chron. ad an. Domini 453.

SALVIANI MASSILIENSIS PRESBYTERI SOLENNIA SACRA.

Ad Ecclesias & altaria concursus.

Saluian. Massil. l. 3. de iudi. & prouid. Dei.

ECCLESIAS (inquit Saluianus) vel potiùs templa atque altaria Dei, minoris reuerentiæ quidam habent, quàm cuiuslibet minimi ac municipalis iudicij domum. Siquidem intrà ianuas non modò illustrium portarum, sed etiam præsidum aut præpositorum, non omnes passìm intrare præsumunt, nisì quos aut iudex vocauerit, aut negocium traxerit, aut ipsa honoris proprij dignitas introire permiserit: ità vt si quispiam ingressus insolenter fuerit, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecũdia atq; existimationis suæ labe mulctetur. In templa autem, vel potiùs in altaria atque in sacraria Dei, passìm omnes sordidi ac flagitiosi sine vlla penitùs reuerentia sacri honoris irrumpunt, non quia nõ omnes ad exorandum Deum currere debeant, sed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Neque eiusdem officij est, indulgentiam poscere, & iracũdiam prouocare. Nouum siquidem monstri genus est: eadem penè omnes iugiter faciunt, quæ fecisse se plangunt. Et qui intrant Ecclesiasticam domum, vt mala antiqua defleant, exeunt, & quid dico exeunt, in ipsis penè hæc orationibus suis ac supplicationibus moliuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt.

Ibid. l. 7.

EODEM pertinet, quod cõqueritur de frequentatis magìs spectaculis quàm Ecclesijs: Si quandò (inquit) vsu venit, quod scilicet sępè euenit, vt eodem die & festiuitas ecclesiastica, & ludi publici agantur: quæro ab omnium conscientia, quis locus maiores Christianorum virorum copias habeat, caueá ne ludi publici, an atrium Dei? & templum magìs sectentur, an theatrũ? dicta Euangeliorum magìs diligant, an thymelicorum: verba vitę, an verba mortis: verba Christi, an verba mimi? Non est dubium quin illud magìs amemus, quod antè ponimus. Omni enim feralium ludicrorum die, quamlibèt Ecclesię festa fuerint, nõ solùm ad Ecclesiã nõ veniunt, qui Christianos se esse dicũt: sed si qui inscij fortè venerũt, dum in ipsa Ecclesia sunt, si ludos agi audiunt, Ecclesiam derelinquunt.

Cęre-

Cæremoniæ in Ecclesia.

AD domos videlicet (inquit) statìm Dominicas currimus, corpora humì sternimus, mixtis cum fletu gaudijs supplicamus. Ibid.

Sacerdotum diuinarum rerum administratio.

ET post hæc (inquit idem in opere titulo Timothei ad Ecclesiam contra auaritiam edito) parùm est successoribus Apostolorũ, id est, Leuitis ac sacerdotibus, tanta diuinarum rerum administratione fungentibus, si ipsi tantùm diuites fuerint, nisi etiam hæredes diuites derelinquant. Idem l. 2. ad eccl. cathol. cõtr. auarit.

Eorundem sacra solennia.

DENIQVE si vult (inquit priori illo opere) quispiã scire, quid in templo huiusmodi homines cogitauerint, videat quid sequatur. Siquidem consummatis solennibus sacris, statìm ad consuetudinaria omnium studia discurrunt. Idem de indic. l. 3.

Ad aras munera.

ILLVSTRAMVS (inquit alibì) donarijs sacra limina, aras muneribus. Ibid. l. 6.

In ijs Euangeliorum lectio.

HVC pertinet illud suprà citatum: Dicta Euangeliorum magis diligant, an thymelicorum. Ibid.

Postulationes item ad Deum pro rebus præsentibus.

REMOVET igitur (inquit) à se curã mortalium Deus. Et quę ergò nobis diuinæ religionis est ratio, quæ vel causa Christum colendi, vel spes propiciandi? Si enim negligit DEVS in hoc seculo genus hominum, cur ad cælum quotidiè manus tendimus? cur orationibus crebris misericordiam DEI quærimus? cur ad Ecclesiasticas domos, currimus? cur ad altaria supplicamus? Nulla est enim nobis ratio precandi, si spes tollitur impetrandi. Vides ergò quàm stulta atque inanis sit huius persuasionis assertio, quę vtiquè si recipitur, nihil penitùs de religione seruatur. Ibid. l. 1.

Sed

Sed ad illud fortè confugies, vt dicas nos metu futuri iudicij Deũ colere,& ideò omnium præsentium officiorum cultu elaborare,vt in die futuri seculi mereamur absolui. Quid ergò sibi vult Apostolus Paulus,precipiens quotidiè in Ecclesia ac iubens, vt offerãtur iugiter Deo nostro orationes,obsecrationes,postulationes,gratiarum actiones? & hec omnia quam ob causam?quam vtiquè,nisì (vt ipse dicit) vt quietam & tranquillã vitam agamus in omni castitate?Pro presentibus,vt videmus,Domino supplicari iubet.

1. Tim. 2.

Christus in altari.

Ibid.l.6. SPERNITVR (inquit) Dei templum,vt concurratur ad theatrum. Ecclesia vacuatur,circus impletur. Christum in altario dimittimus, vt adulterantes visu impurissimo, oculos ludicrorũ turpium fornicatione pascamus.

CONCILII ARELATENSIS III. DE SACRIFICIO MISSAE CANONES.

Intrà annum Missas episcopus non celebret,qui canones Ordinationum non obseruauerit.

Concil. Arelat. 3. c.3. ET ideò (inquiunt Cæsarius & alij eius Concilij patres) quicunq; ab hac die contra ea, quæ superiùs sunt compræhensa, clericum ordinare presumpserit, ab ea die, qua ei potuerit hoc approbari,anno integro Missas facere non præsumat. Quam rem si quis obseruare noluerit, & contra constitutum fratrum faciens, Missas celebrare presumpserit,ab omnium fratrum * charitate nouerit se alienum.

* communione

Eucharistia inueterata, igne comburatur.

Iuo Decr. part. 8. c. 59. OMNE (inquiunt ijdem can. 5. iuxta quod citat D.Iuo) sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendum est,& cinis iuxta altare sepeliendus.

Qui sacrificium non benè custodierit,pœniteat.

QVI

QVI non benè (inquiunt ijdem can. 6. iuxta quod citatur à D. Iuone & Gratiano) custodierit sacrificium, & mus vel aliquod aliud animal comederit illud, quadraginta dies pœniteat. Qui aũt perdiderit illud in Ecclesia, aut ei⁹ pars ceciderit, & inuẽta non fuerit, triginta dies pœniteat. Perfundens aliquid super altare de calice, quandò offertur, sex dies pœniteat: aut si abundantiùs, septem dies pœniteat. Qui autem perfundit dum solennitas Missę celebratur, quadraginta dies pœniteat. Si verò, celebrata Missa, presbyter neglexerit accipere sacrificium, similiter quadraginta dies pœniteat. Et qui accipit sacrificium pollutus nocturno tempore, septem dies pœniteat. Diaconus obliuiscens offerre orationẽ, donèc offeratur linteamen, quandò recitantur nomina pausantiũ, similiter pœniteat. Qui negligentiam erga sacrificium fecerit, vt in eo vermis consumptus sit, & ad nihilum deuenerit, tres quadragesimas cum pane & aqua pœniteat. Si integrum inuentum fuerit, & in eo vermis, comburatur, & cinis sub altare recõdatur: & qui neglexerit, quaternis diebus suam negligentiam soluat. Si cum amisione saporis decoloratur sacrificium, viginti dies expleantur ieiunio: conglutinatum verò, septem dies, qui merserit, pœniteat.

Iuo ibid. c. 60. Gratiã. de consecr. dist. 2. c. Qui non.

In Missa populus non discedat, nisì iam completa, & benedictione sacerdotis accepta.

ITEM (inquiunt aut huius, aut alterius, quod non exstat, Concilij Arelatẽsis patres, iuxta quod citatur à DD. Burchardo & Iuone) cùm ad celebrandam Missam in Dei nomine cõuenit populus, non antè discedat, quàm Missę solennitas compleatur, & vbì Episcopus defuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.

Burch. l. 3. decr. c. 29. Iuo part. 3. c. 34.

GEISERICI, ROMA CAPTA, SACRORVM VASORVM DIREPTIO.

Ioan. Zonar. Annal. Tom. in Martiano Imperat.

IS igitur (inquit Ioann. Zonara de Geiserico agens) cum classe & copijs magnis Romam venit: Maximo, cùm indè profugisset, à suis occiso, vrbe citra laborem potitur, & omnes eius diuitias, sacrarum ædium aurea donaria, & gemmis ornata, nonnulla etiã vasa è templo Hierosolymitano à Tito allata, aurea & ipsa, vnà cum Eudoxia, & duabus eius filiabus, in Africam secum absportat.

Niceph. l. 15. c. 11.

QVOD paucis sic repetit Nicephorus: Multa quoquè indè Ecclesiastica & preciosa abstulit vasa, inter quæ non pauca etiam Hebraica fuêre, quæ Vespasianus & Titus, Hierosolymis vastatis, Romam secum attulerant.

DEOGRATIAS CARTHAGINIENSIS EPISCOPI, CAPTIVORVM ROMANORVM, VASIS SACRIS DIVENDITIS, REDEMPTIO.

Vict. Vticens. de persecut. Vand. l. 1.

STATIM (inquit Victor Vticensis) sategit vir Deo plenus & charus, vniuersa vasa ministerij aurea vel argentea distrahere, & libertatem de seruitute barbarica liberare.

MAVRIS CONVERSIS, PRESBYTER ET MINISTRI DESTINATI A ROMANO PONTIFICE.

Ibid.

MITTVNT (inquit idem Victor) per itinera distenta deserti: peruenitur tandèm ad ciuitatem Romanam. Rogatur Episcopus, vt presbyterum & ministros credenti populo destinaret. Explet cum gaudio, quod petebatur, Pontifex. Dei constituitur Ecclesia: baptizatur multitudo maxima Barbarorum, & de lupis grex fœcundus multiplicatur agnorum.

D. VA-

D. VALERIANI ABENSIS PROVINCIAE ZEVGITANAE EPISCOPI MARTYRIVM, QVOD DIVINA SACRAMENTA NOLLET TRADERE.

ACCENDITVR propter hæc (inquit idem) aduersùs DEI Ecclesiam Geisericus. Mittit Proculum quendam in prouinciam Zeugitanam, qui coarctaret, ad tradendum ministeria diuina vel libros, cunctos Domini sacerdotes, vt primò armis nudaret, & ità faciliùs inermes hostis callidus captiuâsset. Quibus se non posse tradere clamitantibus, ipse rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de pallis altaris, prô nefas, camisias sibi & femoralia faciebat. Qui tamen Proculus huius rei executor, frustatìm sibi comedens linguam, in breui turpissima consumptus est morte. Tunc enim sanctus Valerianus Abensis ciuitatis Episcopus, dum viriliter, sacramenta diuina nè traderet, dimicâsset, forâs ciuitatem singularis iussus est pelli, & ità præceptum est, vt nullus eum neque in domo, neque in agro dimitteret habitare. Qui in strata publica multo tempore nudo iacuit sub aëre, annorũ erat plùs lxxx. Ibid.

QVOD repetunt Ven. Beda & Vsuardus in hæc verba: Apud Aphricam B. Valeriani Episcopi & confessoris, qui cùm esset annorum plùs quàm octoginta, extra ciuitatem singularis expelli iussus est: & ità præceptum, vt nullus eum neque in domo, neque in agro dimitteret habitare, sed in strata publica multo tempore nudo sub aëre iacens, in confessione Catholicæ veritatis & defensione sanctimonij, cursum beatæ vitæ compleuit. Beda & Vsuard. in Martyrol. 15. Decem.

QVOD paucis item Sigebertus in Chronicis.

ALIORVM IN APHRICA OB CELEBRATAM SOLENNITATEM PASCHALEM MARTYRIVM.

Vict. Vtic., loc. citat

QVODAM tempore (inquit idem Victor) Paſchalis ſolennitas agebatur, & dum in quodam loco, qui Regia vocitatur, ob diem Paſchalis honoris, noſtri ſibimet clauſam Eccleſiam reſerarent, compererũt Arriani: ſtatìm quidã presbyter eorum Antiot nomine, congregata ſecum armatorum manu, ad expugnandam turbam accenditur innocentum. Introëunt euaginatis ſpatis, arma corripiunt, alij quoquè tecta conſcendunt, & per feneſtras Eccleſiæ ſagittas ſpargunt. Et tunc fortè canente populo Dei, lector vnus pulpito ſiſtens, alleuiaticum melos canebat. Quo tẽpore ſagitta in gutture iaculatus, cadente manibus codice, mortuus pòſt cecidit ipſe. Nam & alij quàm plurimi ſagittis & iaculis in medio crepidinis altaris probantur occiſi. Nam qui gladijs tunc interempti non ſunt, poſteà pœnis attriti, regio iuſſu omnes penè necati ſunt, præſertim maturioris ætatis.

EORVNDEM VANDALORVM, IN CORPVS ET SANGVINEM DOMINI CONTVMELIA.

Ibid. ſer. Thamugade

ALIBI nanq; (inquit) ſicut ⁎ Thimazadæ contigit, Galibus, vico Ammoniæ, vel alijs in locis, tempore quo ſacramẽta Dei populo porrigebãtur, introëuntes, maximo furore corpus Chriſti & ſanguinem pauimentis ſparſerunt, & illud pollutis pedibus calcauerunt.

RENOVATA ROMAE A D. LEONE PAPA, SACRA VASA, POST CLADEM VANDALICAM.

HIC

HIC (inquit Author Libr. Pontificalis) post cladem Vandalicam, renouauit omnia ministeria sacrata argentea per oẽs titulos. Auct. lib. Pontif. cap. 46.

AD SYNODVM VENETICAM A SE IN ITALIA INDICTAM CONTRA PELAGIANOS, STATVTVM D. LEONIS PAPAE, DE TRANSLATIONE CLERICORVM AD ALIAS ECCLESIAS.

ILLAM quoquè partem (inquit D. Leo papa, Nicetæ scribens Aquileiensi Episcopo, prouinciæ Veneticæ Metropolitano) ecclesiasticæ disciplinæ, qua olìm à sanctis patribus, & à nobis sæpè decretum est, vt nec in presbyteratûs gradu, nec in diaconatûs ordine, nec in subsequenti officio clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum, vt in integrum reuoces, admonemus. Vt vnusquisque, non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum deprauatus, ibì, vbì ordinatus est, perseueret: ità vt si quis sua quærens, non quæ Iesu Christi, ad plebem & Ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris priuilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus. Leo papa epist. 84. siue 86.

VICTORIANI VOCONII SEV BVCONII, CASTELLANI MAVRITANIAE EPISCOPI, SACRAMENTORVM LIBER.

VOCONIVS Castellani (inquit Gemnadius Massyliensis) Mauritaniæ oppidi Episcop⁹ scripsit aduersùs Ecclesiæ inimicos Iudæos & Arrianos & alios hæreticos. Composuit etiam sacramentorum egregium volumen. Gemnad. in Catal. script. illust.

MVSAEI MASSYLIENSIS PRESBYTERI, LECTIONVM ET SACRAMENTORVM LIBRI.

Ibidèm.

MVSAEVS (inquit idem) Massyliensis Ecclesiæ presbyter, vir in diuinis scripturis doctus, & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus, lingua quoquè scholasticus, hortatu S. Venerij Episcopi, excerpsit ex sanctis scripturis lectiones totius anni, festiuis aptas diebus, responsoria etiam psalmorum & capitula, tempori & lectionibus congruentia : quod opus tam necessarium à lectoribus in Ecclesia probatur, vt expetitum, & solicitudinem tollat & moram, plebique ingerat scientiam, celebritatem & decorem. Sed & ad personam sancti Eustasij Episcopi, successoris prædicti hominis Dei, composuit sacramentorum egregium & nō paruum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum & temporum, pro lectionum textu, psalmorumque serie & decantatione discretum: sed supplicandi Deo, & contestandi beneficiorum eius soliditate suî consentaneum : quo opere, grauissimi sensûs & castigatæ eloquentiæ agnouimus virum. Homilias dicitur etiam declamâsse : quas & haberi à fidelibus viris cognoui, sed ego non legi. Moritur Leone & Maiorano regnantibus.

D. HILARII PAPAE ROMANI XLVII. CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI MYSTERIVM.

Corpus Christi in singulis partibus totum accipitur.

Gratian. de cōsecr. dist. 2. ca. vbi.

VBI pars est (inquit Diuus Hilarius papa, iuxta quod citatur à Gratiano) corporis, est & totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figura præcesit. De quo

quo dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus parauerat, habuit minus. Non enim est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus sacramenti spiritualis. Exod. 16.

Corporis Christi in altari veritas.

CORPVS Christi (inquit idem apud eundem) quod sumitur in altari, figura est, dum panis & vinum videtur extrà: veritas autem, dum corpus & sanguis CHRISTI in veritate interiùs creditur. Ibid. c. Corpus

CONCILII TVRONICI I. CANONES, DE MINISTRORVM ALTARIS CONTINENTIA OB QVOTIDIANA SACRIFICIA.

SI vniuersis (inquiunt eius Synodi Patres) fidelibus, secundùm Apostolicam doctrinam, castitas custodiẽda indicitur, vt qui habent vxores, ità sint, quasi non habentes: quanto magìs sacerdotes Dei ac Leuitę, diuino mancipati altario, custodire debent, vt nõ solùm cordis, verùm etiam puritatem corporis seruantes, pro plebe supplicaturi, preces illorum ad diuinum mereantur introire auditum? quia secũdùm authoritatem Apostoli, qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Et iterùm, Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed polluta est eorum & mens, & conscientia. Cùm ergò laico abstinentia imperetur, vt posit orationi vacans, & Deum deprecans, exaudiri: quãto magìs sacerdotibus vel Leuitis, qui omni momento parati esse debent, in omni munditia & puritate securi, nè aut sacrificium offerre, aut baptizare, si id temporis necesitas popoſcerit, cogantur imparati aut immundi? Qui si cõtaminati fuerint carnali concupiscentia, qua fronte excusabunt? quo pudore vsurpabunt? qua conscientia, quo merito exaudiri se credent?

Concil. Turon. 1. cap. 1.

Rom. 8.

Tit. 1.

1. Cor. 7.

ET

Eiusd. can. 2. ET licèt à patribus nostris de commissa authoritate id fuerit constitutum, vt quicunque sacerdos vel Leuita, filiorum procreationi operam dare fuisset conuictus, à communione Dominica abstineret: nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes, & iusta constitutione mollientes, id decreuimus, vt sacerdos vel Leuita coniugali concupiscentiæ adhærens, vel à filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non conscendat, neque sacrificia DEO offerre, vel plebi ministrare præsumat.

CONCILII VENETICI GALLIARVM CANON, DE SERVANDO EODEM SACRORVM RITV.

Concil. Venet. cap. 15. * ordinum & RECTVM quoquè duximus, (inquiunt D. Perpetuus Turonẽsis, alijq; eius Synodi patres) vt vel intrà prouinciam nostram sacrorum * & ordo psallendi vna sit consuetudo, vt sicut vnam cum Trinitatis cõfeßione fidem tenemus, vnam & officiorum regulam teneamus, nè, variata obseruatione, in aliquo obseruatio nostra discrepare credatur.

CONCILII ROMANI STATVTVM SVB HILARIO PAPA, DE CLERICIS VXORES DVCENTIBVS.

Gesta syn. Rom. Hilar. papa sub finẽ. TIBERIVS (vtì habent gesta Synodi post recitatas literas Tarraconensis Prouinciæ Hispaniarum Synodi) episcopus Sabinẽsis dixit: Profiteor me statuta sedis Apostolicæ in omnibus custodire: & si in Ecclesia mea clericorum aliquem, cõtra præcepta sanctorum canonum depræhendero aut mulierem duxisse, aut duas habere vxores, ab Ecclesiastico officio separari.

D. SIM-

D. SIMPLICII ROMANI PAPAE XLVIII. STATVTVM DE ECCLESIASTICIS MINISTERIIS.

QVI illicitè (inquit) à Gaudentio Aufinienſis Eccleſiæ ſacerdote contra ſtatuta Canonum ſunt proue&ti, ab Eccleſiaſticis miniſterijs ſint remoti. simpl papa epiſt.3.

CLAVDIANI MAMERTI VIENNENSIS GALLIARVM EPISCOPI, MISSARVM SOLENNIA, ET *LETANIARVM INSTITVTIO.

REFERT Auitus Viennenſis Epiſcopus (D.Gregorio Turonenſi teſte) in quadam Homilia,quam de Rogationibus ſcripſit, has ipſas Rogationes,quas ante Aſſcenſionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto ipſius Viennenſis vrbis epiſcopo,cui & hic eo tempore præerat,inſtitutas fuiſſe,dum vrbs illa multis terreretur prodigijs. Nam terræmotu frequenter quatiebatur:ſed & ceruorum atque luporum feritas,portas ingreſſa, per totam(vt ſcripſit) vrbem nihil metuens oberrabat.Cumque hæc per anni circulum gererentur,aduenientibus Paſchalis ſolennitatis diebus,expectabat miſericordiam DEI plebs tota deuotè,vt vel hic magnæ ſolennitatis dies huic terrori terminum daret. Sed in ipſa glorioſæ noctis vigilia,dum Miſſarum celebrarentur ſolennia,ſubitò palatium regale intramuraneum diuino igne ſuccenditur, pauore omnibus perterritis,& Eccleſiam egreſsisc redentibus, nè aut hoc incendio vrbs tota cõſumeretur, aut certè diſrupta tellure dehiſceret, ſanctus ſacerdos proſtratus ante altare, cum gemitu & lachrymis Domini miſericordiam imprecatur.Quid plura?penetrauit excelſa poli oratio pontificis inclyti, reſtinxitq; domûs incendium flumen profluentium lachrymarum. Cumque hæc agerentur,adpropinquante Aſſcenſione,vt iam diximus, maieſtatis Domini- Greg.Turon. hiſt. Franc.lib. 2.cap.34.

 mini-

minicę, indixit populis ieiunium, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus quoquè exindè terroribus, per cunctas prouincias dispersa facti fama, cunctos sacerdotes imitari commonuit, quod sacerdos fecit ex fide: quæ vsq; nunc in Christi nomine, per omẽs Ecclesias in compunctione cordis & contritione spiritûs celebratur.

D. SIDONII APOLLINARIS AVERNENSIS EPISCOPI MISSAE.

Ibi. c. 22. CONTIGIT autem quadam die, (inquit idem D. Gregorius Turonensis) vt S. Sidonius ad festiuitatem basilicę monasterij, cuius suprà meminimus, inuitatus accederet: ablatoque sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solennia agere consueuerat, ità paratus* à tempore cũctum festiuitatis opus explicuit, vt ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adstantibus, ibidèm hominem locutum fuisse, sed angelum. Quod in p̃fatione libri, quem de Missis ab eo compositis, coniunximus, pleniùs declarauimus.

* lego: ex tempore

Ibid. 27. Sidon. Apollin. epist. ad Basilium. PERTINET eodèm, quod adfert ex eiusdem D. Sidonij Epistola, de Euarigis Regis Ostrogotthorum in Gallijs sæuitia: Nam & ipsos sacrorum templorum aditus spinis iusserat obserari, vt raritas ingrediendi, obliuionem faceret fidei.

IDACII CLARI IN HISPANIIS EPISCOPI, AD ALTARE SACRIFICIVM.

Idacij Clari contra Varidadũ Arrianũ. SI verò dixerint (inquit disputans contra Arrianos) in hoc pater filio maior esse docetur, quia illi soli sacrificium immolatur. Resp. Vt vanæ propositioni vestræ absque vlla subtilitate aut compositione verborum, à nobis competens & congruum reddatur responsum: Sicut patri, ità etiam filio, non solùm Christianis temporib⁹, verumetiam à prisci temporis sacerdotibus, multis varijsq; modis ꝓbamus sacrificium fuisse oblatum, Daniele prophe- Daniel. 3.
ta di-

ta dicēte: Nō eſt locus, inquiūt tres pueri, ad ſacrificādum nomini tuo, & inuenire miſericordiam, ſed in anima & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur, & ſicut in holocauſtomate arietū & taurorū, & multitudine agnorum pinguium, ità fiat ſacrificiū noſtrum in conſpectu tuo hodiè, vt placeat tibi. Et vt filium fuiſſe agnoſcas, cui hi tres pueri ſacrificium ſe faſsi ſunt obtuliſſe, ex ipſius regis ac tyranni, qui eos in fornacem ignis mitti pręceperat, cōfeſsione addiſce, q ſe cum trib9 quartum in ipſo æſtuãtis camini incēdio ſociatum ꝓdidit cōſpexiſſe. Nónne, inquit, tres viros miſimus in fornacem vinctos? Et dixerūt ei: Verè REX. Et dixit: Eccè ego video quatuor viros ſolutos, & deambulantes in medio ignis, & corruptio nulla eſt in eis, & adſpectus quarti ſimilis eſt filio Dei. Idem Dei filius per prophetam loquitur, dicens: Ab ortu ſolis vſque ad occaſum ſacrificium offertur nomini meo, & oblatio munda: quia magnum eſt nomē meum in gentibus, dicit Dominus. Et Dauid in Pſalmis Pſal. 67.
ait: In templo tuo Hieruſalem tibi offerunt reges munera. Et vt hæc de filio Dei ſe dixiſſe doceret, in alio Pſalmo loquitur, dicens: Pſalm. 71.
Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gētes ſeruient ei. Et vt hęc omnia ſuperiùs deſignata * à patre, filio Dei doceamus fuiſſe oblata, in natiuitate eiuſdem filij Dei, quæ ſecundùm carnem facta eſt, probamus fuiſſe completa, Euangelio comprobante: Quòd cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis regis, eccè Magi ab Oriente venerūt Hieroſolymam, dicentes: Vbì eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Et infrà: Et intrantes in domum, inuenerunt puerum & Mariam matrem eius: & ꝓcidentes, adorauerunt eum: & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera. Sacrificium itaq;, quod à Chriſtianis ſacris altaribus admouetur, non ſolùm DEO patri, ſed etiam filio communi deuotione offertur: quoniam nec patri ſine filio poteſt offerri, neque filio ſine patre ſanciri.

[Margin: for. * non Patri ſoli, ſed & — Matth. 2.]

AB HVNERICO GEISERICI FILIO, INITIO REGNI PERMISSI SPIRITALES CONVENTVS.

Vict. Vticens. de persecut. Vandal. lib. 2.

MORTVO igitur Geiserico (inquit Victor Vticensis) Hunericus maior filius patri succedit. Qui primordio regni, vt habet subtilitas Barbarorum, cœpit mitiùs & moderatiùs agere, & maximè circa religiõem nostram, vt etiam vbì anteà sub rege Geiserico præiudicatum fuerat, nè spiritales fierent conuẽtus, conuenticula concurrerent populorum.

EIVSDEM EDICTVM, QVO CATHOLICIS PERMITTEBAT MISSARVM ACTIONEM, DVMMODO IDEM ARRIANIS EPISCOPIS LICERET.

Vict. ibi.

IVSSIT vobis (inquit, eodem teste, in Edicto suo Hunericus) Dominus dici, quia Imperator Zenon, & nobilissima Placidia, per Alexãdrum virum illustrem scripserũt, petẽtes vt Ecclesia Carthaginis, religiõis vestrę ꝓprium episcopum habeat: hoc fieri ꝑcepit, atq; eis rescripsit, vel legatis ab eis directis dici iussit, vt sicut petierũt, vobis episcopum quem voluẽritis, ordinetis: eo sub tenore, vt nostrę religiõis Episcopi, q in Cõstãtinopoli sunt, & ꝑ alias ꝓuincias Oriẽtis, ex eiꝰ ꝑcepto, Episcopi liberũ arbitrium habeãt in Ecclesijs suis, quibus voluẽrint linguis populo tractare, & legem Christianam colere, quemadmodùm vos hîc vel in alijs Ecclesijs quæ in ꝓuincijs Africanis cõstitutę sunt, liberum arbitrium habetis in Ecclesijs vestris Missas agere vel tractare, & quæ legis vestræ sunt, quemadmodùm vultis facere.

NON MVLTO POST, EPISCOPORVM, CVM ALIIS NVMERO IIII. MILLIBVS, D.CCCC.LXVI IN EXILIVM ACTORVM, DIVINA MYSTERIA.

QVI-

QVIBVS (inquit idem) prosequar fluminibus lachrymarũ, quandò Episcopos, presbyteros, diaconos, & alia Ecclesiæ mẽbra, id est, quatuor millia, DCCCCLXVI. ad exiliũ eremi destinauit? in quibus erãt podagrici q̃plurimi, alij per ætatẽ annorũ à lumine tẽporali priuati. In quorũ erat numero B. Felix Abdiritanus Episcopus, habens iam in Episcopatu XLIIII. Ibid.

Congregantur vniuersi in Siccensem & Larensem ciuitates, vt illuc occurrentes Mauri, sibi traditos ad eremum perduxissent.

ILLIC clamantibus & dicẽtibus ingenti vociferatione, Christiani sumus, Catholici sumus, Trinitatem Deum inuiolabilẽ cõfitemur: includuntur grauiori quidem, sed adhuc latiori custodia, vbì nobis copia dabatur & introire, & verbum admonitionis fratribus facere, & diuina mysteria celebrare.

IN ITINERE VOCES FIDELIVM AD MARTYRES, DIVINVM SACRIFICIVM DESIDERANTIVM.

QVANTAE (inquit idem) tunc multitudines de diuersis regionibus & ciuitatibus, ad visendos Dei martyres occurrerint populorũ, testantur viæ vel semitę: quę cum agmina venientiũ nequaquã caperent, vel vertices montiũ & valliũ, concurrẽs turba fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestãtes: suosq́; infantulos vestigijs martyrũ proijcientes, ista voce clamabãt: Quibus nos miseros relinq̃tis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitẽtiæ munus collaturi sunt, & recõciliatiõis indulgẽtia obstrictos peccatorũ vinculis soluturi? Quia vobis dictum est, Quęcũq; solueritis super terrã, erunt soluta & in cælis. Qui nos solẽnibus orationibus sepulturi sunt morientes? à quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus? vobiscum & nos licebat pergere, si liceret, vt tali modo filios à patribus nulla necessitas separaret. Ibid. Matt. 18.

D. FELICIS II. PAPAE ROMANI XLIX. IN CONCILIO ROMANO STATVTA, DE ORATIONIS PVBLICAE VARIA COMMVNIONE.

Epiſcopi & Diaconi in Africa rebaptizati, pœnitentes, ab Oratione tam catechumenorum quàm fidelium excludantur.

Felix 2. pap. epiſt. Decr. c. 2.

QVOS (inquit Felix papa II. vulgò III.) Epiſcopos, presbyteros, & diaconos fuiſſe conſtiterit, vſq; ad exitûs ſui diem, in pœnitentia (ſi reſipiſcunt) iacere conueniet: nec orationi non modò fidelium, ſed nec catechumenorum omnimodis intereſſe, quibus communio laica tantùm in morte reddenda eſt.

Clerici, monachi, aut virgines Dei rebaptizati, biennio Oblationes offerre non permittantur, ſed ſocientur tantùm in oratione popularibus.

Felix papa ibid. c. 3.

TRIBVS (inquit) annis inter Audientes ſint: ſeptem autem annis ſubiaceãt inter pœnitentes manibus ſacerdotum: duobus autẽ annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantũmodò * ſecularibus in oratione ſocientur.

* popularibus.

Pueris verò & puellis aliquandiù in pœnitentia conſtitutis, communio non denegetur.

Ibid. c. 4.

PVERIS autem, quibus (inquit) quòd adhuc impuberes ſint, à purirate vocabulũ eſt, ſeu clericis, ſiue laicis, aut etiã ſimilibus puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiù ſub manûs impoſitione detentis, reddenda communio eſt: nec eorum expectãda pœnitentia, quos excipit à coërcitione cenſura.

Catechumeni deniquè rebaptizati, poſt triennium primùm ad orationes Catechumenorum admittantur.

Ibid.

NEC Catechumenos noſtros, qui ſub tali profeſsione baptizati ſunt, * prætermittimus: quia non eſt cauſa diſsimilis (ſicut ijdem ſancti Canones ordinãrũt) eius, qui quolibet modo Chriſtũ quem ſemèl confeſſus abiurauit, tribus annis inter audiẽtes ſint, & poſteà cum

* prætermittimus.

cum Catechumenis permittantur orare, per manûs impositionem communionis catholicæ gratiam percepturi.

SYNODI ROMANAE SVB HOC FELICE CONTRA PETRVM GNAPHEVM ANTIOCHENVM EPISCOPVM DECRETVM, VT NON ADIICIATVR HYMNO TRISHAGIO, QVI CRVCIFIXVS ES PRO NOBIS.

NAM quod (inquit Felix epistola sua nomine Synodi ad Petrum Antiochenũ episcopũ) post illud, Sanctus immortalis, quod est Spiritussanctus, tunc infers, Qui pro nobis crucifixus es, miserere nobis, quaternitatéq;, nõ Trinitaté, populo insinuare videris. Nempe si ex humana traditione manâsset hæc laus, nõ ità incautè crucé insereres laudi, in qua filij appellatio, fortis scilicet, ponitur. Quoniá verò ab angelis nobis laus ista, ꝓfluxit, qui ante crucé dicebãt: Sanctus, sanctus, sanctus: sicut respicere Isaias meruit: post crucé verò cũ laude clamabãt, Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus ĩmortalis. Deniquè cùm terręmotu Cõstantinopolis quateretur, populusq; in cãpo oraret, infãtulus, toto populo spectãte cũ Proclo ciuitatis Episcopo, in cælũ per vnã horã rapt⁹ est, ibiq; huiusmodi didicit hymnum. Rursumq; descẽdens, nunciauit, quę in æthere audierat: dicens de cęlo, quasi de multitudine psallentium, huiusmodi laudes insonuisse auribus suis, dictumq; sibi, vt eam laudationem populo indicaret. Quam vbi populi inceperant, ciuitatem receperunt, Deoque per huiusmodi laudem propicio facto, ab imminenti ira liberati sunt. At tu quàm temerè, vt scripturas diuinas reliquas, ità & angelorum laudem peruertere præsumpsisti. Felix papa & Syn. Roman. epist. ad Petrum Antioch. in Act. 5. Syn.

Ité epist. ad Zenoné Imperat. Post hęc aũt omnia impia, & blasphemiæ suæ pręsumpta, & deprauationé trisagiæ deprecationis, cũ illis audire voluit. Qui crucifixus es pro nobis, multa incõueniẽtia effecit, multumq; à nobis, & in Christo dilectis fratribus nostris, In iisd. act.

qui

qui in Oriente ſunt, & à venerabili Accio veſtrę regalis & à Deo amatæ ciuitatis Archiepiſcopo admonitus, conuerti noluit.

HVNERICI TYRANNI NOVAE PERSECVTIONIS PRAETEXTVS, QVOD CATHOLICI MISSAS CELEBRASSENT IN SORTIBVS ARRIANORVM.

Vict. Vticenſ. de perſec. Vãdal. vbi ſup.

COGITAT (inquit Victor Vticenſis) aduersùs Eccleſiam Dei, vt qui mẽbra aliqua abſciderat, totũ laniando perderet corpus. Nam die Aſſcenſionis Dñi, legatus Zenonis Imperatoris, regina prẹſente, legendũ in media Eccleſia Epiſcopo Eugenio dirigit prẹceptũ, quod etiam vniuerſæ Africę, veredis currẽtibus, deſtinauit: Rex Hunericus Vandalorum & Alanorũ, vniuerſis Epiſcopis Omouſianis: Non ſemèl, ſed ſẹpiùs conſtat prohibitum, vt in ſortibus Vandalorum ſacerdotes veſtri conuentus minimè celebrarẽt, nè ſua ſeductione animas ſubuerterẽt Chriſtianas. Quam rem ſpernentes plurimi, reperti ſunt contra interdictũ Miſſas in ſortibus Vandalorum egiſſe, aſſerentes ſe integram regulam Chriſtianæ fidei tenere. Et quia in prouincijs à Deo nobis conceſsis, ſcandalum eſſe nolumus &c.

QVOD poſtremum ſic intelligebãt Catholici, quaſi diceret: In prouincijs noſtris Catholicos eſſe nolumus.

Apud eundem Vict. initio l. 3.

HVNC ipſum aũt prẹtextum poſteà denuò allegat in Edicto ſuo Hunericus, quod anno 8. ſui regni ijſdem penè verbis repetijt.

VICTORIS CARTENNAE MAVRITANIAE EPISCOPI, IN LIBELLO FIDEI HVNERICO TRADITO, MENTIO ILLIVS, SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, IN MYSTERIIS TVNC VSITATI.

PER-

PERFECTAM (inquit Victor Cartennæ, libello fidei non Geiserico, (vtì Gennadius) sed Hunerico potiùs, vtì Victor asserit Vticensis, tradito,) Trinitatem adorantes, & magnificantes, sicut in mysterijs ore nostro dicimus, ità conscientia teneamus: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Ter dicétes, sanctus, vnam omnipotentiam confitemur, quia vna est religio, vna glorificatio Trinitatis. Apud eũdẽ sub finem l. 2.

IN TIPASENSI CIVITATE, OB MYSTERIA PVBLICE CELEBRATA, IVSSV HVNERICI OMNIVM LINGVAE EXCISAE, QVI TAMEN LOQVI NON DESTITERVNT.

IN Tipasensi verò ciuitate (inquit idem Victor) quod gestum est Mauritanię maioris ciuitate, ad laudem Dei insinuare festinemus. Dum suę ciuitati Arrianum, Episcopum ex Notario, Cyrilam, ad perdendas animas ordinatum vidissent: omnis simul ciuitas euectióe nauali de ꝓximo cófugit, relictis paucissimis, qui aditum nó inuenerất nauigấdi. Quos Arrianorum Episcopus primò blandimentis, posteà minis compellere cœpit, vt eos faceret Arrianos. Sed fortes in Domino, nõ solùm suadétis insaniã irriserũt, verum etiam publicè mysteria diuina, in domo vna congregati, celebrare cœperũt. Quod ille cognoscés, relationẽ occultè Carthaginem aduersùs eos direxit. Quæ cùm regi innotuisset, comitem quendam cũ iracũdia dirigés, ꝓcepit vt in medio foro cógregata illuc omĩ ꝓuincia, linguas eis & manus dextras * radicibus abscidisset. Quod cùm factum fuisset, spiritu sancto præstante, ità loquuti sunt & loquuntur, quomodò anteà loquebantur. Idẽ ibid. lib. 3. * radicitùs

FIT huius eiusdem miraculi mentio, Theodorico & Venantio Conss. apud Marcellinum comitem. Marcell. Com. in Chron.

ITEM apud Iustinianum Imperatorem l.2.C.de Offic. prętoris Africæ.

DIVVS Gregorius deniquè idipsum narrat in Dialogis, libr. 3. ca. 32.

D. GELASII, L. PAPAE ROMANI HYMNI, ET SACRAMENTORVM ORATIONES, PRAEFATIONESQVE AC DECRETA, CIRCA VENERANDA MYSTERIA.

Hymni, orationes, ac pręfationes, ab ipso compositæ.

Auth. lib. Pontif. cap. 50. FECIT (inquit liber Pontificalis) hymnos in modum B. Ambrosij Episcopi. Ac deindè fecit etiam & sacramētorum præfationes & orationes cauto sermone.

QVAE ijsdem verbis repetũtur à Sigeberto ad ann. 487. ac Radulpho Tungrensi de Canon. obseru. c. vlt.

Alcuin. de diuin. offic. DE præfatione item communi sic Alcuinus: Hanc (inquit) exhortatiõem quæ sequitur, (nempe, Verè dignũ & iustum est &c.) Gelasius composuisse dicitur.

Vualafr. de reb. eccles. c. 25. VVALAFRIDVS verò Strabus de hymnis in hæc verba: Et de Gelasio scribitur, quòd tractatus & hymnos, in morem B. Ambrosij composuerit.

Ibid. c. 22. ITEM de Orationibus: Nam & Gelasius (inquit) Papa, ità tam à se, quàm ab alijs compositas preces, dicitur ordinâsse.

Berno Augiens. cap. 1. BERNO rursùm Augiensis de ijsdem: Orationes autem, (inquit) quas collectas dicimus, à diuersis authoribus compositæ creduntur, à Gelasio præsule Romano, & beato Gregorio papa. Vndè & in vita ipsius legimus: Sed & Gelasianum codicem de Missarum solennijs, multa subtrahens, pauca conuertens, nonnulla superadijciens, in vnius libelli volumine coarctauit. Quod vo-

volumen, Librum ſacramentorum prætitulauit.

CITAT autem verba Ioannis Diaconi, vitæ Diui Gregorij lib. cap.

QVI Berno etiam Gelaſiani Ordinis meminit: Vtiquè (inquit) ſecundùm conſuetudinem antiquam, Gradualia, ſicut nõ ſolùm in noſtris libris habetur inſertum, ſed etiam vt in quodam ordine, ſecũdùm S. Gelaſij papę authoritatem, reperi prætitulatum. Ibdẽ. ca. 7.

ITEM Sigebertus: Gelaſius papa Collectas & præfationes compoſuit. Sigeb. ad ann. 685.

MARTINVS deniq; Polonus de his omnibus hęc habet: Hic fecit Orationes, Tractatꝰ, & hymnos, ſicut Ambroſius: & Præfationem Miſſę compoſuit, Verè dignũ & iuſtum eſt, quotidiano vſui. Mart. Polon. ad ann. 493.

Presbyreris non liceat pręſente Epiſcopo, niſì iubeantur, actionem ſacram ſupplere, aut venerãda tractare myſteria.

NEC minùs etiam (inqt epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutium, & Siciliam) presbyteros, vltra modum ſuum tendere ꝓhibemus: Nõ præſente quolibet antiſtite, niſì fortaſsè iubeantur, vel orationis, vel actionis ſacrę ſupplendę ſibi præſumãt eſſe licentiam: neq; ſub eius adſpectu, niſì iubeantur, aut ſedere præſumant, aut veneranda tractare myſteria. Gelaſ. papa. Epiſt. 1 cap. 8.

Diaconis quoq; neq; in presbyterio reſidere liceat, cùm diuina celebrantur, neq; ſacrum corpus Dñi pręrogãdi, niſì abſentibus Epiſcopis & Presbyteris, ius habeant.

DIACONOS quoq; (inquit) propriam conſtituimus ſeruare menſuram. Nõ in presbyterio reſidere, cùm diuina celebrãtur, vel eccleſiaſticus habetur quicunq; tractatus. Sacri corporis ꝓrogationem, ſub cõſpectu Pontificis ſeu presbyteri, niſì his abſentibus, ius non habeant exercendi. Ibid. c. 9. & 10.

Dæmoniacis miniſteria ſacroſancta tractare non liceat.

VSQVEADEÒ ſanè cõperimus (inquit) illicita quæq; prorumpere, Ibid. c. 21.

pere, vt dæmoniacis similibusq; passionibus irretitis, ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si in hoc opere positis, aliquid propriæ necessitatis occurrat: quis de sua fidelium salute confidet, vbi ministros ipsos curationis humanę tanta perspexerit calamitate vexari? Atque ideò necessariò remouendi sunt, nè quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis. Postremò, si corpore sauciatum fortassis aut debilem, nequaquàm sancta cõtingere lex diuina permittit: quanto magìs doni cælestis dispensatores esse non conuenit, quod est deterius, mente perculsos?

Nouæ basilicæ neq; consecrentur sine præcepto sedis Apostolicæ, neq; in defunctorum incertorum nomine.

Ibid. c. 6. BASILICAS (inquit ad eosdem Italię Episcopos) nouiter institutas, non petítis ex more præceptionibus, dedicare non audeãt, nec ambiant sibimet vindicare clericos potestatis alienæ.

Ibid. c. 27. ET iterùm: De locorum cõsecratione sanctorum, quanuis superiùs strictìm fuerit comprætensum, nobis quoq; patefactum est, quòd absq; pręcepto sedis Apostolicæ, nõnulli factas Ecclesias vel oratoria sacrare pręsumant: hoc sumus tamẽ indicio detestabiliore permoti, ꝙ in quocunq; nomine defunctorum, & (quantùm dicitur) nec omninò fidelium, cõstructiones ædificatas sacris processionibus audacter instituere memorantur.

Fœminæ sacris altaribus ministrare non permittantur.

Ibid. c. 28. NIHILO minùs (inquit) impatienter audiuimus, tantum diuinarum rerum subîsse despectum, vt fœminæ sacris altaribus ministrare ferantur: & cuncta quæ nõ nisi virorum famulatui deputata sunt, sexum, cui non competit, exhibere.

Hæretici Episcopi defuncti nomen, in Ecclesiastica recitatione asscribi non liceat.

Idẽ epi. 5. ad Anast. Imperat. Quo (inqt Epist. ad Anastasiũ Imp. de Acacio) in sua perfidia & damna-

damnatione moriente, tam eius in Ecclesiastica recitatione nō potest nomen asscribi, quàm externæ contagium non debet communicationis admitti.

EODEM pertinet, quod ex Epistola ad Dardanię Episcopos citat Gratianus: Qui (inquit) meruit ab Apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est, absolutioné, quam superstes nō quæsiuit, omninò nec meruit, nec mortuus iam potest impetrare. Siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est: Quę ligaueritis super terram. Et reliqua. Cęterùm de eo qui in diuino iudicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere, prętter id, in quo eum dies supremus inuenit: atq; ideò, nisì eius nomine refutato, cæterisq; consortibus huius erroris, cum nullo prorsùs eorum participare debetis mensę Dominicæ puritaté, quam Maiores nostri semper ab hæretica magnoperè seruauerunt pollutione discretam. Grat. 24. qu. 2. Nec quisquis. Matt. 18.

EPISCOPI SYPONTINI MISSAE IN MONTE GARGANO IN DEDICATIONE ECCLESIAE S. MICHAELIS ARCHANGELI.

ITERVM (inquiunt Ven. Beda & Ado Treuirensis) Romano Pontifice (quem Gelasium fuisse tradit Sigebertus) & Sypōtino Episcopo, de consecratione loci ipsius quęrētibus, ac propterea triduanum ieiunium cum ciuibus suis celebrātibus, nocte ieiunij suprema sanctus Michael Episcopo Sypontino per visionem appárens, monuit vt intrarent Ecclesiam quam ipse dicauit, & Missas iuxta morem ibì agerent. Ven. Beda & Ado Treuir. in Martyrol. 3 Cal. Oct. Sigebert. in Chron. ad an. 488.

MISSAS autem postridiè & deincèps ibì celebratas, indicat ipsa Dedicationis historia, ex qua verba prædicta constat desumpta, inter Homilias Doctorum edita: Missarum itaq; celebratione conpleta, magno attoniti gaudio, quique redierūt in sua. Episcopus autem delegato ministrorum, cantorum, sacerdotumque officio, & Relatio Dedicat. Eccl. S. Michaelis

mansione constructa, omnem ibidèm quotidiè psalmorum, hymnorum, Missarumq́; cursum, cógruo præcepit ordine celebrari.

GENNADII PRESBYTERI MASSYLIENSIS, DE EVCHARISTIAE OBLATIONE DOGMA.

Gennad. de eccl. dogm. c. 75.

IN Eucharistia (inquit Gennadius confessione suæ fidei ad Gelasium papam, quæ perperàm D. Augustino inscribitur titulo de Ecclesiasticis dogmatibus, quum illi hunc librum adscribant, eodem titulo nominatìm Vualafridus Strabus de reb. eccl. c. 21. Algerus l.1. de corpor. & sang. Domini c. 21. ac B. Thomas super 1. c. Matth. & Quotlib. 11. art. 2. ipse quoquè Sigebertus & Honorius in Catal. script. priori titulo eundem citent) non debet pura aqua offerri, vt quidam sobrietatis falluntur imagine, sed vinum cum aqua mixtum: quia & vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio, cùm dixit, Non bibam amodò de hoc genimine vitis: & aqua mixtum, non quod post cœnam dabatur, sed quod de latere eius lancea perfosso aqua cum sanguine egressa, vinum de vera eius carnis vite cum aqua expressum ostenditur.

ANASTASII II. ROMANI PAPAE LI. STATVTA DE ECCLESIAE MYSTERIIS.

Anast. 2. papa ad Anast. August. c. 8.

VNDE (inquit Anastasius 2. papa) quum sibi sacerdotis nomẽ vindicauerit condemnatus, in ipsius verticem superbiæ tumor inflictus est: quia non populus, qui in mysterijs donum ipsius sitiebat, exclusus est: sed anima sola illa, quæ peccauerat, iusto iudicio propriæ culpæ erat obnoxia.

Hæretici nomen in Ecclesia non recitetur,

Ibid. c. 1.

LEGATIONE (inquit idem) itaque fungimur, pro Christo, nec eos propter offensionem vel scandalũ patiamini publicè nominari, quorum merita vel actus illum iudicem latére nõ possunt, in cuius iam sunt iudicio constituti.

ET

ET rursùm: Precamur itaq; clementiam vestram, vt specialiter nomen taceatur Acacij, vt quod multis ex causis scandalum vel offendiculum Ecclesiæ concitauit, speciali appellatione taceatur. Ibid. c. 3.

EODEM pertinet & illud: Ideò ergò & ipse Acacius, cuius nomen dicimus reticendum. Ibid. c. 8.

GVNTHAMVNDI IN AFRICA ECCLESIARVM RESTITVTIO.

GVNTHAMVNDVS (inquit) rex in Africa Ecclesias Catholicorum à patruo suo Hunerico vel auo Geiserico clausas, aperuit, & omnes Dei sacerdotes, petente Eugenio Carthaginiensi Episcopo, ab exilio reuocauit. Sigebert. Chron. ad an. 492.

SECVLI A CHRISTO INCARNATO SEXTI, SACRIFICII RITVS.

D. SYMMACHI PAPAE ROMANI LII. STATVTVM CIRCA SACRIFICIA.

Omni die Dominico & in Natalitijs martyrum, Hymnus, Gloria in excelsis, dicatur ante sacrificium.

HIC (inquit liber Pontificalis) constituit, vt omni die Dominico, vel natalitijs martyrum, hymnus, Gloria in excelsis, diceretur. Lib. Pontif. c. 52.

QVOD ijsdem verbis repetit Alcuinus li. de diuinis offic. Amalarius de eccles. offic. c. 8. Berno Augiensis de Miss. c. 2. & Martinus Polonus anno Domini 101.

ITEM Hrabanus Maurus: Telesphorus (inquit) papa fertur constituisse, vt ante sacrificium hymnus, Gloria in excelsis, dicatur: Hrabā de instit. cler. l. 1. c. 32.

dicatur: quod tamen modò non semper agitur, sed in diebus tantùm Dominicis,& in sanctorum festiuitatibus, quod Symmachus papa ità fieri mandauit.

Vualafr. de reb. eccl. c. 22. ET Vualafridus Strabus: Huic assertioni (inquit) videtur illud suffragari, quod legitur, Symmachum Romanorum præsulẽ constituisse, vt omni Dominica vel Natalitijs sanctorum, Gloria in excelsis Deo, diceretur. Aut enim (sicut prędiximus) illum hymnũ Telesphorus non apposuit, aut si fecit, statutum illius longo tempore imperfectum remansit.

Sigeb in Chron. SIGEBERTVS etiã: Hic Symmachus (inquit) cõstituit omni die Dominico vel Natalitijs martyrũ, Gloria in excelsis Deo, ad Missas cantari, quem hymnum Telesphorus septimus à Petro Papa, nocte tantùm Natalis Domini ad Missas à se in ipsa nocte institutas, cantari instituit, & in eo ad angelorũ verba, quæ sequuntur, adiecit.

Microl. de eccl. obser. c. 45. MICROLOGVS quoquè: Symmachus (inquit) papa constituit, vt in Dominicis diebus & natalitijs martyrum, hymnus Gloria in excelsis, dicatur: quod & nos obseruamus in omni Dominica, & in festis nouem lectionum, excepto, infra Aduentum Domini, & à Septuagesima vsque ad Pascha: in ijs tamen diebus natalitia Apostolorum & festa S. Marię iuxta Romanam consuetudinem, Gloria in excelsis, recipiunt.

SYNODI QVARTAE ROMANAE SVB SYMMACHO PAPA DECRETVM, DE MISSIS INSCIO EPISCOPO PER PRESBYTEROS NON CELEBRANDIS.

Syn. 4. Rom. sub sym. papa in fine. QVISQVIS verò (inquiũt Patres) clericorũ, post hanc formã à nobis prolatã, quocunq; sacrato Deo loco in Ecclesia Romana Missas celebrare pręsumpserit, pręter conscientiã papę Symmachi, dum viuit, statutis canonicis velut schismatic⁹ percellatur.

LAV-

LAVRENTII MEDIOLANENSIS ET D. PETRI RAVENNATIS EPISCOPORVM MISSAE, ET IN IIS PAPAE MENTIO.

DEINDE (inquit Ennodius Diaconus de Synod. sub Symmach. papa) post quęstionum torrentes, venerabilem Laurentium & Petrum episcopos, à communione papæ se suspendisse replicatis: & quicquid prouidit cautio conuocatorum, ducitis ad crimẽ impetiti. Vllóne ergò tempore dum celebrarẽtur ab his sacra Missarum, à nominis eius commemoratione cessatũ est? vnquàm pro desiderijs vestris sine ritu catholico & canonico more, semiplenas nominatim antistites hostias obtulerunt? Ennod. diac. l. de dict. syn.

EODEM pertinet illud ipsius Symmachi papę ad eũdem Laurentium: Benè venerandis initiandus altaribus, & in laica conuersatione quod sacrum esset, elegisti. Sym. papa epist. 2.

ITEM quod de se scribit ipse D. Petrus Chrysologus Rauẽnas: Omnibus quidẽ ecclesijs venerationem me debere profiteor, & fidelissimam seruitutẽ, sed Corneliensi ecclesiæ inseruire peculiariùs, ipsius nominis amore compellor. Cornelius nanq; memoriæ beatissimę vita clarus, cunctis virtutum titulis vbiquè fulgẽs, operum magnitudine notus vniuersis, pater mihi fuit: ipse me per Euangelium genuit, ipse pius pijssimè nutriuit, ipse sanctus sancta instituit seruitute, ipse Pontifex sacris obtulit & consecrauit altaribus: & ideò mihi clarum, colendum, mirabile Cornelij nomen. Pet. Chry. sol. serm. 165.

ILLVD etiam eiusdem, interpretantis parabolam duorum filiorum: Hic est vitulus, qui in epulum nostrum quotidiè ac iugiter immolatur. Idem serm. 5.

D. FVLGENTII RVSPENSIS BYZACENAE PROVINCIAE EPISCOPI DIVINA SOLENNIA.

Diuina ſacramenta ſolenniter celebrata in eius ordinatione.

Auth. vitę D. Fulgētij. CELEBRATA ſunt eodem (inquit Author Vitæ ipſius) die diuina ſolenniter ſacramenta, & de manibus B. Fulgētij cōmunicans omnis populus, lętus abſceſsit.

Toti Trinitati offertur ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti.

Fulgent. l. 2. qu. 1. ad Monimū. AD quæſtionem Monimi de ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti, quod pleriq; ſoli Patri exiſtimant immolari, reſpōdens D. Fulgentius, poſtquàm deduxit ex veteri teſtamento, Altaria non ad aliud cōſtituta fuiſſe, niſì ad offerendum ſacrificiū Deo, & ſacrificia Abrahæ, Iſaac, & Iacob, etiam filio fuiſſe oblata, ſic tandèm concludit: Eccè amicorum Dei ſacrificio, prorsùs Eccleſiæ catholicę cōcordat oblatio. Quæ ſic ſacrificat patri, vt ſimul omni ſacrificet Trinitati. Quoniam & ſancti patriarchę, ſacrificiū quod filio iubebantur offerre, ſciebant ſe patri ſimul & filio, placitis obſequijs exhibere. Idcircò autem eis diuinitùs iubebatur, vt filio altare conſtruerent, non quia ſacrificandum non eſſet patri, ſed vt quod immolabatur à ſanctis, ſimul filio immolaretur & patri. Neque vt pręponendus eſſet patri filius, ſed nè putaretur genitori genitus in aliquo poſtponendus.

Ibid. ET paulopòſt, poſt allatum teſtimonium Prophetiæ Sophonię de ſacrificio, (vtì loquitur) quod nunc in Eccleſia geritur, nempe illud, Qui diſperſi ſunt, offerent mihi hoſtias in illa die, ſic infert: Eccè ille qui ſe expectandum in die reſurrectionis ſuę præcipit, ipſe ſibi hoſtias ab omnibus gētibus offerendas oſtendit, vt agnoſceretur ſacrificium illud eſſe acceptabile Deo, quod communiter patri & filio ſupplex offert fidelium puraque deuotio.

Idē ſerm. de Epiph. EODEM pertinet illud eiuſdem de oblatione Magorū: In oblatione thuris confunditur Arrianus, qui ſoli patri ſacrificium deberi contendit.

Ora-

Oratio quidem ad patrem dirigitur, sed Consummatio filij & spiritussancti nomen complectitur.

SI qui verò (inquit) Catholici fideles, huius sacramenti nunc vsq; videbantur ignari, deincèps scire debẽt, omne cuiuslibet honorificentiæ & sacrificij salutaris obsequium, & patri, & filio, & spiritui sancto, hoc est, sanctæ Trinitati, ab Ecclesia catholica pariter exhiberi, in cuius vtiquè vno nomine manifestũ est, sanctũ quoq; baptisma celebrari. Neque enim præiudicium filio vel sancto spiritui comparatur, dum ad patris personam precatio ab offerẽte dirigitur, cuius consummatio, dum filij & spiritussancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen. Quia dum ad solius patris personam honoris sermo dirigitur, benè credentis fide tota Trinitas honoratur. Et cùm ad patrem litantis destinatur intentio, sacrificij munus omni Trinitati vno eodemque offertur litantis officio. Nos itaq; dum Trinitati, quæ vnus & verus est Deus, vnum sacrificium offerimus, vanis hæreticorum non moueamur obiectis. Idem loc. cit. ad Monimum.

Verba illa Canonis Græcorum, & quantùm appáret, tum etiam Afrorum, Mittas spiritum tuum sanctum super nos &c. quomodò intelligenda.

IAM nunc (inquit post hęc) etiam illa nobis est de spiritussancti missione quæstio reuoluenda, Cur scilicet, si omni Trinitati sacrificium offertur, ad sacrificandum oblationis nostrę munus, sancti spiritûs tamen missio postuletur. Quasi verò (vt ità dicam) ipse pater Deus, à quo spiritussanctus procedit, sacrificium sibi oblatum sanctificare non posit, aut ipse filius sanctificare nequeat sacrificiũ corporis sui, quod offerimus nos, cùm corpus suum ipse sanctificauerit, quod obtulit, vt redimeret nos. Aut ità spiritussanctus ad consecrandum Ecclesiæ sacrificium mittendus sit, tanquàm pater aut filius sacrificantibus desit. Ibid. qu. 2.

ET post multa, primam ponit hanc propositionẽ. Quum ergò, Ibid.

ſicut diximus, tota Trinitas vnitate deitatis ſuæ naturaliter immẽſa infinitaque permaneat, & ſic localiter nuſquàm ſit, vt tamen nuſquàm deſit, atque itâ ſit vbique tota, vt nec per partes creaturæ totius particulariter diuidi, nec vniuerſitate totius poßit creaturæ concludi, quotiès ſpiritus ſanctus ad conſecrandum ſacrificium à patre poſcitur. Prima eſt fidei ratio, primaque cunctis Chriſtianis ſalubriter retentanda cautela, vt ſancti ſpiritûs nullatenùs localis cogitetur aut exiſtimetur aduentus.

Ibid. DEINDE & alteram hanc: Quocircà, ſicut dicit Apoſtolus, ſpiritalibus ſpiritalia comparantes, vt in ſpiritu, qui vtiquè naturaliter Deus eſt, nihil corporale, nihil locale, nihil temporale, nihil mutabile cogitantes, conſiderare debemus, nomine ſpirituſſancti nonnunquàm dona ſpiritalis gratiæ nuncupari.

Ibid. POSTEA itâ concludit: Quum ergò ſancti ſpiritûs ad ſacrificandum, totius Eccleſiæ ſacrificiũ poſtulatur aduentus, nihil aliud poſtulari mihi videtur, niſi vt per gratiam ſpiritalem, in corpore Chriſti (quod eſt Eccleſia) charitatis vnitas iugiter indiſrupta ſeruetur.

Ibid. AC paulopòſt idem repetens: Dum itaque (inquit) Eccleſia Spiritum ſanctum ſibi cælitùs poſtulat mitti, donum ſibi charitatis & vnanimitatis poſtulat à Deo conferri. Quandò autem congruentiùs, quàm ad conſecrandum ſacrificium corporis Chriſti, ſancta Eccleſia (quæ corpus eſt Chriſti) ſpirituſſancti depoſcat aduentum, quæ ipſum caput ſuum, ſecundùm carnem de ſpiritu ſancto nouerit natum?

Ibid. ET iterùm latiùs: Hæc itaque ſpiritalis ædificatio corporis
1. Petr. 2. Chriſti, quæ fit in charitate, cùm ſcilicet ſecundùm B. Petri ſermonem, lapides viui ædificantur in domum ſpiritalem, & ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtũ. Hæc, inquam, ædificatio ſpiritalis, nunquàm opportuniùs petit, quàm cùm ab ipſo Chriſti corpore (quod eſt Eccle-

sia) In sacramēto panis & calicis ipsum Christi corp⁹ & sanguis offertur. Calix enim quem bibimus, communicatio sanguinis Christi est: & panis quem frangimus, participatio corporis Domini est. Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnesq; de vno pane participamur. Et propterea petimus, vt scilicet ea gratia, qua factum est, vt Ecclesia Christi corpus fieret: eadem gratia fiat, vt omnia membra, charitatis manente compage, in vnitate corporis perseuerent.

In isto sacrificio, gratiarum actio est, pro carne & sanguine, à Christo oblato.

FIRMISSIMÈ tene, (inquit idem lib. de fide ad Petrum diaconum, qui D. Augustino perperàm adscribitur, quum titulo Fulgentij citet à Bertramo hęretico) & nullatenùs dubites, ipsum vnigenitum Deum, verbum carnem factum, se ꝓ nobis obtulisse sacrificium, & hostiam Deo in odorem suauitatis: cui cum patre & spiritu sancto à Patriarchis, Prophetis, & sacerdotibus tempore veteris testamēti animalia sacrificabant: & cui nūc, id est, tempore noui testamenti, cum patre & spiritu sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificium panis & vini, in fide & charitate, sancta Ecclesia catholica per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalib⁹ victimis figuratio fuit carnis Christi, quam ꝓ peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus: & sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto aūt sacrificio, gratiarum actio atq; commemoratio est carnis Christi, quam ꝓ nobis obtulit, & sanguinis quem ꝓ nobis idem Deus effudit. De quo B. Paulus dicit in Actibus Apostolorum: Attēdite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritussanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. In illis ergò sacrificijs quid nobis esset donandum, figuratè significabatur. In hoc autem sacrificio, quid nobis iam donatum sit, euidenter ostenditur. In illis sacrificijs prænunciabatur filius Dei pro impijs occi-

Idem lib. de fide ad Petrum Diacon. cap. 19.

Acto. 20.

dendus: in hoc autem pro impijs annunciatur occisus, testante
Rom. 5. Apostolo: quia Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secūdùm tē-
pus, pro impijs mortuus est: & quia cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.

CONCILII AGATHENSIS CIRCA MISSARVM CELEBRATIONEM CANONES.

Digamis presbyteris, consecrandi: diaconis, ministrandi officium adimatur.

Concil. Agath. cap. 1. PLACVIT (inquiunt D. Cæsarius Arelatēsis, alijq; eius synodi Patres) de digamis aut internuptarum maritis, quanquàm aliud patrum statuta decreuerunt: vt qui hucusq; ordinati sunt, habita miseratione, presbyteri vel diaconi nomen tantùm obtineāt: officium verò consecrandi, presbyteri: & ministrandi, diacones non præsumant.

Altaria vnctione & sacerdotali benedictione sacranda.

Eiusd. cap. 14. ALTARIA (inquiunt) placuit, nō solùm vnctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

Præter præcipuas festiuitates, in Oratorijs Missas celebrare liceat.

Ibid. c. 21. SI quis etiam (inquiūt) extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusq; conuentus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festiuitatibus, vt ibi Missas teneat propter fatigationem familiæ, iusta ordinatione permittimus: Pascha verò, Natali Domini, Epiphania Dñi, Ascensione Dñi, Pentecoste, & Natali S. Ioannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festiuitatibus habētur, nō nisi in ciuitatibus, aut in parochijs teneāt. Clerici verò, si qui in festiuitatibus, quas suprà diximus, in oratorijs (nisi iubente aut permittēte Episcopo) Missas facere aut tenere voluērint, à communione pellantur.

Post Antiphonas Collectæ in Missis recitentur.

ET quia conuenit(inquiunt)ordinẽ Ecclesię ab om̃ibus æqualiter custodiri, studendum est,sicut vbiq; fit, vt post Antiphonas collectiones per ordinem ab Episcopis vel presbyteris dicantur, & hymni matutini vel vespertini decantentur diebus omnibus:& in cõclusione matutinarum,vel vespertinarum & Missarum,post hymnos,capitella de psalmis dicãtur, & plebs collecta oratiõe ad vesperam, ab Episcopo cum benedictione mittatur. Ibid.c.30.

Missas die Dominico ante benedictionem sacerdotis, nemo egredi præsumat.

MISSAS (inquiunt) die Dominico secularibus totas audire: Ibi. c. 47. speciali ordine præcipimus, ità vt ante benedictionem sacerdotis, egredi populus nõ ꝓsumat. Quod si fecerint,ab Episcopo publice confundantur.

Si qui laicorum, Solennitatibus Paschæ, Natalis Domini,aut Pentecostes nõ interfuerint,triennio excõmunicẽtur.

VT ciues(inquiũt)qui superiorum solẽnitatum,id est,Paschę ac Ibid.c.63. natalis Dñi,vel Pentecostes festiuitatibus, cum Episcopis interesse neglexerint,(quum in ciuitatibus,communionis vel benedictionis accipiendę causa positos se nôsse debeãt) triennio à communione priuentur Ecclesiæ.

Eadem plectantur pœna negligẽtes clerici, ac presbyteri & diaconi,si per tres hebdomadas abfuerint.

SI qs(inquiũt)in clero cõstitutus,ab Ecclesia sua diebus solẽnibus defuerit,id est,Natiuitate Dñi,Epiphania,Pascha,vel Pẽtecoste,dum potiùs*singulari lucro*studeat,q̃ seruitio Dei parẽre:cõuenit,vt triẽnio à cõmunione suspendatur. Similiter diaconus,vel presbyter,si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit,huic damnationi succumbat. Ibi. c.64. *secularibus lucris studet,

Vasa Dñica contingere ministris insacratis nõ liceat.

QVONIAM(inquiunt)nõ oportet insacratos ministros licẽtiam habere,in secretariũ(quod Gręci Diaconion appellãt)ingredi, & cõtingere vasa Dñica, Ibi.c. 66.

D. CAE-

DIVI CAESARII ARELATENSIS EPISCOPI, DE DIVINIS MYSTERIIS MISSARVM ADMONITIO.

Donèc compleantur diuina myſteria, nemo egrediatur, nisì neceſsitas aut infirmitas vrgeat.

Cæſar. Arel. hō. 5. de Diuin. myſt. ROGO vos (inquit D. Cęſarius Arelatēſis homilia, quam huius argumenti integram conſcripſit, perperàm adſcriptam D. Auguſtino in eius Milleloquio) fratres chariſsimi, & paterna pietate commoneo, vt quotiès aut in die Dominico, aut alijs maioribus feſtiuitatibus Miſſæ fiunt, nullus de Eccleſia diſcedat, donèc diuina myſteria compleantur.

ET poſt aliquot paginas: Vndè iterùm atq; iterùm rogo, pariter & cōteſtor, vt omni die Dominico, & pręcipuè in maiorib⁹ feſtiuitatibus, donèc diuina myſteria compleātur, nullus de Eccleſia abſcedat: nisì fortè, (de quib⁹ ſuprà diximus) quos aut grauis infirmitas, aut publica neceſsitas ſtare diutiùs non permittit.

Sacras itaque lectiones audiſſe non ſufficiat.

Ibidèm. ET quanuìs (inquit) multi ſint, de quorum fide & deuotione gaudeamus: ſunt tamen plures minùs de ſalute ſuæ animæ cogitantes, qui lectis diuinis lectionibus, ſtatìm de Eccleſia foràs exeunt: cùm tamen etiam dum ipſæ lectiones leguntur, aliqui ex illis ità ocioſis & ſecularibus fabulis occupentur, vt eas nec ipſi audiant, nec alios audire permittant. Iſti tales minùs à nobis culparentur, ſi ad Eccleſiam non venirent: quia ibì probantur ampliùs Dominum lædere, vbì peccatorum potuerant indulgentiam promereri. Vndè rogo vos fratres, vt humilitatis noſtræ ſuggeſtionem non ſolùm patienter, ſed etiam libenter accipiatis.

Miſſæ fiunt conſecratione corporis & ſanguinis Domini, & non alibì quàm in domo Dei.

Si enim (inquit) diligenter attēditis, cognoscetis, quia tunc non fiunt Missę, quando diuinę lectiones in Ecclesia recitantur, sed quandò munera offeruntur, & corpus vel sanguis Domini consecratur. Nam lectiones siue propheticas, siue Apostolicas, siue Euangelicas, etiam in domibus vestris vel ipsi legere, aut alios legentes audire potestis. Consecrationem verò corporis & sanguinis Christi, non alibì nisì in domo dei audire vel videre poteritis. Ibidem.

Quarè, non nisi post orationem dominicam & sacerdotis benedictionem egredi liceat.

Ideò qui vult (inquit) Missas ad integrum cum lucro suę animæ celebrare, vsquequò oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde se debet in Ecclesia continere. Ibidem.

Frustrà alioquì dicitur: Sursum corda, si nemo est qui respondeat.

Quum enim (inquit) maxima pars populi, immò quod peius est, penè omnes recitatis lectionibus exeunt de Ecclesia, cui dicturus sacerdos, Sursum corda? Nunquìd respondere possunt: quando deorsùm in plateis & corpore simul & corde discedunt? Ibidem.

Neque simul concini poterit: Sanctus, sanctus, sanctus, aut oratio dominica. Ibidem.

Vel qualiter (inquit) cum tremore simul & gaudio clamabunt: Sanctus, sanctus, sanctus, benedictus qui venit in nomine Domini? Aut quandò oratio Dominica dicitur, quis est qui humiliter vel veraciter clamet, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?

Sacerdote orante, aut Diacone clamante, flectamus genua, procumbant omnes. Idem hom. 30 de geni. flecti.

Rogo vos & admoneo (inquit, latè hoc argumētum tractās) fratres charissimi, vt quociescunq; iuxta altarium à clericis oratur, aut oratio diacono clamante indicitur, non solùm corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter sic-

ut oportet, & diligenter attendo diacono clamante, flectamus genua, maximam partem populi, velut columnas, * erectos stare conspicio: quod Christianis, dum in Ecclesia oratur, omninò nec licet, nec expedit. Non enim propter nos, sed propter vos, diaconus clamat.

Fiat idipsum, clamante diacono. Humiliate vos * ad benedictionem.

* ad Dei

Ibidem.

Et illud similiter (inquit) admoneo, fratres charissimi, quotiès diaconus clamauerit, vt vos ad * benedictionem inclinare debeatis, & corpora & capita fideliter inclinetis: quia benedictio nobis, licèt per hominem, non tamen ab homine datur: nec attendatis si fortè negligens est, qui exhibet. Sed Dominum respicite qui transmittit. Benedictio enim quæ vobis datur, ros & pluuia cælestis esse cognoscitur.

D. REMIGII RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI SACRIFICIA.

Hincmarus initio vitæ S. Remigij.

Pertinet huc inter alia, quod de vase sacrato, versibus ab illo inscripto, scribit in vita eius Hincmarus Rhemensis Episcopus: Sed & in versibus metricis ab ipso compositis, & iussione illius à quodam vase ab eo consecrato sculptis, ità legimus.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Iniecto, æternus quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Forsan legendum: Remedius, constat ex præcedentib. verbis Hincmari.

Quod vas vsque ad nostra tempora perdurauit, donec fusum in redemptionem datum est Christianorum, vt à ministris diaboli Nortmannis redimeret precium argentei calicis, quos de potestate tenebrarū redemerat effusus sanguis calicis, Christi videlicet passionis.

CONCILII ILERDENSIS IN HISPANIA DE MINISTRIS ALTARIS DECRETVM.

Cōcil. Iler. c. 1.

De his clericis (inquiunt Patres) qui in obsessionis necessitate positi fuerint, id statutum est, vt qui altario ministrant, & Christi

Christi corpus & sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, ab omni humano sanguine, etiam hostili, se abstineant. Quòd si in hoc inciderint, duobus annis tam officio, quàm communione corporis domini priuentur.

CONCILII VALENTINI HISPANIAE CANONES CIRCA MISSAE SACRIFICIVM.

In Missa post Apostolum, ante munerum illationem legatur Euangelium.

Inter (cætera inquiunt Patres) hoc esse censuimus obseruandum, vt sacrosancta Euangelia ante munerum illationē in Missa catechumenorum, in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenùs salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermones sacerdotis, non solum fideles, sed etiam catechumeni ac pœnitentes, & omnes, qui è diuerso sunt, audire licitū habeant. Sic enim pontificum prædicatione audita, nonnullos attractos ad fidem euidenter scimus. Concil. Valent. c. 1.

Post oblatum in commendatione eius sacrificium, statim Episcopus sepeliatur.

Episcopus (inquiunt) qui post mortem fratris ad sepeliendū eum solet inuitatus occurrere, infirmum magìs, & adhuc in corpore positum, admonitus visitare non differat, vt aut de releuatione consacerdotis ampliùs gaudeat, aut certe de ordinatione domûs suæ fratrem admoneat, eiusq; probabilem voluntatem in effectum transmittat, ac recedentem à seculo, post oblatum in eius commendatione sacrificium Deo, mox sepulturæ tradat diligentissimè, & superiùs constituta canonicè non differat adimplere. Ibidē. c. 4.

D. HORMISDAE PAPAE ROMANI LIII. DECRETA CIRCA ALTARIS MINISTERIVM.

In Ecclesia etiam consecrata absque Episcopi permissu altare non erigatur.

ſanctificatum vel permiſſum, vt ſit diſcretio inter ſacrum & non ſacrum. nec dedicationem fingat, niſi ſit*. Quod ſi fecerit, degradetur, ſi clericus eſt: ſi verò laicus, anatemathizetur.

Deponatur qui non ordinatus, ſacrum miniſterium vſurpa-uerit.

Microl. de eccl. obſer. c. 8. Beatus Hormiſda (inquit Micrologus) à ſancto Petro quinquageſimus tertius, capitulo tertio, illum deponit, quicunque non ordinatus, officium ordinati vſurpauerit, quod vtique non ex conſecratione, nec ex Eccleſiaſtica conſuetudine vſquam promeruit.

CONCILII EPAVNENSIS SVB SIGISMVNDO BVRGVNDIONVM REGE, CIRCA DIVINI OFFICII CELEBRATIONEM CANONES.

Ordinem Metropolitani, in diuinis officijs ſequantur cæteri.

Epaun. Cō cil. c. 27. Ad celebrandū (inquiunt DD. Auitus Viennēſis, ac Gregorius Lingonenſis cæteriq; eius ſynodi Patres) diuina officia, ordinem, quem metropolitani tenent, prouinciales obſeruare debebunt.

Ibidē. c. 26 Altaria niſi lapidea non conſecrentur.

Altaria (inquiunt) niſi lapidea infuſione Chriſmatis non ſacrentur.

Ibidē. c. 25. Sanctorum reliquiæ in oratorijs villaribus non ponantur.

Sanctorum (inquiunt) reliquiæ in oratorijs villaribus non ponantur, niſi forſan clericos cuiuſcūq; parochiæ vicinos eſſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur.

D. ALCIMI AVITI VIEN. EPISC. HOSTIAE CHRISTI CORPORIS OBLATIO.

Alcim. Auit. Car. ſacror. l. 5. de tranſ. maris rubri.

Ergo (inquit) agnoſce tuum in nobis rex Chriſte cruorem,
Atq; tuos educ AEgypti carcere ſeruas,
Et quocunq; loco ſanctus mactaberis agnus,
Inq; cibos ſanctum porrexerit hoſtia corpus
Chriſte tuum, non attingat tua dextera vindex.

Preter-

Præterea veterem exutos formamq́; virumq́;,
In vitæ nouitate tuum fac ſumere corpus,
Et ſacrum æterni calicis potare cruorem.

Eodem pertinet illud eiuſdem:

Dum ſacrum populo victum, candentia manna
Ferrent, & cæli frugem terrena viderent,
Myſtica quæ longè prædiceret ante figura,
Virgineo ex vtero, purum ſine ſemine, Chriſti
Edendum, nobiſq́; aliquando corpus edendum:
Quas caperet, paſcendus homo, de ſede ſuperna
Illabente Deo, ſanctis altaribus eſcas.

Ibidē non multopoſt.

CONCILII TARRACONENSIS CANONES DE DIEI DOMINICI SOLENNIBVS.

Nullus (inquiunt Patres) Epiſcoporum aut presbiterorum, vel clericorum, die dominico propoſitum cuiuſcunque cauſæ negocium audeat iudicare, niſi hoc tantum, vt Deo ſtatuta ſolennia peragant.

Tarracon. Con. c. 4.

Et iterum: Ea ſcilicet conditione ſeruata, vt omnis clerus die ſabbati ad veſperam ſit paratus, quô faciliùs die dominico ſolēnitas cum omnium præſentia celebretur: ità tamen, vt omnibus diebus veſperas & matutinas celebrent, quia deſiſtente clero, quod eſt peſsimum, comperimus in Baſilicis nec luminaria miniſtrari.

Eiuſd. c. 7.

AVRELIANENSIS CONCILII.II. DE MISSARVM CELEBRATIONE CANONES.

Solennia Paſcæ, Natalis Domini, vel quadrageſimæ, nemo in villa celebret.

Vt nulli (inquiunt eius Synodi Patres, inter quos D. Gildardus Rotomagenſis Epiſcopus) ciuium, Paſchæ, Natalis Domini, vel quadrageſimæ ſolēnia in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.

Aureli. Cōcil. c. 27.

Ante completam missam & benedictionem sacerdotis, nemo egrediatur.

Eius.c. 28. Quum ad celebrandas (inquiunt) Missas in Dei nomine conuenitur, populus non antè discedat, quàm Missę solennitas compleatur: & vbì Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.

Die Dominico, nisi infirmus, Ecclesiæ non desit Episcopus.

Eius.c. 33. Episcopus (inquiunt) si infirmitate non fuerit impeditus, Ecclesiæ cui proximus fuerit, die Dominico deesse non debet.

CONCILII GERVNDENSIS, DE MISSAE ORDINE CANONES.

Vnum ordinem missæ omnis Tarraconensis prouincia obseruet.

Gerund. Côcil. c. 1. Vt institutio Missarum, (inquit Ioannes Tarraconensis alijque eius concilij Patres) sicut in Metropolitana Ecclesia agitur, ità in dei nomine in omni Tarraconensi prouincia tam ipsius Missæ ordo, quàm psallendo vel ministrando, consuetudo seruetur.

Secunda litanea, à Cal. Nouemb. in Sabbati vespere Missa facta finiatur.

Eiusd. c. 2. Item secunda Litanea (inquiunt) facienda est Kalend. Nouemb. ea tamen conditione seruata, vt si ijsdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada, secundum prioris abstinentiæ obseruantiam, à quinta feria incipiatur, & in sabbati vespere Missa facta finiatur, quibus tamen diebus à carnibus & vino decreuimus abstinendum.

CONCILII CAESARAVGVSTANI DE CONVENTIBVS ECCLESIAE ET EVCHARISTIA CANONES.

Quadragesimæ tempore Ecclesijs suis intersint fideles, neq; in villis conuentus agant.

Côcil. Cæsaraugust. cau. 2. Nec Quadragesimæ (inquiunt Patres) diebus ab Ecclesijs fideles desint. Et ad alienas villas agendorum conuentuum causa non conueniant.

Eucha-

Eucharistia accepta, consumatur in Ecclesia.

Eucharistiæ (inquiunt) gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. Ab vniuersis Episcopis dictum est: Placet. Eiuf. c. 3.

D. IOANNIS PAPAE LIIII. ROMANI SACRIFICIA.

Ideoque (inquit Epistola ad Zachariam archiepiscopum) tanta vrgente necessitate, summopore vestra Apostolicaq; authoritate, & reliquos Episcopos oportet reprimere infestos, releuare oppressos, vtabsq; graui (Domino auxiliâte) difficultate, ipsi gratanter omni tempore sacrificare mereamur illæsi. Ioan papa 1. epist. 1.

IN ECCLESIA D. BENEDICTI, MISSARVM SOLENNIA PRO DNFVNCTO.

Quumq; (inquit D. Gregorius papa vitam D. Benedicti describens) in eadem Ecclesia Missarum solennia celebrarentur, atq; ex more Diaconus clamaret, Si quis non communicat, det locum: nutrix earum, quæ pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, eas de sepulchris suis progredi & exire videbat. Quod dum sæpiùs cerneret, quia ad vocem diaconi clamantis exibant forás, atq; intra Ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis adhuc viuentibus mandauit. Eas quippe se cõmunione priuare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatum est: qui manu sua protinus oblationẽ dedit, dicens: Ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vlteriùs excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata, & à diacono iuxta morem clamatum est, vt non communicantes, ab Ecclesia exirent, illæ exire ab Ecclesia vlterius visæ non sunt, Qua ex re indubitâter patuit, quia dum inter eos, qui communione priuati sunt, minimè recederent, communionẽ à Domino per seruum Domini recepissent. Gregor. papa 1 epist. 1. l. 2. Dial. c. 23.

FELICIS III, VVLGO IIII. ROMANI PAPAE LV. DE MISSARVM CELEBRATIONE DECRETA.

Missarum celebratio, nisi in locis Domino sacratis absq; necessitate non fiat.

Felix papa 3. epist. 1.

De Ecclesiarum (inquit Felix papa 3. ad vniuersos Episcopos scribẽs) consecratione, & de Missarũ celebrationibus, nõ alicubì quã in sacratis Domino locis, absq; magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus sunt nota noui ac veteris testamenti præcepta. Tabernaculũ verò Mosen Domino præcipiẽte fecisse, & sacrâsse cũ mensa & altari eius, & cæteris vasis vtensilibus ad diuinum cultum explendũ legimus, & nõ solum diuinis præceptis ac precibus, ea sacrâsse, sed etiam sancti olei vnctione, Domino iubente, perlinisse nouimus.

Non nisi etiam in altaribus, cum vestibus ac vasis sacratis.

Ibidẽ paulo post.

Qualiter autem (inquit) hæc facta sint, & quomodò ipsa sacra non alij, quàm sacerdotes sacra vnctione delibuti, Duoque cum vestibus sanctis sacrati, & leuitæ tractabant ferebant, erigebant, & deponebant, in ipsis institutionibus, quæ (Domino iubente) per Mosen conscriptæ sunt, in lege Domini reperitur.

Ibidẽ post multa.

Et latiùs: Iudæi ergò loca, in quibus Domino sacrificabant, diuinis supplicationibus consecrabant, nec habebant supplicationibus consecrata, nec in alijs quam in Deo dicatis locis munera Domino offerebant. Si enim Iudæi, qui vmbræ legis deseruiebant, hæc faciebant: multò magìs, quibus veritas patefacta est, & gratia & veritas per Iesum Christum data est, templa Domino ædificare, & (prout meliùs possumus) ornare, eaque diuinis precibus, & sanctis vnctionibus suis cum altaribus & vasis, vestibus quoque & reliquis ad diuinum cultum explendum vtensilibus, deuotè & solenniter sacrare, & non in alijs locis, quàm in Domino sacratis ab Episcopis, & non à chorepiscopis, qui sępè prohibiti sunt, nisi (vt prędictum est) summa exigente necessitate, Missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus.

In

In summa verò necessitate, non in domibus, sed in tabernaculis & altaribus, ab Episcopis sacratis, sacrificia offerantur. Ibid. consequenter.

Et hoc si summa (inquit) necessitas agere compulerit, non in domibus, quia in sacris canonibus sacrificia in domibus offerri prohibita sunt: sed in tabernaculis, diuinis precibus à pontificibus dicatis, & in mẽsis Domino sacratis, & sacra vnctione à pontificibus delibutis, pro summa (vt præfixum est) necessitate, & non pro libito cuiusquam & pigritia agatur.

Alioquin satius, Missam non cantari aut audiri, quàm in alijs locis. Ibid.

Satius ergò est (inquit) Missam, non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, vbi fieri non oportet: nisi (vt sæpè dictum est) pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas non habet legem. Vndè scriptum est: Vide nè offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus. Deut. 12.

Sic enim id non licet, sicut nec sacerdotibus non licet offerre. Ibid. deinceps.

Et sicut (inquit) non alij, quàm sacrati Domino sacerdotes, debent Missas cantare, nec sacrificia super altare offerre: sic nec in alijs, quàm in præfatis Domino sacratis locis, Missas cantare, aut sacrificia offerre licebit.

D. MEDARDI * SVESSONIENSIS EPIS. POST MORTEM MIRACVLVM, HOC TEMPORE, INTER MISSARVM SOLENNIA.

* Suessionensis

Factum est autem (inquit Gregorius. Turonensis) dum Missæ celebrarentur, vt resolutis neruorum arentibus ligaturis, gratias confessori referens, & ad sanctum altare accedens, gratiam benedictionis acceperit incolumis. Greg. Turon. de glor. confess. c. 95.

BONIFACII II. PAPAE ROMANI LVI. CIRCA MISSAM DECRETVM.

Mart. Polon. ad an. 531.

Hic (inquit Martinus Polonus) constituit (seu potius constitutum innouauit) vt clerici sint à laicis separati in celebratione Missarum.

EVLALII CARTHAGINENSIS EPIS. DE NOMINIBVS EXCOMMVNICATORVM AD ALTARIA NON RECITANDIS CONSENSVS.

Eulal. Carth. episcop. in exemplari precum.

Promittens (inquit) Epistola ad Bonifacium II. Papam) sequestratos à communione Ecclesiæ catholicæ, non consentientes sedi Apostolicæ, & eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.

CONCILII TOLETANI II. CANON DE CLERICIS EXTRANEARVM CONSORTIO FRVENTIBVS.

Concil. Tolet. 2. c. 3.

Sanè deinceps (inquit Iustus Vrgellitanus, alijque eius concilij patres) post datam hanc admonitionem, quisquis earum consortio frui voluerit, nouerit se non solum à clericatus officio retrahi vel Ecclesiæ foribus expelli, sed etiam omnium catholicorum, clericorum vel laicorum communione priuari, nulla prorsus vel colloquij consolatione relicta, quatenus male consuetudinis abrasa rubigo, in posteris radicis suæ veneno serpere non possit.

Anathema post mortem non aliud esse, quàm erasionem è sacris Dyptichis, in quibus nomina catholicorum defunctorum, continebantur, tractauimus Adnot nostris in D. Cyprianum epist. 66 ad finoritanos.

SYNODI ROMANAE, IN DIOSCORVM SCHISMATICVM ANATHEMA POST MORTEM.

Iustin. Imperat. sub finem fid. ad Ioan. pap.

Super hæc omnia (inquit Iustinianus Imperator) quis ignorat ea, quæ nostris temporibus in Ecclesia antiquioris Romæ contra Dioscorum acta sunt? Qui quum nihil in fidem peccâsset, tamen propter solum ecclesiasticum ordinem, post mortem ab eadem sancta Ecclesia Romana anathematizatus est.

IOAN-

IOANNIS II. ROMANI LVII. PAPAE, SVPPLICATIONES PRO SALVTE REGNANTIVM.

Precor (inquit ad illum ſcribens Magnus Aurelius Caſsiodorus Senator) vt viuaci ùs oretis pro ſalute regnantium. Ac paulo pòſt: Nihil ergò timemus, talibus Patronis Apoſtolis, ſi oratio non deſiſtat Antiſtitis. Et ſub finem Epiſtolæ: Diuinitas ſupplicationibus veſtris tribuat, quibus ſuperna gratia probetur indulta.

Caſsiodorus ſenator variarum lib. 11. epiſt. ad Ioan. pap.

MAGNI AVRELII CASSIODORI SENATORIS POSTEA MONACHI ET ABBATS APVD RAVENNAM VIVARIENSIS SACRAMENTORVM CELEBRATIO.

Cui enim poteſt (inquit Caſsiodorus, tractans illud, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech) veraciter & euidenter aptari, niſi Domino ſaluatori, qui corpus & ſanguinem ſuum in panis ac vini erogatione ſalubriter conſecrauit, ſicut ipſe in Euangelio dicit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam æternam? Sed in iſta carne ac ſanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat: nè ſicut dicit Apoſtolus: Qui enim corpus Domini indignè manducat, iudicium ſibi manducat: ſed viuificatricem ſubſtantiam atque ſalutarem, & ipſius verbi propriam factam, per quam peccatorũ remiſsio, & æternæ vitæ dona præſtantur. Quem ordinem per myſticam ſimilitudinem Melchiſedech iuſtiſsimus rex inſtituit, quandò Domino panis & vini fructus obtulit. Conſtat enim pecudum victimas periſſe, quæ fuerunt ordinis Aaron: & Melchiſedech manere potius inſtitutum, quod toto orbe in ſacramentorum erogatione celebratur.

Caſsiodor. in Pſalm. 109.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

D. AGAPITI PAPAE LVIII. ROMANI CONSTANTINOPOLI MISSARVM SOLENNIA.

Gregorius Dialog.l.1. c.3.

Post nõ multũ verò tẽporis (inquit Gregorius papa 1.) exigẽte causa Gothorum, vir quoq; beatissimus * Agapitus huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifex: cui, Deo dispensante, deseruio, ad Iustinianum principem accessit. Cui adhuc pergenti, quadam die in Græciarum iam partibus curandus oblatus est mutus & claudus, qui neque vlla verba edere, neque ex terra vnquàm surgere valebat. Cumq́ue hunc propinqui illius flentes obtulissent, vir Domini solicitò req̃siuit an curationis illius haberẽt fidem. Cui dum in virtute Dei ex authoritate Petri fixam salutis illius spem habere se dicerent: protinùs venerandus vir orationi incubuit, & Missarum solennia exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis immolauit. Quo peracto, ab altari exiens, claudi manum tenuit, atque assistente & aspiciente populo eum mox à terra in proprijs gressibus erexit. Cumq́ue ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua, soluta est. Mirati omnes, flere præ gaudio cœperunt: eorumq́ue mentes ilicò metus & reuerentia inuasit: cum videlicet cernerent quid * Agapitus facere in virtute Domini ex adiutorio Petri potuisset.

D. SILVERII LIX. PAPAE ROMANI DE COMMVNIONE IN SOLENNITATIBVS DECRETVM.

Iuo Decret part.2.c. 29.

Singulis diebus Dominicis (inquit Decret. suorum c.3. iuxta quod à D. Iuone citatur) in Quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, & præter illos qui in publica pœnitentia sunt, sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt: & in cœna Domini: in vigilia Paschæ, & in die resurrectionis Domini, & in Pentecoste: & in Natali Domini penitùs ab omnibus communicandum est.

VVITEGIS GOTHORVM IN ITALIA REGIS, IN LOCA SACRA GRASSATIO.

Gothi verò duce VVitege, (inquit Paulus diaconus) vrbem obsidentes, vniuersa per circuitum direptionibus & incendijs absumunt, Quoscunque Romanos reperiunt, gladio extinguunt, cuncta loca sacra denudantes, ipsis etiam venerabilium martyrum tumulis manus impias inferunt, continuè vrbem impugnant. Paul. diacon. hist. l. 16.

VIGILII ROMANI PAPAE LX. MISSARVM SOLENNIA.

Non omittenda coniunctio, & in illo: Gloria Patri & filio & spiritui sancto.

Illud autem nouelli (inquit scribens Eutherio siuè Elenthe-rio Episcopo) esse iudicamus erroris, quòd cum in fine Psalmorum ab omnibus catholicis ex more dicatur, Gloria Patri, & filio, & spiritui sancto: aliqui, sicut indicas, subducta vna syllaba coniunctiua, perfectum conantur minuere vocabulum Trinitatis, dicendo: Gloria patri, & filio spiritui sancto. Vigil. papę epist. 1. c. 1.

In nouarum fabricarum erectione celebranda Missarum solennia.

De fabrica verò (inquit) cuiuslibet Ecclesiæ, si diruta fuerit instauranda, & si in eo loco consecrationis solennitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil iudicamus officere, si per eam minimè aqua exorcizata benedicta iactetur: quia consecrationem cuiuslibet Eccl. in qua spiritussancti ara non ponitur, celebritatem tantum scimus esse Missarum. Et ideò si qua sanctorum basilica à fundamentis fuerit innouata, sine aliqua dubitatione, cùm in ea celebrata fuerit Missarum solennitas, totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si verò sanctuaria, quæ habebat, ablata sunt, rursus earum repositione, & Missarum solennitate, reuerentiam sanctificationis accipiet. Ibid. c. 4.

Ordo precum siue Canon, in solennitate Missæ semper idem seruandus.

Ibid. c. 5.

Ordinem quoque precum (inquit) in celebritate Missarũ nullo nos tempore, nulla festiuitate significamus habere * diuisum, sed semper eodem tenore, oblata Deo munera consecrare.

* diuersum.

In festiuitatibus interim Paschæ, Asscensionis, Pentecostes, Epiphaniæ, & sanctorum solennibus, adiectis aliquot capitulis, per cętera ordo consuetus seruetur.

Ibid.

Quotiès vero (inquit) Paschalis, aut Asscensionis Domini, vel Pentecostes & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festiuitas, singula capitula diebus apta coniungimus, quibus commemorationem sanctæ solennitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus: cætera verò ordine consueto prosequimur.

Canonicæ precis ex Apostolica traditione contextus, à Vigilio papa transmissus.

Ibid.

Quapropter & ipsius (inquit) precis textum direximus subtèr adiectum quem (Deo propicio) ex Apostolica traditione suscepimus. Et vt charitas tua cognoscat quibus locis aliqua festiuitatibus apta connectes, paschalis diei preces similiter adiecimus.

PRIMASII VTICENSIS IN APHRICA IVSTINOPOLIM EPISCOPI SACRIFICIA.

Ecclesiæ sacrificia.

Primas. lib. 2. in Apocal. c. 8.

Et accepit (inquit Primasius, explicans illud Apocalypsis, accepit angelus thuribulum, & impleuit illud ex igne anæ, & misit in terram) Dominus corpus, id est, Ecclesiam, & perficiendo patris voluntatem, impleuit illum ex igne anæ, id est, ex potestate soluendi atque ligandi, quæ consistit in sacrificijs & propitiatione Dei. Hinc etiam dicitur: Qui facit angelos suos spiritus,

ritus, & ministros suos ignem ardentem. In his enim accepit Ecclesia omnem potestatem in cælo & in terra: Domini Dei sacrificium perficit, offerente Domino se principaliter.

Eodem pertinet illud, vbi locum Danielis interpretatur: In medio hebdomadis, hostiã dicit sacrificiũque deficere, quod in Ecclesia solenniter immolatur: antichristi scilicet tunc semita præualente. Idẽ in c. 12.

Ad altare mortuorum memoria.

Ibi. in c. 19

Neque enim (inquit) piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc etiam est regnum Christi: Aloquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria, in communicatione corporis Christi.

IVNILII APHRI EPISCOPI, DE SACERDOTVM VESTIBVS, AC CORPORE ET SANGVINE DOMINI TESTIMONIVM.

Typis (inquit) accidunt quædam ante legem, vt Abel à fratre occisus, Christi passionem præfigurabat, & Noë arca Ecclesiam & cætera similia. Quædam vero sub lege: vt ipsius Moysi mors & Iesu gloria. Quædam sub gratia, vt Baptizatorum indumenta, & sacerdotum vestes, & Dominici corporis participatio, & similia alia. Iunil de part diuin. leg l. 2. c. 18.

CONCILII AVRELIANENSIS II. QVOD PERPERAM III. INSCRIBITVR CANONES, DE MISSARVM CELEBRITATE.

Concilium hoc prius contigisse illo quod sequitur, patet tum ex anno consulis Paulini, tum ex Ioanne le Maijes, qui alterum illud sub Honorato, posterius facit isto concilio, cui Albinus Andegauensis interfuit. Item ex quibusdam exemplaribus, qui hic legunt: Anno Vigesimo Childeberti regis.

Missarum celebritas hroa tertia inchoëtur.

Concil. Aurel. 3.c.14. De miſſarum (inquiunt Lupus Lugdunenſis, Albinus Andeganenſis, D. Gregorius Lingonenſis, cæteriq́ue patres) celebritate in præcipuis duntaxàt ſolennitatibus, id obſeruari debebit, vt hora tertia Miſſarum celebratio in Dei nomine inchoëtur, quo facilius intra horas competentes, ipſo officio expedito ſacerdotes poſsint ad veſpertina officia, id eſt, in veſpertino têpore conuenire, quia ſacerdotem veſpertinis officijs ab Eccleſia, talibus præcipuè diebus, nec decet deeſſe, nec conuenit.

A Miſſarum celebritate ceſſet, qui in diœceſi aliena altaria conſecrauerit.

Eiuſd. can. 15. Epiſcopus (inquiunt) in diœceſes alienas, ad alienos clericos ordinandos, vel conſecranda altaria, irruere non debet. Quod ſi fecerit, remotis his, quos ordinauerit, altaris tamen conſecratione manente, tranſgreſſor canonum, anno à Miſſarum celebritate ceſſabit.

Ante Dominicam orationem, & benedictionem Epiſcopi ſi adſit, à Miſsis nemo diſcedat.

Eiuſd. c. 28 De Miſsis (inquiunt) nullus laicorum antè diſcedat, quàm Dominica dicatur oratio. Et ſi Epiſcopus præſens fuerit, eius benedictio expectetur.

Sacrificia nemo cum armis ſpectet.

Ibid. Sacrificia verò (inquiunt) matutina, Miſſarum, ſiue veſpertina, ne quis, cum armis pertinentibus ad bellorum vſum, ſpectet, Quod qui fecerit, in ſacerdotis poteſtate conſiſtat, qualiter eius diſtrictione debeat caſtigari.

CONCILII AVRELIANENSIS III. QVOD PERPERAM II. INSCRIBITVR, CANON; DE OBLATIONIBVS DEFVNCTORVM.

Concil. Aurel. 2.c. 15 Oblationes (inquiunt Honoratus Bituricenſis alijq́ue Patres) defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere cenſemus, ſi tamen non ipſi ſibi mortem probentur proprijs manibus intuliſſe.

ARA-

ARATORIS ROMANI SVBDIACONI, DE DIACONORVM SACRO MINISTERIO TESTIMONIVM.

Iura ministerij (inquit) sacris altaribus apti, Arat. histo. Act. Apo. l. 1.
In septem secuêre viros, quos vndiq; lectos
Leuitas vocitare placet: quam splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, & latices cum sanguine porrigat agni.
Huic numero delatus honor, sublimia secum
Sacramenta gerit, per quæ nunc longiùs ire
Non patitur mensura viæ, nè plura locutus,
Inueniar dixisse minùs. Sit cura ministris,
Officium librare suum, quo laudis amictu
Hunc deceat lucere chorum, quem mysticus ordo
Consecrat in numero, cui dant cælestia formam.

ARVERNENSIS CONCILII CIRCA OFFICIVM SACRI MYSTERII CANONES.

Nè pallis altaris defunctorum, etiam sacerdotum corpora, inuoluantur.

Obseruandum (inquiunt Honoratus Bituricensis, qui suprà & alij aliquot Patres) ne pallis vel ministerijs diuinis, defunctorum corpuscula obuoluantur. Cō. Aruer. l. c.

Item paulò pòst: De opertorio Dominici corporis, seu palla altaris, nunquàm sacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur: quia sacro velamine vsibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.

Neque verò ministeria diuina, ad nuptiarum ornatum præstentur.

Nec ad nuptiarum ornatum ministeria diuina pręstentur, Eiusd. c. 5. nè, dum improborum contactu, pompaque secularis luxuriæ Eiusd. c. 7. polluuntur, ad officium sacri mysterij videantur indigna.

Diuina mysteria in festiuitatibus diuinis in Oratorio non celebrentur.

Si quis (inquiunt) ex presbiteris, aut diaconis, qui neq; in ciuitate, neq; in Parochijs Canonicus esse dinoscitur, sed in villulis habitans, in Oratorio sancto deseruiens, celebret diuina mysteria: festiuitates præcipuas, Domini Natale, Pascha, Pentecosten, & si quæ principales sunt festiuitates reliquæ, nullatenùs alibi, nisi cum Episcopo suo in ciuitate teneat. Quicunq; sunt etiam ciues natu maiores, pari modo in vrbibus ad Pontifices suos in prædictis festiuitatibus veniant. Quòd si qui improba temeritate contempserint, & eisdem festiuitatibus adesse despiciunt, communione pellantur.

Eiusd. c. 14.

SIMPLICII PRESBITERI, IVSSV D. MAVRI ABBATIS, SACRIFICIVM PRO DEFVNCTIS ANDEGAVI CELEBRATVM.

Faust. Monach. in vita D. Mauri.

Manè autem primo (inquit Faustus Monachus in vita D. Mauri) Simplicium presbiterum adsciscens: vt sacrificium nostræ redemptionis pro eadem Deo anima offerret, imperauit.

CHILDEBERTI REGIS, POST HISPANIAS OCCVPATAS, VASORVM SACRORVM DONATIO.

Aimonius de gestis Franc. l. 2.

Sanè in thesauris (inquit Aimonius monachus) quos Childebertus auexit ab Hispanijs, reperta sunt Ecclesiastici vtensilia ministerij, ex vasis quos dicunt fuisse Salomonis, sexaginta preciosissimi calices, quindecim patinæ, viginti capsæ Euangeliorum. Quæ omnia cùm solido fabricata essent auro, gemmisque ornata opere inclusorio, rex tamen, integer, ab eorum cupiditate, (vt erat largissimus) cuncta diuersis præbuit Ecclesijs.

CONCILII AVRELIANENSIS IIII. DE VINI AQVA MIXTI OBLATIONE CANON.

Concil. Aurel. 4. c. 3.

Vt nullus (inquiunt Patres) in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, aqua mixtum offerre præsumat: quia sacrilegium iudicatur, aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis saluator instituit.

PE-

PELAGII I. PAPAE ROMANI. LXI. STATVTVM, DE MEMORIA PONTIFICIS INTER SACRA MYSTERIA.

Vndè conſtat (inquit Albinus Flaccus Alcuinus) ab vniuerſi orbis communione ſeparatos eſſe, Sicut B. Pelagius docet, qui qualibet diſſenſione inter ſacra myſteria Apoſtolici Pontificis memoriam ſecundùm conſuetudinem non frequentant. Albin. de diuin. offi.

CONCILII AVRELIANENSIS V. CANON, DE MISSARVM CELEBRATIONE OB CAVSAM INTERDICTA.

Vt in ciuitate (inquiunt, Sacerdos Lugdunenſis, alijq́ue Patres) vbi Pontifex iure humanę conditionis obierit, nullus Epiſcopus ante ſubſtitutionem deputati per ordinem ſucceſſoris, aut in ciuitate, aut per parochias ordinare clericos, aut altaria audeat conſecrare, vel quicquam de rebus Eccleſiæ præter humanitatem præſumat auferre. Quod ſi quiſquam temerario auſu ſtatuta tranſcenderit, conuentus ab inſtituto Pontifice, verecundiæ ſuæ conſulens, ſine dilatione ablata reſtituat. Si verò ſuæ voluntatis arbitrio, vel quorumcunq; precibus, actus, quamcunq; perſonam promouere, aut contra interdictum nè præſumpſerit, anno integro Miſſas facere non præſumat. Concil. Aurel. 5. c. 8.

TVRONENSIS CONCILII II. SVB IOANNE III. PAPA ROMANO LXII. CELEBRATAE CIRCA MISSAS CANONES.

Corpus Domini in Altari quomodo componendum.

Vt corpus Domini (inquiunt Patres) in Altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur. Turõ. cõc. 2. c. 3.

Vt ad Miſſas ſeparati ſint laici à clericis.

Vt laici (inquiunt) ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrãtur inter clericos tam ad vigilias, quàm ad Miſſas, ſtare penitùs non præſumãt: ſed pars illa, quæ à cancellis versùs altare diuiditur, choris tantùm pſallentiũ, pateat clericorũ. Ad orandũ verò & communicandum laicis & fœminis, ſicut mos eſt, pateant ſancta ſanctorum. Eiuſd. c. 4.

Error eorum non toleretur, qui in festo Cathedræ D. Petri post missas, victimas mortuis offerunt.

Eiusd. c. 23. Sunt etiam (inquiunt) qui in festiuitate Cathedræ Domini Petri & Apostoli, *cibos mortuis offerũt, & post Missas redeuntes ad domos proprias, ad gentilium reuertũtur errores, & post corpus Domini, sacratas dæmoni escas accipiunt. Contestamur illam solicitudinem tam pastores quàm presbyteros gerere, vt quemcunque in hac fatuitate persistere viderint, vel nescio ad quas petras, aut arbores, aut ad fontes designata loca gentilium perpetrare, quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab Ecclesiæ sancta authoritate repellant, nec participare sancto altario permittant, qui gentilium obseruationes custodiunt.

*victimas

CONCILII LVGDVNENSIS. I. CANON, DE LITANIIS NOVI MENSIS.

Cõcil. Lugdu. I. c. 6. Placuit etiam (inquiunt Philippus viennẽsis, D. Nicetius Lugdunensis & cæteri Patres) vniuersis fratribus, vt in prima hebdomada noui mensis, hoc est, ante diem Dominicam, quæ prima in ipso mense illuxerit, litaniæ, sicut ante assCensionem Domini sancti patres fieri decreuerunt, deinceps ab omnibus Ecclesijs seu parochijs celebrentur.

CATONIS PRESBYTERI ARVERNENSIS MISSAE PRO DEFVNCTIS.

Gregorius Turõ. hist. Franc. l. 4. c. 31. Tunc & Cato presbiter (inquit D. Gregor. Turon.) mortuus est. nam cum de hac lue multi fugissent, ille tamen populum sepeliens, & Missas dicens, viritìm, nunquàm ab eo loco discesit.

SVB BENEDICTO PAPA ROMANO LXIII. CONCILII MATISCONENSIS. I. CANONES DE MISSAE SACRIFICIIS.

Missas Archiepiscopus sine pallio non celebret.

Matisconẽsis Concil. c. 6. Archiepiscopus (inquiunt Priscus Lugdunensis & cæteri Patres) sine pallio, Missas dicere non præsumat.

Sacrificia per Aduentum Quadragesimali ordine seruentur.

Vt à feria sancti Martini vsque ad Natalem Domini, secunda quarta & sexta sabbati ieiunetur, & sacrificia Quadragesimali debeant ordine celebrari. Eiusd. c. 9.

GREGORII TVRONENSIS, EPISCOPI MISSARVM SOLENNIA ET EVLOGIAE.

Nobis autem (inquit) Missas celebrantibus, in sanctam Basilicam, aperta reperiens ostia, ingressus est. Post Missas autem petijt, vt ei eulogos dare deberemus. Erat autem tunc nobiscum Ragnemodus Parisaicæ sedis Episcopus, qui sancto Germano successerat. Quod cum refutaremus, ipse clamare cœpit & dicere, quòd non rectè eum à communione sine fratrum conniuentia suspenderemus. Illo autem hæc dicente, cum consensu fratris qui pręsens erat, contestata causa canonica, eulogias à nobis accepit. Gre. Turõ. hist. Franc. l. 5. c. 14.

Eodem pertinet illud eiusdem. Intereà iam medio prandij peracto, iubet rex, vt diaconum nostrum, qui ante diem ad Missas psalmum responsorium dixerat, canere iuberem. Ibidem . l. 8. c. 3.

PELAGII II. PAPAE ROMANI LXIIII. IN SYNODO DECRETVM, DE MISSAE PRAEFATIONIBVS.

Superuenêre (inquit Pelagius papa epist. sua & Synodi, ad Episcopos Germaniæ & Galliæ) literæ vestræ, & vt magnæ essent authoritatis, etiam viuæ voces præcesserunt, rogãtes, vt ordinem Præfationum, quem sancta Romana Ecclesia hactenùs haberet, nostris literis vobis remanderemus. Tunc de vestra voluntate & studio bono, multum gauisi sumus, & sacrum ordinẽ Romanorum, sacraq; constituta nostrorũ antecessorũ solerter relegentes, inuenimus has nouẽ præfationes in sacro Catalogo tantummodò recipiendas, quas longa retrò veritas in Romana Ecclesia hactenùs seruauit: Vnam in albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextã de Apostolis, Pelag. papa 2. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ.

septimam de sancta Trinitate, octauam de cruce, nonam de ieiunio & quadragesima tantummodo dicendā. Has prefationes tenet & custodit sancta Romana Ecclesia. Has tenendas vobis mandamus.

Gratiā. de cōsecr. dist. 1. c. inuenimus. Burch. decret l. 3. c. 69. Sigeb. ad annū Domini 581.

Quod quidem Decretū à Gratiano Gelasio papę adscribitur, & alicubì Pelagio 2. verū D. Burchar. nominatìm huic attribuit. Sigebertus item in hæc verba: Hic decreuit, quotidianā sacramentorum præfationem ad Missas, nouem tantummodò præfationibus secundum antiquum Romanorum ordinem esse cōmutandam, scilicet in Natali Domini, in Apparitione, in Pascha, in Ascensione, in Pentecoste, de sancta Trinitate, de Apostolis, de sancta cruce, de ieiunio Quadragesimali.

CONCILII LVGDVNENSIS II. DE SOLENNITATIBVS ECCLESIAE CANON.

Cōcil. Lugdu. 2. c. 5.

Nullus (inquiūt Priscus Lugdunēsis aliiq; Patres) Episcoporū Natalē Domini aut Pascha alibì, nisi ad Ecclesiā suam præter infirmitatis incursum, aut ordinem regum, celebrare præsumat.

CONCILII VALENTINI GALLIAE II. DECRETVM DE DONIS QVAE AD MINISTERIVM ALTARIVM INSERVNTVR.

Cōcil. Valent. 2. Act.

Synodus sancta (inquiunt Sapandus Arelatensis, Priscus Lugdunensis, aliiq; patres) decreuit, vt si quid Basilicæ S. Marcelli, vel S. Symphoriam, vel quibuscunque locis, vel deseruientibus Deo per quascunq; authoritates aut scripturarum epistolas præfatus dominus rex, vel suprà nuncupata iugalis sua, filiæq; eorū siue in ministerio altariorū, siue in quibuscunq; speciebus, quæ ad diuinum cultum pertinere noscuntur, contulisse vel adhuc conferre voluerint, neq; ab Episcopis locorum, neq; potestas regia quocunq; tēpore successura, de eorum voluntate quicquam minorâre aut auferre præsumat.

CONCILII MATISCONENSIS II. CANONES DE SACRIFICIIS.

Per Octauam Paschatis omnes quotidianis intersint sacrificijs.

Pascha

Paſcha (inquiunt Priſcus Lugdunenſis & alij qui ſuprà.) noſtrum, in quo ſummus ſacerdos & Pontifex, pro noſtris delictis, nullam habens obnoxiationem peccati, immolatus eſt, debemus omnes feſtiuiſsime colere, & ſedulæ obſeruationis ſynceritate in omnibus venerari, vt illis ſanctiſſ. ſex diebus, nullus ſeruile opus audeat facere: ſed omnes ſimul coadunati, hymnis Paſchalibus indulgentes, perſeuerationis noſtræ præſentiam quotidianis ſacrificijs oſtendamus, laudantes creatorem ac regeneratorem noſtrum veſpere & meridie. Cõcil. Matiſcõ. 2. c. 2.

Dominicis diebus omnes panem & vinum ad altare offerant.

Reſidentibus (inquiunt) nobis in ſancto concilio, cognouimus quoſdam Chriſtianos, relicto fratrũ cœtu, à mandato Dei aliquibus locis deuiâſſe, ità vt nullus eorum legitimo obſecundationis, parere velit officio deitatis, dum ſacris altaribus illam admouent hoſtiam: propterea decernimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quàm vini, vt per has immolationes & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel vel cæteris iuſtè offerentibus, promereantur eſſe conſortes. Ibidẽ c. 4.

A ieiunis Miſſæ celebrentur.

Item decernimus, (inquiunt) vt nullus presbiter confertus cibo, aut crapulatus vino, ſacrificia contrectare, aut Miſſas priuatis feſtiſq; diebus concelebrare præſumat. Iniuſtum eſt enim, vt ſpiritali alimento, corporale pręponatur: ſed ſi quis hoc attẽdere curauerit, dignitatẽ amittat honoris. Iam enim de tali cauſa & in Concilijs Aphricanis definitũ eſt. Quam definitionẽ noſtro quoq; dignam duximus ſociare decreto, & ad locum, vt ſacramenta altaris non niſi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo cœna Domini celebratur. Ibidẽ c. 6. for. adlocare.

Reliquiæ ſacramentorum ab innocentibus ieiunis ſumantur.

Quæcunq; reliquiæ ſacrificiorũ poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſederint, quarta vel ſexta feria innocẽtes, ab illo, cuius Ibidem.

intereſt, ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis ieiunio, eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant.

GALLIARVM MISSAE ORDO VETVSTVS.

Gregorius papa I. ad interroga. Auguſt. Angl. epiſ. c. 3.

Cur quum vna ſit fides, (interrogat D. Gregorium papam D. Auguſtinus Anglorum Epiſcopus) ſint Eccleſiarum conſuetudines diuerſæ? & altera conſuetudo Miſſarum in Romana Eccleſia, atq; altera in Galliarum Eccleſijs teneatur?

Reſpondet D. Gregorius: Nouit fraternitas tua, Romanæ Eccleſię conſuetudinem, in qua ſe meminit eruditā. Sed mihi placet, vt ſiue in Romana, ſiue in Gallicana, ſeu in qualibet Eccleſia aliquid inueniſti, quod plùs omnipotenti Deo poſsit placere, ſolicitè eligas & in Anglorum Eccleſia, quæ adhuc ad fidem noua eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſijs colligere potuiſti, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca amanda ſunt. Ex quibuſque ergo Eccleſijs quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige: & hæc quaſi in faſciculum collecta, apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.

Hilduin. abb. pręfat paſsionis D. Diony. Areop.

Eadem de re latiùs in hæc verba Hilduinus Abbas ſancti Dionyſij ad Ludouicum Regem Galliarum: Cui adſtipulare videntur antiquiſsimi, & nimia penè vetuſtate conſumpti, Miſſales libri, continentes Miſſæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei vſu in hac occidentali plaga eſt habitus, vſquequo tenorem quo nunc vtitur, Romanum ſuſceperit. In quibus voluminibus habentur duæ Miſſæ, quæ ſic inter celebrandum ad prouocandum diuinæ miſerationis clementiam, & corda populi ad deuotionis ſtudium excitanda, tormenta martyris ſociorumque eius ſuccinctè commemorant, ſicut & reliquæ Miſſæ ibidem ſcriptæ, aliorum Apoſtolorum vel martyrum, quorum paſsiones habentur notiſsimę decantant. Quarum Miſſarum cantus, ſenſus & verba, adeò paſsionis eorundem, quā vobis miſimus, ſeriei concordare videntur, vt nulli ſit dubium, à teſte illorum martyrij agones eorū deſcri-

Ad Miſſarū Gallicarū præfatio-nes alludit quarū pleraſq; habes infra ſub finē Tom. 2.

descriptos,& ex ipsa eorum veraci hystoria memoriam tormẽtorum suorum in præfatis precibus fuisse mandatam. Videtur porrò in his Missarum obsecrationibus non contemnenda authoritas de memorata pasſione sanctorum, cùm exstent apud nos Epistolæ Innocentij,& post eum Gelasij, nec non & modernius B. Papæ Gregorij, aliorumque Pontificum ad Episcopos Vrbium Galliarum, & Antistitum nostrorum ad ipsos, de more Romano in cunctis Ecclesiasticæ auctoritatis munijs imitando, quibus datur intelligi, ab annis pluribus hunc Missæ tenorem de Gallica consuetudine recesſisse, & hanc pasſionis martyrum istorum memoriam, longè superiori tempore his occidentalibus partibus per supplantationem postulationes inoleuisse: quibus tanto certiùs fidem accommodamus, quanto in tempore vicino post consummationem eorum, easdem fuisse compositas sine dubitatione concredimus. Nec tamen quisquam putabit B. Dionysium eiusque successores ab institutione Apostolica propter huiusmodi Missæ ordinem Gallicis consuetudinibus in primordio traditum discrepâsse, si ei constiterit ipsorum Apostolorum & Apostolicorum virorum, ipsius etiam vrbis Rom. sensûs proprij abundantiam notam esse.

Paucis etiam sic VValafridus Strabus: Et Galliarum Ecclesiæ suis orationibus vtebantur, quæ & adhuc à multis habentur. VValafr. Strab. de reb. Eccl. c.22.

Item D. Gregoriũ & Hilduuinum citans, Berno Augiẽsis. Ad hæc (inquit) potest, quis, dicere, tunc temporis Gallos & Hispanos in Missarum suarum celebritate nondum habuisse vsum sanctæ Rom. Ecclesiæ. Quod & nos non negamus. Testatur hoc Abbas Hilduuinus, vir in diuina lege adprimè eruditus, in ea Epistola, quam ad Ludouicum Imperatorem direxit, pro pasſione sanctorum martyrum Dionysij & sociorum eius. Berno de Missa. c.2.

IN GERMANIIS ITEM VSVS PECVLIARIS.

In nostri quoque (inquit idem de monasterio suo Augiensi loquens, quod est in Germania) monasterij archiuo habetur Ibid.

Miſſalis, longè aliter ordinatus, quàm Rom. Eccleſiæ ſe habeat vſus.

MISSA MOZARABE D. LEANDRO HISPALENSI EPISCOPO PECVLIARITER IN HISPANIIS VSITATA.

Christiani in Hiſpania Arabibus permixti, Mozarabes dicebantur, quaſi mixti Arabibus, & officium diuinum eorum Mozarabe indè appellationem retinuit. Vſitata fuit hæc Miſſa iam olim, & maximè D. leandro Hiſpalenſi, & poſt D. Gregorium partim adhuc D. Iſidoro, Immò hac vſa eſt Hiſpania, vſque ad tempora Alfonſi ſexti, quo tempore authoritate Gregorij papæ Septimi mutata eſt, licèt & Toleti ad huc in ſex parochijs ſeruetur, & in Cathedrali Eccleſia in ſacello fratris Franciſci Ximenez ac Salamanticæ ſtatis etiam diebus in ſacello doct. Talabricenſis, quod eſt in Periſtylo templi ſummi, cuius officij modum & ordinem hîc habes.

Veſtium ſacrarum vſus.

Eiſdem vtebantur veſtibus ſacris, quibus hodiè, & communibus precationibus cum noſtris, quandò ſingulas veſtes induebant.

Exomologeſis & poſt eam oratio.

Pòſt faciunt ad altare exomologeſim, & ad altare capite demiſſo ad hunc modum dicunt: Per gloriam nominis tui Christe fili Dei viui, & per interceſsionẽ virginis Mariæ, B. Iacobi & omnium ſanctorum tuorum auxiliare & miſerere indignis ſeruis tuis, & eſto in medio noſtri Deus noſter, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Reſpondetur, Amen.

Conſentit D. Iſidorus de diuin. offic. l. 2 c. 7. Atqui illud Gloria & honor: vr-

Antiphona cum duobus verſibus, ac Gloria & honor &c.

Mox conuertit ſe ad librum in dextro altaris cornu poſitum ac dicit Antiphonam in modum introitûs cum duobus verſibus,

bus, & Gloria & honor patri & filio & spiritui sancto in secula seculorum Amen. getur Cōc. Tolet. 4. c. 14.

Repetitio partis Antiphonæ.

Sicut etiam in Concilio Toletano quarto, cautum est, vt ad eum modum dicatur, ad quemlibet versum repetunt partem Antiphonæ more Responsoriorum nostrorum, vt vulgato more loquar. Huc pertinet quod habet Isidor. de Respons. c. 8.

Gloria in excelsis.

Gloria in excelsis, dicitur integrè Romano more.

Per omnia secula seculorum. R. Amen.

Sacerdos cantando dicit: Per omnia secula seculorum, neque ante orationem dicitur, oremus, neque in fine, Per Dominum, sed tantum respondetur, Amen. Preces vocat hæc Isidor. c. 9.

Alia sacerdotis conclusio. R. Amen.

Deindè dicit sacerdos: Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus, & viuis & regnas in secula seculorum, Respondetur, Amen.

Salutatio ad populum.

Posteà: Dominus sit semper vobiscum, Respondetur, Et cum spiritu tuo. Consentit Concil. Bracar. 1. Can. 2.

Lectio prophetica.

Lectio Isaiæ prophetæ. Respondetur, Deo gratias, mox legitur prophetia, qua lecta, rursum sacerdos, Dominus sit semper vobiscum, Respondetur, Et cum spiritu tuo.

Tractus.

Indè dicitur Tractus duorum vel trium versuum.

Ad silentium adhortatio.

Quo finito, Sacerdos inquit: Silentium facite. Meminit Isidor. c. 10

Apostolica lectio.

Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli &c. Respond. Deo gratias. Mox canitur siue recitatur Epistola. Vtriusque etiam lectionis c. 10, 1, 1, & 12

Euangelica lectio.

Post quam, libro in alterum altaris cornu translato, continuo dicitur Euangelium, ad hunc modum: Dominus sit semper vobiscum, Resp. & cum spiritu tuo. Gloria tibi Domine.

Post Euangelium responsio.

Finito Euangelio &c. Respond. Amen.

Salutatio ad populum.

Mox ſacerdos, Dominus ſit ſemper vobiſcum, Reſponſ. & cum ſpiritu tuo.

Alleluia cum verſu.

Conſentiunt in hoc concil. Valēt. c. 1. ac Tolet. 4 c. 11. & Iſidor. c. 13.

Poſteà dicitur, Alleluia cum verſu, Sicut nunc ante Euangelium cantatur.

Oblatio hoſtiæ cum Orationibus.

Sacerdos offert hoſtiam cum calice, vtens aliquot orationibus deuotis, quas hîc referre longum eſſet.

Suffitus altaris.

Mox thura adolet, non ſecus atque nunc fit.

Adhortatio: Adiuuate me fratres.

Quibus peractis, Sacerdos ante medium altaris dicit alta voce: Adiuuate me fratres in orationibus veſtris, & orate pro me ad Deum.

Reſponſio chori.

Offertorium vocatur ab Iſidor. c. 14.

Reſpondet chorus: Adiuuet te pater, filius, & ſpiritus ſanctus.

Sacrificium ſiue Offertorium.

Deindè cantatur * Sacrificium, nempe Antiphona cum duobus aut tribus verſibus.

Lotio manuum.

Quod dum fit, ſacerdos lauat manus, dicens: Lauabo me inter innocentes, &c.

Benedictio oblationis.

Ac benedicit oblationem tribus digitis.

Inclinati ante altare præfatio.

Poſteà inclinatus ante altare, ſubmiſſa voce dicet: Accedat ad te in humilitate ſpiritus &c. nam oratio longiuſcula eſt, ſed valdè deuota.

Concluſio elatiore voce.

Quam claudit elatiore voce dicens. Per te Deus meus, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum Amen.

INCI-

INCIPITVR MISSA.

Etiam hic missam incipit Isidorus c. 15. qui nonnihil dissentit in orationibus.

Salutatio & responsio.

Sacerdos: Dominus sit semper vobiscum, Responsio, & cum spiritu tuo.

Oratio de tempore vel sancto.

Oratio de tempore vel sancto, siue, Oremus, in cuius fine respondetur. Amen.

Alia Orationis conclusio.

Deindè sacerdos: Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, & viuis, & omnia regis, in secula seculorum, respons. Amen.

Tractatus de vita sanctorum in ipsorum Natali.

Si est festum alicuius sancti, prius legitur aliquid de vita sancti: deindè fit oratio, faciens mentionem etiam de miraculis vel doctrina sancti.

Oremus, & Hagios, hagios, hagios.

Mox sacerdos, eleuatis manibus, dicit, oremus: Respondet chorus, Hagios, hagios, hagios, Domine Deus æterne, tibi laus & gloria.

Orationes pro Ecclesia & alijs cum commemoratione Apostolorum, martyrum, & pausantium.

Hanc orationẽ pro viuis & defunctis tertiam facit Isidor. l. cit.

Deindè fiunt orationes pro Ecclesia catholica, pro captiuis, infirmis & tribulatis, cum commemoratione Apostolorum, martyrum, quorum multa nomina recitantur, & pausantium, quo nomine illic intelligi puto sanctos Dei confessores, qui in Domino & sancta pace quiescunt: nam multa nomina recitantur, & inter ea Ambrosij, Augustini, Fulgentij, Leandri, Isidori, &c. & omnium pausantium.

Alia oratio festo congrua.

Deindè dicit sacerdos aliam orationem, festo ac diei congruam, qua finita, respondetur Amen.

Conclusio: Quia tu es. &c.

Sacerdos: Quia tu es vita viuorum, sanitas infirmorum, ac

requies omnium fidelium defunctorum, in omnia secula seculorum. Chorus R. Amen.

Adhortatio ad pacem, & pro ea deprecatio.

Orationem pro osculo pacis quartā facit Ibid. Isidorus.

Mox fit oratio ad pacem, qua finita, dicit sacerdos. Quia tu es vera pax nostra &c. Mox sublatis in cælum manibus, dicit: Gratia Dei patris omnipotentis, & dilectio Domini nostri Iesu Christi, & communicatio spiritûs sancti, sit semper cum omnibus nobis. Respondet Chorus, & cum hominibus bonæ voluntatis. Rursus presbiter: Quomodo adstatis, pacem facite: tunc chorus cantat Responsum, Pacem meam do vobis &c.

Pacis Symbolum.

Intereà sacerdos accipit pacem de patina, dicens: Habete pacem dilectionis & pacis, vt apti sitis sacrosanctis mysterijs Dei, mox dat pacem diacono vel puero, puer populo. Deindè sacerdos, iunctis manibus, inclinatus dicit:

Introibo ad ad altare Dei.

Introibo ad altare Dei. Respond. ad Deum &c.

Præfatio & eius conclusio.

Posteà manibus super calicem positis inquit: Aures ad Dominum. Respondetur, habemus ad Dominum. Sacerdos: sursum corda, Resp. leuemus ad Dominum. Sacerdos inclinatus manibus iūctis: Deo ac Domino nostro Iesu Christo filio Dei, qui est in cælis, dignas laudes, dignasque gratias referamus: & dicens hæc postrema verba, attolit manus in altum, Respondet Chorus: Dignum & iustum est. Sacerdos: Dignum & iustum est, &c. Sequitur enim longa & deuota illatio.

Hanc quintam orationem nuncupat illic Isidorus.

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Posteà dicitur sanctus, ferè more nunc vsitato.

Post duas orationes, Consecratio verbis iam vsitatis.

Consecrationem & oblationē sextam ibidem nuncupat orationem.

Deindè post duas orationes breues, fit consecratio ijsdem omninò verbis, quibus hodiè vtitur Ecclesia.

Eleuatio Eucharistiæ.

Mox eleuatur sacrosancta Eucharistia.

Dein-

Deindè dictis duabus orationibus, altera corporis Domini eleuatio.

Posteà dictis duabus orationibus succinctis, sacerdos accipit corpus Domini de patina, & ponit super calicem apertum, vt hodiè quoque fit, ac dicit alta voce. Dominus sit semper vobiscum, Respond. & cum spiritu tuo. Sacerdos: fidem quam corde credimus, ore dicamus: & eleuat secundò corpus Christi, vt videatur à populo.

Symbolum fidei Nicenæ.

Mox cantatur symbolum fidei ità vt est in Concilio Niceno. Consentit in hoc Isidor. c. 16. Atqui côc. Tol. 3 c. 2. Constanti nopolitan. symbol. meminit.

Fractio Eucharistiæ.

Quod dum fit, Sacerdos frangit Eucharistiam per medium, & ponit dimidiatam partem in patina, & ex altera parte facit quinque particulas, ex altera ferè quatuor, Deindè ponit omnes simul in patina in modum crucis.

Particularum Eucharistiæ nomina.

Habetque quæque particula nomen. Quinque priores partes, dicuntur, Corporatio, Natiuitas, Circuncisio, Apparito, Passio: quatuor reliquæ, Mors, Resurrectio, Gloria, Regnum.

Memoria viuorum.

Posteà digitis super calicem accuratè purgatis, & cooperto calice, facit memento pro viuis, (vt ipsorum more loquar.)

Oratio Dominica.

Mox dicitur Oratio Dominica ad hunc modum: Verbum patris, quod caro factum est, vt habitares in nobis, præsta nobis vt qui te venisse credimus, ab omni peccatorum contagione quum præceptionis tuæ oraculis proclamauerimus, liberemur in terris. Pater noster qui es in cælis, R. Amen. Et eodem modo respondetur ad singulas petitiones, præterquam ad illam, Panem nostrum &c. ad quam respondetur, quia tu es Deus. Eodem loco orat. Dominic. constituũt Concil. Tolet. 4. c. 9. & Isidor. c. 15. vbi septimam hanc orationem nuncupat.

Embolis orationis Dominicæ.

Deindè dicit orationem deuotissimã, quæ incipit: Liberati à malis &c. & tundendo pectus, dicit, pone Domine finẽ peccatis.

Immissio duarum particularum in calicem.

Coniunctionis huius meminit Conc. Tol. 4. c. 17. Benedictionē hoc loco fieri cōcēdit Concil. Tolet. 4 c. 17. & agnoscit Isidor. c. 17.

Qua finita, acceptam particulam quæ dicitur regnum, præmissa oratione, ponit super calicem: mox addita alia, immittit in illum.

Benedictio populi.

Post hæc dicit: Humiliate vos benedictioni, & certis quibusdam formulis benedicit populo.

Memoria defunctorum.

Mox fit secundum memento (vt sic loquar) pro defunctis.

Perceptio corporis & sanguinis Domini,

Quo peracto, recipit corpus & sanguinem Domini cùm quibusdam deuotis precationibus.

Cantus chori inter communicandum.

Atque interim cantatur à choro, Gustate & videte quàm suauis est Dominus &c.

Antiphona post communionem.

Absoluta communione, cantatur Antiphonâ, Refecti Christi corpore &c.

Oratio post communionem.

Et libro in sinistrum altaris cornu translato, dicit sacerdos orationem: in cuius fine respondetur, Amen.

Conclusio orationis.

Deindè sacerdos. Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus, & viuis, & omnia regis in secula seculorum Respondetur. Amen.

Salutatio ad populum.

Dominus sit semper vobiscum, Responsio, Et cum spiritu tuo.

Vox diaconi: Solennia completa sunt.

Posteà presbiter vel diaconus, Solennia completa sunt in nomine Domini nostri Iesu Christi, votum nostrum sit acceptum cum pace. Responsio: Deo gratias.

Nulla conuersio sacerdotis ad populum.

Quandiù sacris operatur Sacerdos, nunquàm se conuertit ad populum.

Qui-

Quibuſdam vſitatum in Eleuatione Euchariſtiæ: Videte in quem creditis.

Frater Ioannes Laziarelus Cæleſtinus, in Epitome vniuerſalis hiſtoriæ mentionem fecit huius ſacrificandi ritus, ſed paucis vbì illud addit, quòd vbì leuatur Euchariſtia, diaconus catnat alta voce: Videte in quem creditis, ſed hoc in Hiſpanijs non ſeruatur.

D. GREGORII MAGNI LXV. PAPAE ROMANI, MISSARVM SOLENNIA ET EARVM RITVS.

Eccleſiarum dedicatio cum Reliquijs Sanctorum & Miſſarum ſolennijs.

Prҿtereà (inquit Ioannes diaconus in eius vita) cùm Arrianorum baſilica in regione vrbis huius, quæ Suburra dicitur, clauſa vſque ad Gregorij Pontificatûs tempora remanſiſſet, placuit ei vt in fide catholica, introductis illuc beati Stephani & S. * Agnetis martyrum reliquijs, dedicari debuiſſet, quod factum eſt. Ioã. diacõ. Vit. D. Gre. l. 2. c. 31. * Agathæ.

Nam cùm magna populi multitudine Gregorius laudes canendo proueniens, baſilicam præfatam ingreſſus eſt. Cumque venerabilis Pontifex iam ſolennia miſſarum celebraret, &c.

Miſſarum celebritas.

Eoſdem verò (inquit ipſe D. Gregorius ad Alexandrum & Antiochenum Epiſcopos) reſponſales, quia hoc omninò humiliter precabantur, Miſſarum ſolennia mecũ celebrare feci: quia ſicut & ſereniſsimo Domino Imperatori noſtro intimare ſtudui, reſponſales fratris & conſacerdotis noſtri Cyriaci mihi cõmunicare debuerunt, quia authore Deo, in elationis errorem non cecidi. Meus verò diaconus, cum prædicto fratre noſtro Cyriaco, Miſſarum ſolennia celebrare non debet. Greg Regiſt. epiſt. l. 6. c. 196.

Quotidianæ Miſſæ in veneratione Martyrum.

Ibid. l. 7. c. 29. Sanctiſsima (inquit idem alibì) veſtra beatitudo ſcribere ſtuduit, vt cunctorum martyrum geſta, quę pro memoriæ Conſtantini temporibus ab Euſebio Cæſarienſi collecta ſunt, tranſmittere debeamus. Sed hęc neque ſi collecta ſunt, neque ſi ſint, ante veſtræ beatitudinis ſcripta cognoui. Ago ergò gratias, quia ſanctiſsimæ veſtræ doctrinæ ſcriptis eruditus, cœpi ſcire quod neſciebam. Præter illa enim quæ in eiuſdem Euſebij libris de geſtis ſanctorum martyrum continentur, nulla in archiuo huius noſtrę Eccleſiæ, vel in Romæ vrbis bibliothecis eſſe cognoui, niſi pauca quędam in vnius codicis volumine collecta. Nos autem penè omnium martyrum diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus, in eorum veneratione Miſſarum ſolennia agimus. Non tamen in eodem volumine, quis qualiter ſit paſſus, indicatur, ſed tantummodò nomen, locus, & dies paſsionis ponitur.

Miſſarum ſolennia in ſtationibus per Baſilicas Martyrum, & verba ſolennia in adminiſtratione Corporis Domini.

Ioan. Diac. vbi ſuprà l. 2. c. 18. Stationes (inquit Ioannes Diaconus) per Baſilicas, vel beatorum martyrum cœmeteria ſecundum quod hactenus, plebs Romana quaſi eo viuente certatìm diſcurrit, ſolicitè ordinauit: per quas & ipſe ſimul diſcurrens, dum adhuc eloqui præualeret, viginti homilias Euangelij coram Eccleſia diuerſo tempore declamauit: reliquas verò eiuſdẽ numeri dictauit quidẽ, ſed laſſeſcẽte ſtomacho, lãguore continuo, alijs ꝓnunciãdas cõmiſit.

Ibid. c. 41. Et rursùm miraculum quoddam recenſens: Matrona quædam B. Gregorio per ſtationes publicas Miſſarum ſolennia celebranti, ſolitas oblationes obtulerat. Cui pòſt, myſteria traditurus, cum diceret, Corpus domini noſtri Ieſu Chriſti conſeruet animam tuam, laſciua ſubriſit. Ille verò continuò dexteram ab eius ore conuertens, partem illam Dominici corporis ſuper altare depoſuit: expletis verò Miſſarum ſolennijs, matronã coram populo inquiſiuit: quamobrem, corpus Dominicum ſumptura,

ptura, ridere præsumpserit. At ille diu mussitans, tandem prorupit: Quia panem, inquiens, quem proprijs manibus me fecisse cognoueram, tu corpus Dominicum perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris, cũ tota plebe se in orationem ꝓstrauit: & post paululũ surgens, particulam panis, quam super altare posuerat, carnem factã reperit, quam coram cunctis incredulæ matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam reuocare potuit, quàm totum populũ confirmare curauit. Rursùs itaq; in orationem cum eisdem prostratus, carnis frustum, in panis primordia reformauit.

Cantus Missarum, & Schola Cantorum ab ipso instituta.

Deindè (inquit idẽ) in domũ Domini more sapientissimi Salomonis, propter Musicæ compunctionẽ dulcedinis, Antiphonarium centonam cantorum studiosissimus nimìs vtiliter compilauit, scholam quoq; cantorum, quæ hactenùs eisdem institutionibus in sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit. Ibidẽ. c.6.

Et paulo pòst, indicans quomodò in Gallias & Germanias cantus ille diffusus sit: Huius (inquit) modulationis dulcedinẽ inter alias Europæ gentes Germani seu Galli dicere, crebroque rediscere insigniter potuerunt: incorruptam verò, tam leuitate animi, quia nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quàm feritate quoque naturali, seruare minimè potuerunt. Alpina siquidem corpora vocum suarum tonitruis altisonæ perstrepentia, susceptæ modulationis dulcedinem propriè non * resultant: quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflectionibus & repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore, quasi plaustra per gradus confusè sonantia, rigidas voces iactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magìs ac obstrependo conturbat. Ibidẽ c.7.

Ac deinde: Hinc est, quòd huius Gregorij tempore, cum Augustino tunc Britannias adeunte, per Occidentem quoque Romanæ institutionis cantores dispersi, barbaros insigniter Ibidẽ c.8.

docuerunt. Quibus defunctis, Occidentales Eccleſiæ ità ſuſceptum modulationis organum vitiârunt, vt Ioannes quidem Romanus Cantor cum Theodoro ęque ciue Romano, ſed Eburaci archiepiſcopo, per Gallias in Britânias à *Vitelliano ſit prę- *Vitaliano ſule deſtinatus: qui circumquaque poſitarum Eccleſiarum filios ad priſtinam cantilenę dulcedinē reuocans, tam per ſe quàm per diſcipulos ſuos, multis annis doctrinæ Romanæ regulam conſeruauit.

Ibidē c. 9. Conſequenter: Sed & Carolus noſter patricius, rex autem Francorum, diſſonantia Romani & Gallicani cantûs Romæ offenſus, cum Gallorum procacitas cantū à noſtratibus quibuſdam nenijs argumentaretur eſſe corruptum, noſtrique è diuerſo authenticum Antiphonarum probabiliter oſtentarent, interrogâſſe fertur quis inter riuum & fontem limpidiorem aquam *conſeruare ſoleret: reſpondentibus fontem, prudenter adie- *conferre cit: Ergò & nos, qui de riuo corruptam lympham vſque hactenùs bibimus, ad perennis fontis neceſsè eſt fluenta principalia recurramus. Mox itaque duos ſuorum induſtrios clericos, Adriano tunc Epiſcopo dereliquit: quibus tandèm ſatìs eleganter inſtructis, Metenſem Metropolim ad ſuauitatem modulationis priſtinè reuocauit: per quam illam totam Galliam ſuam correxit.

Denique: Sed quum multa poſt tempora defunctis his, Ibidē c. 10. qui Romæ fuerant educati, cantum Gallicanarum Eccleſiarum à Metenſi diſcrepare prudentiſsimus regum vidiſſet, ac vnumquemque ab alterutro vitiatum cantum iactantem aduerteret. Iterum (inquit) redeamus ad fontem. Tunc regis precibus, ſicut hodieque quidam veridicè aſtipulantur, Adrianus Papa permotus, duos in Galliam cantores emiſit: quorum iudicio, rex omnes corrupiſſe dulcedinem Romani cantûs leuitate quadam cognouit. Metenſes verò ſola naturali feritate paululùm diſſonare peruidit. Denique vſque hodiè quantum Romano cantui Metenſis cedit, tantum Metenſi cedere Gallicarum Eccleſiarum Germaniarumque cantus, qui puram veri-

veritatem diligunt, comprobant. Hæc ergò per anticipationem retulerim, nè indiscussam Gallorum leuitatem videar præterisse.

Eodem pertinet illud VValafradi * Strabonis: Traditur denique beatum Gregorium, sicut ordinationem Missarum, & Consecrationum, ità etiam cantilenæ disciplinam, maxima ex parte in eam, quæ hactenùs, quasi decentissima obseruatur, dispositionem perduxisse, sicut & in capite Antiphonarij commemoratur. Vualafr. de reb. Eccle. c. 22.

Et illud eiusdem: Ordinem autem cantilenæ, diurnis seu nocturnis horis dicendæ Beatus Gregorius plenaria creditur ordinatione distribuisse, sicut & suprà de sacramentorum diximus libro. Ibidem.

Antiphonæ in vnum volumen ab ipso editæ, quod Antiphonarium inscripsit, seu librum Gradualem.

Huc imprimìs pertinet, quod ex Ioanne diacono & VValafrido modò citauimus, & præsertim illud: Quum multi ante, siue post eũ, Orationes, Antiphonas, vel Responsoria composuerint. Ibidem.

Deindè illud Bernonis Augiensis: Notandum vt sicut sanctum Gregorium, quicumq; has vel has cantilenas composuisset, libri sacramentorum, & Antiphonarum: ità & B. Hieronymum credimus ordinationem Lectionarij. Berno Augiens. de Miss. c. 1.

Item illud Micrologi: Nam & S. Hieronymus in libro Comitis ità ordinauit, cuius libri ordinem & S. Gregorius diligentissimè obseruauit, siue dum lectionibus & Euangelijs Missales orationes in sacramentario adaptaret, siue dum Antiphonas ex eisdem Euangelijs, quàm plurimis diebus in Antiphonario articularet. Microl. de Eccl. obseru. c. 31.

Plura huc pertinentia requiret Lector in Tomi 2. Prolegomenis.

Kyrie eleyson, à Græcorum Ecclesia in Romanam translatum.

Kyrie eleyſon autem (inquit ipſe D. Gregorius ad Ioannem Syracuſanum) nos neque diximus, neque dicimus, ſicut à Græcis dicitur: quia in Grȩcis ſimul omnes dicunt: apud nos autem à clericis dicitur, à populo reſpondetur, & totidem vicibus etiam Chriſte eleyſon dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Miſsis alia quæ dici ſolent, tacemus: tantummodò Kyrie eleyſon, & Chriſte eleyſon dicimus, vt in his deprecationis vocibus paulò diutiùs occupemur.

Greg l. 7. regiſt. c. 73.

Subdiaconorum veſtitus in Miſſa.

Subdiaconos autem (inquit ibidèm) vt ſpoliatos procedere facerem, antiqua conſuetudo Eccleſiæ fuit. Sed placuit cuidam noſtro Pontifici, neſcio cui, qui eos veſtitos ꝓcedere prȩcepit. Nam veſtræ Eccleſiæ, nunquid traditionem à Græcis acceperunt? Vndè habent ergò hodiè vt ſubdiaconi lineis in tunicis procedant, niſi quia hoc à matre ſua Romana Eccleſia perceperunt?

Ibidem.

Orationes miſſæ Gelaſianæ cum alijs in vnum volumen compoſitȩ, quod Sacramentarium inſcripſit.

Sed ad Gelaſianum codicem (inquit Ioannes Diaconus) de Miſſarum ſolennijs, multa ſubtrahens, pauca conuertens, nonnulla adijciens, pro exponendis Euangelicis lectionibus in vnius libri volumine coarctauit.

Ioã. Diac. Vit. D. Greg l. 2. c. 17.

Ad quem locum alludens VValafridus * Strabo: Et quia (inquit) tam incertis authoribus, multa videbantur * inſerta, & ſenſus integritatem non habentia, curauit beatus Gregorius rationabilia quæque coadunare, & ſecluſis his, quæ vel nimia vel inconcinna videbantur, compoſuit librum, qui dicitur Sacramentorum, ſicut ex titulo eius manifeſtiſsimè declaratur: In quo ſi aliqua inueniuntur ad hunc ſenſum claudicantia, non ab illo inſerta, ſed ab alijs minnùs diligentibus, poſteà credenda ſunt ſuperaddita.

Vualafr. lo co cit. * incerta.

Item Berno Augienſis loco citato ſuprà de Gelaſio papa.

Lèctio

Lectio Apostolica & Euangelica.

Pertinet huc illud, quod suprà adduximus de consonantia Lectionarij D. Hieron. cũ Antiphonario D. Greg. ex Micrologo.

Berno Aug. de Miss. c. 5.

Item illud, vbi eorundem mentioné facit, Bernonis: Viginti tres post Pentecostes octauas, hebdomadæ computantur, ità cõcordes, vt aliquando omnis cantus videlicet Antiphonarum (quę dicũtur Introitus) Gradualium, offertoriorum, cõmuniorum, cum lectionibus Apostolicis & Euangelicis ità conueniat, vt velut quoddam organum, distantis inter se vocis concordem Symphoniam reddat.

Microl. c. 61.

Illud quoque dicti Micrologi: Sciendũ autem quòd Sanct. Gregorius ità Ecclesiastica ordinauit officia, vt prima oratio in Missa, officio, lectioni, & Euangelio semper concordet: sicut in omnibus solennitatibus depræhendi potest.

Alleluya etiam extra Paschale tẽmpus.

Spectat huc, quod supra allegauimus, D. Gregorij ex prædicta epistola ad Ioannem Syracusanum, sub D. Damaso Papa.

Nominum Episcoporum ad altare recitatio, partim iam intermissa.

Greg. Reg. l. 4 c. 37.

Quod autem scripsistis, (inquit ad Constantium Mediolanensem Episcopum) quia scandalizantur plurimi eorum, quia fratrem & coëpiscopum nostrum Ioannẽ Rauennatis Ecclesiæ inter Missarum solennia nominetis, requirenda vobis consuetudo antiqua est: & si consuetudo fuit, modò à stultis hominibus reprehendenda non est. Si vero consuetudo nõ fuit, fieri nõ debet, vndè quibusdam scandalum moueri posfsit: tamen solicitè perquirere studui, si idem Ioannes frater & coëpiscopus noster vos ad altare nominet, quod minimè dicunt fieri. Et si ille vestri nominis memoriam non facit: quia necessitas cogat, ignoro, vt vos illius faciatis.

Canonis Missæ apud ipsum mentio.

Ibidem. l. 11. c. 16.

De hoc igitur (inquit idem ad Vitalẽ defensorem) quod scripsisti fratrem & coëpiscopum nostrum Ianuarium tempore quo sacrificium celebrat, tantam pati frequenter angustiam, vt vix

post longa interualla, ad locum Canonis redire valeat quem reliquit, atque ex hoc multos dubitare, si communionem debeant de eius consecratione percipere: admonendi sunt, vt nullatenùs pertimescant, sed cum omni fide & securitate communicent, quia ægritudo personæ, sacri mysterij benedictionem nec mutat nec polluit. Secretus tamen omninò frater noster hortandus est, vt quoties aliquam molestiam senserit, nó procedat, nè ex hoc se & despiciendum præbeat, & infirmorum animis scandulum faciat.

In Canone ab ipso additum illud,
Diesq; nostros.

Ioan. Diac. Vit. D. Greg l. 2. c. 18.

In Canone (inquit Ioannes Diaconus) apposuit: Diesque nostros in tua pace dispone, atq; ab æterna damnatione nos eripe, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.

Quod repetitur ad verbum à Vener. Beda hist. Angl. Eccl. l. 2. c. 2. Alcuino de diuin. offic. Amalar. l. 3. de eccl. officijs c. 25. Sigeberto ad ann. Domini 592. Mariano Scoto l. 2. hist. & Micrologo c. 24.

Vualfr. de reb eccle. c. 22.

Latiùs autem id prosequitur VValafridus * Strabo: Gregorius verò (inquit) de quo superiùs sæpiùs fecimus mentionem, augmentauit in precatione canonis, Diesq; nostros in tua pace disponas. Vbì quidam volunt intelligi, totam ab eo loco Canonis consequentiam, vsque in finem, per illum fuisse compositam. Cui sensui repugnare videtur, quod passio Domini, quam Alexander eidem precationi inseruit, post hos versus habetur. Vndè nonnulli credunt, non ampliùs Gregorium, quàm illas tres petitiones, id est, pro pace temporum, & ereptione ab æternis supplicijs, & consortio sanctorum obtinendo, prioribus superaddidisse statutis.

Bern. Aug. de Miss. c. 1.

Et Berno Augiensis: Attamen ipsum Canonem non vnus solus totum composuit, sed per tempora aliud alius interposuit vel adiecit, sicut de hoc sanctissimo papa legimus: In Canone apposuit: Diesque nostros in tua pace dispone, &c.

Immo-

Immolatio corporis & sanguinis Domini. & in ea Angelorum præsentia.

Debemus igitur (inquit D. Gregorius) quotidianas carnis eius & sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter victima ab ęterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per mysterium reparat, qui licèt resurgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atq; incorruptibiliter viuēs pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibì corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergò pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra pasionem vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium posit in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus atque inuisibilibus fieri?

Gregor. dialog. l. 4. c. 58.

Ad Missam Oratio Dominica Romæ quoque dici statuta.

Idem Regist. l. 7. c. 63.

Orationem ante Dominicam (inquit idem ad Ioannem Syracusanum) idcircò mox post precem dicimus: quia mos Apostolorum fuit: vt ad ipsam solummodò orationem, oblationis hostiam consecrarent. Et valdè mihi inconueniens visum est, vt precem quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem quam redemptor noster composuit, super eius corpus & sanguinem non diceremus. Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur: apud nos autem à solo sacerdote. In quo ergò Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparauimus, aut nouas & vtiles constituimus, in quibus tamen alios comprobamur imitari?

Fortasi alludit ad Musæum Masylien sem presbiterum qui scholastico sermone scripsit librum sacramentorum. vti habetur supra sub D. Petro Papa.

Sacrificia pro defunctis.

Idem dial. Greg. l 4. c. 56.

Vnde itaque (inquit se dixisse cuidam Præposito monaste-

rij) ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo (loquitur de defuncto Antistite) sacrificiũ stude, vt nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius, hostia salutaris non offeratur.

Ibid. c.57. Et rursum, de Agatho agens, Panormitano Episcopo, Quũque (inquit) die tertio Episcopus nautam qui ab eo abreptus in carabo fuerat, in nulla maris parte videret apparere, vehementer afflictus, mortuum credidit: sed per obsequium charitatis, viuo vnum quod mortuo debebat, impendit, & omnipotenti Deo pro absolutione eius animæ offerre sacrificium victimæ salutaris iubet.

Ac paulopòst: Quod scilicet Episcopus audiens, requisiuit diem, atq; illum fuisse diẽ reperit, quo pro eo presbiter in Ostica insula Deo omnipotenti hostiã sacræ oblationis immolauit.

Super quibus hanc tandem suam sententiam profert: Idcircò credo, quia hoc tam apertè cum viuentibus ac nescientibus agitur, vt cunctis hæc agẽtibus ac nesciẽtibus ostendatur: quia si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse, etiã mortuis victima sacræ oblationis possit. Sed sciẽdum est, quia illis sacræ victimæ mortuis prosunt, qui hic viuendo obtinuerunt: vt eos etiam post mortem bona adiuuent, quæ hic pro ipsis ab alijs fiunt.

Super corpora SS. Petri & Pauli, quotidiana sacrificia ab eo instituta.

Ioan. Diacon. vit. eius l.2.c.20 Super corpora autem (inquit Ioan. Diacon.) beatorum Petri & Pauli Apostolorum, Missarum solennia celebrari decreuit, acquisitis numerosissimis oliuetis. quorum summam in tabulis marmoreis pro foribus eiusdem basilicæ adnotauit, luminaria superaddidit, officia sedula deputauit.

Quod repetitur à Beda & Sigeberto, alijsque supra citatis Patribus & historicis.

Litanea maior, cũ sacris mysterijs ab ipso recẽs cõstituta.

Greg. Regist. init. l.2. Solennitas (inquit D. Gregorius in ipsa charta institutionis) annuæ deuotionis nos, filij dilectissimi, admonet, vt litaneam

quæ

quæ maior ab omnibus appellatur, ſolicitis ac deuotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare: per quam à noſtris exceſsibus, eius miſericordiæ ſupplicantes purgari aliquatenus mereamur. Conſiderare etenim nos conuenit, dilectiſsimi, quam varijs, continuiſque calamitatibus pro noſtris culpis atq; offenſionibus affligamur, & qualiter cęleſtis pietatis nobis ſubindè medicina ſubueniat. Sexta igitur feria veniente, à titulo B. Laurentij martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes ad B. Petrum Apoſtolorum principem, Domino ſupplicãtes, cum hymnis & canticis ſpiritalibus properemus, vt ibidem ſacra myſteria celebrantes, tam de antiquioribus, quam de præſentibus beneficijs pietati eius, inquantum poſſumus, referre gratias mereamur.

Miſſæ in monaſterijs fieri non prohibeantur.

Agapitus (inquit idem D. Gregorius) Abbas inſinuauit, quòd in eius monaſterio Miſſas celebrari prohibeatis, ſepeliri etiam ibidèm mortuos interdicatis. Quod ſi ità eſt, à tali vos hortamur inhumanitate ſuſpendi: & ſepeliri ibidem mortuos, vel celebrari Miſſas, nulla vlterius habita contradictione permittatis: nè denuò querelam de his quæ dicta ſunt, prædictus vir venerabilis * Agapitus deponere compellatur. Greg Regiſtr. l. 1. c. 12.

Pallio non niſi intrà Miſſarum ſolennia vtatur Archiepiſcopus.

Proindè (inquit ad Syagrium Auguſtudunenſem Epiſcopum) ſecundùm poſtulationis tuæ deſideriũ, pallij te vſu, quod intrà Eccleſiam tuam habere debeas: ad ſacra tantum Miſſarum ſolennia celebranda, Deo authore, præuidimus honorandum. Ibid. l. 7. c. 112.

Vt D. Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo: Præterea ex benedictione B. Petri Apoſtolorum principis pallium vobis tranſmiſimus ad ſola Miſſarum ſolennia vtendum. Ib. d. c. 126.

Item Maximo Salonitano: Itaque pallium ad ſacra Miſſarum ſolennia vtendum ex more tranſmiſimus, cuius vos volumus per omnia genium vendicare. Huius enim indumenti honor, humilitas atque iuſtitia eſt. Ibid. c. 129.

Ibid. l. 12. c. 15

Denique D. Augustino Anglorum Episcopo: Quia noua Anglorum Ecclesia, ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, & te laborante, perducta est, vsum tibi pallij ad sola Missarum solennia agenda concedimus.

Quandò pollutio nocturna celebrationem sacrorum mysteriorum impediat.

Idē Quæst. ad August. Angl. episc. c. 11.

Quæro etiam (inquit D. Augustinus Anglorum Episcopus ad D. Gregorium scribens) si post illusionem, quæ per somnium solet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat: vel si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare?

Respondet D. Gregorius: Hunc quidem testamentum veteris legis, sicut in superiori capitulo iam diximus, pollutum Domino dicit, & nisi lotum aqua, etiam vsque ad vesperam intrare Ecclesiam non concedit. Quod tamen aliter populus spiritualis sub eodem intellectu accipiet quem præfati sumus: quia quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia, vanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lauādus est aqua, vt culpas cogitationis lachrymis abluat. Et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi vsque ad vesperum cognoscat. Sed est in eadem illusione valdè necessaria discretio, quæ subtiliter pensari debet, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquandò ex naturę superfluitate vel infirmitate, aliquandò ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate euenerit, omnimodò hæc illusio non est timenda: quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quàm fecisse. Cùm verò vltra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcircò humorum receptacula grauantur, habet exindè animus aliquem reatum, non tamen vsque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterij, vel Missarum solennia celebrandi, cum fortassè aut festus dies exigit, aut exhiberi ministerium pro eo, quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alij, qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta, à perceptione sacri mysterij prohibere non debet, sed ab immo-

immolatione ſacri myſterij abſtinere, vt arbitror, humiliter debet: ſi tamen dormientis mentem, turpis imaginatio non concuſſerit.

D. CASSII NARNIENSIS EPISCOPI MISSAE QVOTIDIANAE.

Vir (inquit idem) vitæ venerabilis Caſsius Narnienſis Epiſcopus qui quotidianum offerre conſueuerat Deo ſacrificium, ſeque in lachrymus inter ipſa ſacrificiorum arcana mactabat, mandatum Domini per cuiuſdam ſui viſionem presbyteri ſuſcepit dicens: Age quod agis, operare quod operaris, non ceſſet pes tuus, non ceſſet manus tua, natali Apoſtolorum venies ad me, & retribuã tibi mercedem tuam. Qui poſt annos ſeptem ipſo natalitio Apoſtolorum die, cùm Miſſarum ſolẽnia peregiſſet, & myſteria ſacræ communionis accepiſſet, è corpore exiuit. Idem Dial. lib.4.c.56.

Quem locum citat VValafridus, * Strabo, vt probet quotidianum etiam hac ætate ſacrificium, l. de Eccl. reb. c. 20.

CONCILII TOLETANI III. CANONES CIRCA DIVINA OFFICIA.

Omnibus diebus Dominicis Symbolum Conſtantinopolitanum recitetur.

Pro reuerentia (inquiunt Patres) ſanctiſsimæ fidei, & propter corroborandas hominum inualidas mentes, conſultu pijſſimi & religioſiſsimi Reccaredi regis conſtituit Synodus, vt per omnes Eccleſias Hiſpaniæ & Galliciæ ſecundum formam orientalium Eccleſiarum, Concilij Conſtantinopolitani, hoc eſt, centum quinquaginta Epiſcoporum ſymbolum *fieri recitetur. Concil.Tolet.3.c.2. * fidei

Idque ante Orationem Dominicam.

Et priuſquàm Dominica dicatur oratio, voce clara popu- Ibid.

lo prædicetur, quo & fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus & sanguinem prælibandum, pectora populorum fide purificata accedant.

In sanctorum solennitatibus, officijs diuinis inuigilent populi, non saltationibus & turpibus canticis.

Eiusd. coc. c.23. Exterminanda (inquiunt ijdem) omninò est irreligiosa cõsuetudo, quam vulgus per Sanctorum solennitates agere cõsueuit. Populi qui debent officia diuina attendere, saltationibus & turpibus inuigilant canticis, non solùm sibi nocentes, sed & religiosorum officijs. Hoc etenim, vt ab omni Hispania depellatur, sacerdotum & iudicum, à concilio sancto, curæ cõmittitur.

SYNODI ROMANAE I. SVB D. GREGORIO PAPA DECRETVM, DE MINITRORVM ALTARIS DISTINCTIS OFFICIIS.

Concil. Rom. 1. sub Greg. papa c. 1. In sancta hac (inquit D. Gregorius cum Episcopis 25.) Romana Ecclesia, cui diuina dispẽsatio pręesse me voluit, dudum consuetudo est valdè repræhensibilis exorta, vt quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, & in diaconatûs ordine constituti, modulationi vocis inseruiant, quos ad prędicationis officium. & eleemosynarum studium vacare cõgruebat. Vndè fit plærumque vt ad sacrum ministerium, dum blãda vox quæritur, quæri cõgrua vita negligatur: & cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua de re præsenti decreto constituo, vt in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque euangelicæ lectionis officium inter Missarum solennia exoluant. Psalmos verò ac reliquas lectiones conseo per subdiaconos vel, si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentauerit, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit.

D. AVGVSTINI ANGLORVM APOSTOLI, APVD ILLOS MISSARVM ACTIO.

Erat

Erat autem (inquit ven. Beda) prope ipſam ciuitatem, ad orientem Eccleſia, in honorem S. Martini antiquitùs facta, dum adhuc Romani Britãniam incolerent. in qua regina, quã Chriſtianam fuiſſe prædiximus, orare conſueuerat. In hac ergò, & ipſi primò conuenire, pſallere, orare, Miſſas facere, prædicare, & baptizare cœperunt, donèc rege ad fidem conuerſo, maiorem prædicandi per omnia, & Eccleſias fabricandi, vel reſtaurandi, licentiam acciperent. Beda hiſt. eccl. Angl. l.1.26.

APPENDIX QVAEDAM DE RITV MISSAE SEPTIMI A CHRISTO INCARNATO SECVLI.

Statueramus quidem ſextum ſeculum atque adeò D. Gregorij Papæ 1. Pontificatum non excedere, verùm ad maiorem confirmationem ritus ſupraſcriptæ Mozarabez Miſſæ, putauimus operæprecium aliquot Canones Conciliorum Toletani 4. & Bracarenſis, & D. Iſidori Miſſam adijcere. Deindè velut coronidis loco, Sergij Papæ poſtremum Miſſæ Romanæ complementum, ex Sigeberto adiunximus.

CONCILII TOLETANI IIII. CANONES CIRCA MISSARVM SOLENNITATEM.

Miſſarum idem ordo per Hiſpanias ſeruetur.

Poſt rectæ fidei (inquiunt D. Iſidorus Hiſpalenſis, & cæteri huius concilij patres) confeſsionem, quæ in ſancta Dei Eccleſia prædicatur, placuit vt omnes ſacerdotes, qui Catholicæ fidei vnitate complectimur, nihil vltra diuerſum aut diſſonum in Eccleſiaſticis ſacramentis agamus, ne quælibet noſtra diuerſitas apud ignotos ſeu carnales ſchiſmatis errorem videatur oſtendere, & multis exſtet in ſcandalum varietas Eccleſiarum. Vnus Concil. Tolet. 4. c. 2.

ergò ordo orandi atque psallendi, à nobis per omnem Hispaniam atque Galliciam conseruetur, vnus modus in Missarum solennitatibus, vnus in vespertinis officijs: nec diuersa sit vltrà à nobis Ecclesiastica consuetudo, quia vna fide continemur & regno. Hoc enim & antiqui canones decreuerunt, vt vnaquæq; prouincia & psallendi, & ministrandi parem consuetudinem teneat.

Dominica oratio non tantùm diebus Dominicis, sed quotidiè dicatur.

Ibid. c. 9. Nonnulli (inquiũt) sacerdotum in Hispanijs reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam saluator noster docuit & præcepit, non quotidiè, sed tantùm die Dominica dicant. Et quia
1. Thes.5. sine intermissione vt oremus, Apostolus docuit, qualiter autẽ
Matth. 6. oremus, Christus præcepit, dicens: Cùm autem oratis, dicite: Pater noster qui es in cælis: Quomodò ergò quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici iubetur? Nam in tantum quotidiè hæc oratio dicenda est, quantum & ipse titulo vtitur, dum vocatur oratio quotidiana.

Ac paulò pòst: Quisquis ergò sacerdotum vel subiacentium clericorum, hanc orationem Dominicam quotidiè aut in publico, aut in priuato officio præterierit, propter superbiam iudicatus, ordinis sui honore priuetur. * mulctetur

Alleluia in Quadragesima non cantandum.

Ibid. c.10. Item cognouimus (inquiunt) quosdam Hispaniæ sacerdotes, qui in Quadragesimæ diebus Alleluia decantant, præterquam in vltima hebdomada Paschæ, quod deincèps fieri interdicimus, statuentes, vt in omnibus prædictis Quadragesimæ diebus (quia tempus non est gaudij, sed mœroris) Alleluia non decantetur.

Post Apostolum statìm Euangelium decantetur.

Ibid. c. 11. In quibusdam quoque (inquiunt) Hispaniarum Ecclesijs laudes post Apostolum decantantur, priusquam Euangelium prædicetur, dum canones præcipiant, post Apostolum non laudes, sed Euangelium annunciari. Præsumptio est enim,
vtan-

vt ante ponantur ea, quæ sequi debeant. Nam laudes Euangelium sequuntur propter gloriam Christi, qua per idem Euangelium prædicatur. Circa omnes igitur sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis pœnam suscepturis, qui hunc ordinem perturbauerint.

VValafr. de reb. eccl c. 22.

De quo Canone sic pulchrè VValafridus * Strabo: Responsoria (inquit) & Alleluia, quæ ante Euangelium cantantur, deindè adiuncta videntur, pòstquam Antiphonę ad ingressum dici expirarunt, quæ & videntur prohibita canonibus Hispanorum, qui longo pòst tempore sunt constituti. In illis enim iubetur, nè aliquis hymnus, inter lectionem Apostolicam & Euãgelium in ordine Missæ ponatur. Ex quo intelligitur, id aliquos tentasse tunc temporis, sed propter nouitatem rei, studium eorum nondum fuisse à quibusdam receptum. Quod tamen posteà vsu Romano commendatum, ad omnes Latinorum peruenit Ecclesias.

Berno Aug de Miss. c. 1

Et Berno Augiensis: Posteà (inquit) quum Gradalia, & Alleluia inter Apostolicam & Euangelicam lectionem cœperunt frequentari, Hispani quasi nouitate rei perculsi multum restiterunt, dicentes. In quibusdam Hispaniarum Ecclesijs &c. Veruntamen ex authoritate Romanæ Ecclesiæ, posteà est constitutum, vt responsoria & Alleluia canantur ante sanctum Euangelium.

Hymnus trium puerorum in Missa Dominicis diebus & solennitatibus martyrum publicè decantetur.

Eiusd. cōc. Tol. 4. c. 13.

Hymnum quoque (inquiunt ijdem patres) trium puerorũ, in quo vniuersa cęli terræq; creatura Deum collaudat, & quem Ecclesia catholica, per totum orbem diffusa, celebrat, quidã sacerdotes in Missa Dominicorum dierum & in solennitatibus martyrum canere negligunt. Proindè sanctum Concilium instituit, vt per omnes Hispaniæ Ecclesias vel Galliciæ, in omnium Missarum solennitate idem in publico decantetur: communionem amissuri, qui & antiquam huius hymni consuetudinem, nostramque definitionem excesserint.

VValafr. c. cit. De quo Canone sic etiam VValafridus: In eiusdem loci cõcilio statutum est, vt etiam hymnus trium puerorum, ad Missam omni Dominica in pulpito cantaretur. Quod Romani propter multiplicitatem officiorum, non faciunt, nisi quatuor per annum diebus, quibus lectionum XII. numerus adimpletur.

Bern. l. cit. Et Berno: Ijdem etiam in Toletano statuerunt Concilio, vt hymnus trium puerorum omni Dominico die, & in solennitatibus martyrum in pulpito decantetur: Quod tamen Romani minimè faciunt, nisi quater in anno, his sabbatorum diebus, qui prætitulantur, in duodecim lectionibus.

In fine Psalmorum: Gloria & honor dicatur, non Gloria, duntaxàt.

Eiusd. c. 14 In fine (inquiunt) Psalmorum, non sicut à quibusdam hucusque Gloria patri, sed, Gloria & honor patri, dicatur, Dauid Propheta dicente: Afferte Domino gloriam & honorem, & Ioannes Euangelista in Apocalypsi audiuit vocem cælestis exercitus, dicentem: Honor & Gloria Deo nostro sedēti in throno. At per hoc hæc duo sic oportet in terris dici, sicut in cælis resonant. Vniuersis ergò ecclesiasticis hanc obseruantiam damûs: nam quisquis præterierit, communionis iacturam habebit.

Psalm. 28. Apoc. 5.

VValafr. de reb. eccl c. 25. Quem canonem explicans etiam VValafridus * Strabo: Dicendum (inquit) de hymno, qui ob honorem sanctæ & vnicæ Trinitatis officijs omnibus interferitur, cùm à sanctis patribus aliter atque aliter ordinatum. * Nam Hispani (sicut superius commemorauimus, ità eum dici omnimodis voluērunt. Græci autem, Gloria patri & filio & spiritui sancto, & nunc & semper & in secula seculorum, Amen. Latini verò, eodem ordine & eisdem verbis hunc hymnum decantant, addentes tantùm in medio, Sicut erat in principio. Pro quibus etiam particulis quidam Græci minus sapientes, Latinos, proximis ante nos temporibus, calumnijs impetere conati sunt. Intelligimus tamen nos in hoc non errare, credita consempiternitate gloriæ patris & filij, & spiritussancti: pariterque scientes, quòd Romani firmissi-

misſimi fidei ſeruantores, remotis cæteris compoſitionibus, hunc huius hymni tenorem non aliter ſuſcepiſſent, niſi eum purum ab omni errore cognouerint. Affirmant ſiquidem multi, hymnum iſtum Niceni Concilij ſacratiſsima ſanctione prolatum, vt omnibus officijs & orationibus intermixtus, & fidem coæternæ Trinitatis inculcet, & in ſingulis petitionibus ipſa confeſsio melius fauorem diuinæ exauditionis obtineat.

Benedictio populi poſt orationem Dominicam ante communionem fiat.

Nonnulli ſacerdotes (inquiunt) poſt dictam Orationẽ Dominicam ſtatim communicant, & poſteà benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: ſed poſt orationem Dominicam & coniunctionem panis & calicis, benedictio in populum ſequatur, & tunc demùm corporis & ſanguinis Domini ſacramentum ſumatur, eo videlicet ordine, vt ſacerdos & Leuita ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus. Conc. eiuſd. Tolet 4. c. 17.

BRACARENSIS CONCILII I. CANONES. DE MISSAE ORDINE.

Etiam ab Epiſcopis dicatur: Dominus ſit vobiſcum.

Item placuit (inquiunt Martinus Bracarenſis & alij Patres) vt non aliter Epiſcopi, & aliter presbiteri populum, ſed vno modo ſalutent, dicentes: Dominus ſit vobiſcum, ſicut in lib. Ruth legitur, vt reſpondeatur à populo, Et cum ſpiritu tuo, ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens, & non ſicut Priſcilliana prauitas permutauit. Conc Bracar. 1. c. 21. Ruth. 2.

Eodem ordine Miſſæ ab omnibus celebrentur.

Item placuit, (inquiunt) vt eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, quomodò Profuturus quondam huius Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ab ipſa Apoſtolicæ ſedis authoritate ſuſcepit ſcriptum. Eiuſd. c. 22.

D. ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI MISSAE RITVS.

Antiphonæ.

Iſidor. de diuin. offic l.1.c.7.

Antiphonas (inquit D. Iſidorus, ſuæ Eccleſiæ Miſſarum ritum explicans) Græci primùm compoſuerunt &c. vt ſupra D. Ambroſius.

Reſponſoria.

Ibid. c.8.

Reſponſoria (inquit) ab Italis longo antè tempore ſunt reperta: & vocata hoc nomine, quòd vno canente, chorus conſonando reſpondeat. Antè autem id ſolus quiſque agebat, nunc vnus interdùm, interdum duo vel tres communiter canunt, choro in plurimis reſpondente.

Preces.

Ibid c.9.

Precibus (inquit) Dominum deprecari Chriſtus nobis & compoſuit & conſtituit. Ex hoc perducta eſt conſuetudo Eccleſiæ Dominum precibus expoſcere contra ęgritudines animę: & vti precibus inſtar earum quas conſtituit Chriſtus, quaſque primum Græci cœperunt componere, quibus Domino ſupplicaretur.

Indictio ſilentij per diaconum.

Ibid. c 10.

Ideò & diaconus clara voce (inquit) ſilentium admonet, vt ſiue dum pſallitur, ſiue dum lectio pronunciatur, ab omnibus vnitas conſeruetur, vt quod omnibus prædicatur, æqualiter ab omnibus audiatur.

Silentium lectionum tempore & crucis conſignatio.

Ibi. paulò priùs.

Vndè oportet, (inquit) vt quandò pſallitur, pſallatur ab omnibus: cum oratur, oretur ab omnibus: cum lectio legitur, facto ſilentio, æque audiatur à cunctis. Nam & ſi tunc ſuperueniat quiſque cum lectio celebratur, adoret tantùm Deum, & præſignata fronte, aurem ſolicitè accommodet.

Lectionum ex vtroque Teſtamento pronunciatio.

Lectio-

Lectiones (inquit) pronunciare, antiquæ institutionis esse, Ibid.
Iudæorum traditio docet. Nam & ipsi legitimis, præfinitisque diebus, ex lege & Prophetis lectione in Synagogis vtuntur, & hoc de veteri patrum institutione seruantes. Est autem lectio, non parua audientium ædificatio.

Ac paulò pòst: Pronunciantur autem lectiones in Christi Ec- Ibid. c. 11.
clesijs de scripturis sanctis. Constat autem eadem sancta scriptura ex veteri lege & noua.

Idque ex D. Hieronymi translatione.

De Hebræo autem (inquit) in Latinum eloquium tantum- Ibid. c 12.
modò Hieronymus presbiter scripturas conuertit, cuius editione generaliter omnes Ecclesiæ vsque quaq; vtuntur pro eo quòd veracior sit in sententijs, & clarior in verbis.

Laudum cantus id est, Alleluia.

Laudes, (inquit) hoc est, Alleluia canere, antiquum est He- Ibid. c. 13.
bræorum. Cuius expositio, duorum verborum interpretatione vel compositione consistit, hoc est, laus Dei.

Idque omni tempore præterquam Quadragesimæ & ieiuniorum.

In Africanis (inquit) regionibus non omni tempore, sed Ibid.
tantùm Dominicis diebus, & Quinquaginta post Domini resurrectionem Alleluia cantatur, pro significatione futuræ resurrectionis & lætitiæ. Verùm apud nos secundum antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies ieiuniorum vel quadragesimæ, omni tempore canitur alleluia. Scriptum est enim: Semper laus eius in ore meo.

Est post vtramque lectionem.

Quòd verò (inquit) post consummatam psalmorum, siue le- Ibid.
ctionum prædicationem Alleluia in fine cantatur, hoc in spem futuri facit Ecclesia, significans post annunciationem regni cælorum, quæ in hac vita per vtrumque testamentum mundo prædicatur, actionem nostram esse futuram, nisi in laude Dei. Sic enim scriptum est. Beati qui habitant in domo tua Domine, Psalm. 83.
in secula seculorum laudabunt te. Hinc est, quod & liber Psal-

morum in laude concluditur, vt eadem post finem seculi laus æterna monstretur.

Offertoria.

Ibid. c. 14. Eccl. 50. Offertoria (inquit) quæ in sacrificiorum honore canuntur, Ecclesiasticus liber indicium est, veteres cantare solitos, quando victimæ immolabantur. Sic enim, Porrexit (inquit) sacerdos manum suam in libationem, & libauit de sanguine vuæ, & fudit in fundamento altaris odorem diuinum excelso principi: Tunc exclamauerunt filij Aaron in tubis ductilibus, & sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Domino. Nõ aliter & nunc in sono tubę, id est, vocis, prędicatione cantûs accendimur, simulque corde & opere laudes nomini declamantes, iubilamus in altum, in illo scilicet vero sacrificio, cuius sanguine saluatus est mundus.

Missa & Orationes.

Ibidẽ c. 15. Ordo autem (inquit) Missæ vel orationum, &cæt. vt suprà de Missa D. Petri.

Oratio primæ admonitionis.

Ibidem. Prima (inquit) earundem, Oratio, admonitionis est erga populum, vt excitentur ad orandum Deum.

Secunda inuocationis.

Ibidem. Secunda, (inquit) inuocationis ad Deum est, vt clementer suscipiat preces fidelium, oblationemque eorum.

Tertia, pro viuis & defunctis.

Ibidem. Tertia autem (inquit) effunditur pro offerentibus, siue pro defunctis fidelibus, vt per idem sacrificium veniam consequantur.

Quarta, pro osculo pacis.

Ibidem. Quarta (inquit) post hæc infertur pro osculo pacis, & charitate omnes reconciliati inuicèm, digni sacramẽto corporis & sanguinis Christi consocientur, quia non recipit dissensionem cuiusquam Christi indiuisibile corpus.

Quinta, laudes Dei, in qua dicitur: Osanna in excelsis.

Quinta

Quinta (inquit) infertur illatio in sanctificatione oblationis, in qua etiã ad Dei laudem terrestrium creatura, virtutumq; cælestium vniuersitas prouocatur, & Osanna in exelsis, cantatur, quod Saluatore de genere Dauid nascente, salus mundo vsq; ad excelsa peruenerit. Ibidem.

Sexta Corporis & sanguinis Domini oblatio & confirmatio.

Porrò sexta (inquit) ex hinc succedit confirmatio sacramenti, vt oblatio quæ Deo offertur, sanctificata per spiritum sanctũ, corporis & sanguinis confirmetur. Ibidem.

Vltima oratio Dominica.

Harum (inquit) vltima est oratio, quã Dominus noster orare discipulos suos instituit, dicens: Pater noster qui es in cælis. Ibidem.

Cur in sacrificio septem Orationes.

Hæ sunt itaq; (inquit) septem sacrificij orationes, commendatæ Apostolica Euangelicaque doctrina, cuius numeri ratio instituta videtur, vel propter septenariam sanctæ Ecclesiæ vniuersitatem, vel propter septiformem gratiæ spiritum, cuius dono ea quæ offeruntur, sanctificantur.

Symboli Niceni tempore sacrificij pronunciatio.

Symbolum autem (inquit) quod tempore sacrificij populo prædicatur, trecentorum decem & octo sanctorum patrum, collatione apud Synodum Nicenam est editum. Cuius veræ fidei regula tantis doctrinę mysterijs prę cellit, vt de omni parte fidei loquatur, nullaq; penè sit hęresis cui per singula verba vel sententias non respondeat. Omnes enim errorũ impietates, perfidięq; blasphemias calcat, & ob hoc vniuersis Ecclesijs pari confessione à populo proclamatur. Ibidẽ c. 16.

Benedictio super populum.

Benedictionẽ (inquit) dari à sacerdotib. populo, antiqua per Moysen benedictio pandit & comprobat, qua benedicere populos sub sacramento trinæ inuocationis iubetur. Ait enim ad Moysen Dominus: Sic benedices populum meum, & ego Ibidẽ c. 17. Num. 6.

benedicam illos: Benedicat te Dominus, & custodiat te, ostẽdatque faciem suam tibi, & misereatur tui, Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Amen.

SERGII PAPAE ROMANI LXXXV. MISSAE ROMANAE COMPLEMENTVM.

Sigebert. ad annum Domini 688.

Ad Confractionem hostiæ: Agnus Dei, dicatur.

Consequentia (inquit Sigebertus) Missam celebrandi iam ad integrum composita ab Apostolis & Apostolicis viris.

Ac paulòpòst, vbi recitâsset quid à singulis Pontificibus potissimùm Missæ fuerit adiectum, sicut suprà pleraque citauimus, sic concludit.


Ibid.

Ad hæc omnia hic Sergius hoc vltimum addidit, vt inter communicandum, Agnus Dei, à clero cantetur.

Atqui hoc ipsum Sergio papæ adscripserunt Sigeberto vetustiores, Albinus flaccus Alcuinus, de diuin. offic. p. 79. Amalarius de eccl. offic. l. 3. c. 33. VValafridus * Strabo de rebus eccle. c. 22. Berno Augiensis de Missa c. 1. Marianus Scotus histo. l. 2. Micrologus de eccl. obseru. c. 18. Radulphus denique de Riuo Decanus Tungrensis, de can. obseru. propos. 23.

LITVRGICON ECCLESIAE LATINAE I. TOMI, FINIS.

In his libris liturgicon nihil est fidei Catholicæ aduersum, sed multum lucis adferunt ad statuendum sacrificium missæ. Attestor Mathias Lambrecht ecclesiæ Brugensis canonicus & pœnitentiarius librorum visitator Ordinarius.





005647284 LB